Digitized by Google

The
Robert D. Hoffman
Book Fund for Judaica
in the
Harvard College Library

VE RI TAS

Established in memory of
Robert D. Hoffman
Class of 1919
by his wife
Chippe Adlow Hoffman

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SALOMONIS van TIL
THEOL. DORDRAC.

MALACHIAS ILLUSTRATUS,

SEU

Novo commentario analytico, & exegetico ad planiorem ſenſus evolutionem elucidatus, & juſtâ hiſtoriæ cum vaticiniis collatione aſſertus.

Cui accedit

DISSERTATIO SINGULARIS
Geographico-Theologica

DE

SITU PARADISI
TERRESTRIS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JORDANUM LUCHTMANS, 1701.
Cum Privilegio DD. Ordinum Hollandiæ.

Digitized by Google

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

1,953

Digitized by Google

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ

CULTORIBUS PIIS ET CANDIDIS SALUTEM.

Accipite nunc, quem ad Prophetarum TRIADEM complendam promiſeramus, *Malachiam illuſtratum*, Viri optimi: ſimulque conſilii noſtri rationem expendite. Ut PHOSPHORUS noſter Propheticus pleniori coruſcaret lumine, vaticinia Malachiæ, Prophetarum V. T. ultimi, ad inſtituti noſtri continuationem, elucidata & demonſtrata prioribus adjicimus; quo teneas, quâ methodo vias Dei & fata populi Iſraëlis expoſuerint Prophetarum V. T. primus, intermedius, & ultimus.

Moſen primo exhibuimus loco, ut doctrinæ Propheticæ gymnaſium aperientem, ac in reipublicæ theocraticæ initio gentis ſuæ finem præcinentem: idque carmine, fideliſſimo huic populi Duci & magiſtro divinitùs tradito: reſpiciebam enim canticum illud, non ſolùm ut Theologiæ Propheticæ rudimentum, ſed &

Digitized by Google

Prophetarum ſubſequentium cynoſuram, ad quam omnis prophetia ulterior, antequam admitteretur, exigenda fuit, continens: quo vias Dei circa eccleſiam, in terris militantem atque ab hoſtium conatibus liberandam, juxta temporum ſeriem quàm accuratiſſimè expoſitas, & graviſſimos diſciplinæ propheticæ articulos quaſi compendio delineatos animadvertebam.

Huic ſecundo loco adjunximus *Habakukum*, ex choro Prophetarum V. T. intermedio unum, qui corruptiſſimo tempore exilium populi caſtigandi, & Chaldæorum manu è terrâ ſanctâ expellendi prævidens, hinc tentationis gravitatem, illinc populi electi conſervationem ac reductionem in locum ſuum prædixit, ac variorum certaminum eccleſiæ N. T. exitum, ad cauſſæ Dei & eccleſiæ triumphum præordinatum, ad vivum depinxit: id agens, ut ſpes lugentium & horridum illud fatum captivitatis Babylonicæ metuentium ante diem mali erigatur, & multis argumentis ex catenâ viarum Dei decretarum confirmaretur.

Nunc tertius accedit, *Malachias*, chorum Prophetantium ſub V. T. claudens, ac præſenti volumine vaticinia omnia, eccleſiæ Judaïcæ ſcriptis voluminibus tradita, obſignans: qui populi reducis, & reſtaurati cum eſſet haud ignobile

bile

Digitized by Google

bile membrum, eundem de rebus nonnullis neceſſariis ultimatè monuit.

Maxima eſt inter hos tres, quoad modum prædicendi convenientia; ſinguli enim *populum Iſraëliticum reſpiciunt*, tanquam ſub V.T. œconomiâ *plurium carnalium numero & mixturâ* eouſque *aggravatum*, ut pars ſincera ferè à reprobis obruatur. Hinc tot querelarum cauſſæ, & ſuſpiriorum argumenta, à lugentibus in populo ad tribunal Dei delata; qui improborum, numero & poteſtate accreſcentium, ſtudia perpendentes, & fidei & gentis exſtinctionem metuebant; eo quod in gravioribus tentationibus fidem ſuam haud eſſe eluctando ſuſpicabantur: quodque inter horrida Dei judicia fortè varios ob defectus lugentes etiam pœnis reprobrorum implicarentur ad finem uſque, Deo iram ſuam in gentem ingratam effuſuram comminante.

Singuli *Deum* conſiderant, *ut in tribunali ſuo ſedentem*, ac judicia ſua præparantem; aſt qui ſimul etiam juſtorum & filii ſui cauſſam tanquam juſtus Judex vendicaret. Quare eleganter pingitur, ut ante judicium populi ingrati decretorium ſalutares electis repurgationes moliens, eorundemque a reprobis ſeparationes promovens, quibus pars ſincera ultimi excidii malis eximatur.

 Tan-

Digitized by Google

Tandem etiam ſinguli in lugentium ſolatium *ſpem regni Chriſti confirmant*, eamque nullo intercedente fato ob fœderis Dei conſtantiam eludi poſſe indicant: fore enim ut corruptiſſimo tempore magnus ille electorum Redemptor fidem ſuam præſtet, ac poſt illatam à reprobis necem, ex ſponſione ſuſceptâ pro electis ferendam, cum vitâ gloriam reaſſumat, thronumque regni occupans, hinc ſuos colligat in populum, illinc ſceleſtos ex regno ſuo excludat, adjuncturus ſemini Abrahami ſeparato gentes, benedictionum Abrahæ cohæredes, quo damnum excluſorum largiſſimè compenſet: quandò Deus Pater interim ſeveriſſimas excidii pœnas ſupra partem degenerem effunderet. Quibus addunt tamen populum regni Chriſti non niſi poſt varia certamina ingreſſurum in illam requiem, quæ poſteritatem partis induratæ & gratiâ excluſæ Deo iterum conciliatam exhiberet.

Habakuk, quos Moſes tradiderat doctrinæ propheticæ articulos, novâ luce illuſtravit, atque primæ repurgationis populi, per Chaldæos faciundæ, diligentiori expoſitione auxit: illamque à ſecundâ gentis Judaicæ repurgatione ita diſtinxit, ut quilibet videret reproborum partem maximam in primâ gladio exſcindendam, dum optimi in Babyloniam abducti, &

gra-

Digitized by Google

gratiâ Dei confirmati ac conſervati poſt annos LXX. reducerentur: in alterâ verò per vocationem electorum ad novum populum conſtituendum reprobos ſceleſtos ac pertinaces ita venire deſerendos docet, ut poſt ſeparationem credentium in Chriſtum conſtituendi ſint iræ divinæ objectum & exemplum: adeò ut hoſtes regni Chriſti, ad eorum imitationem ſe eccleſiæ opponentes, in ſimilia tandem inciderent judicia: idque duraturum donec tota terra coram Chriſto rege, tot judiciis à Deo juſtificato, obmuteſcat.

Malachias, tandem poſt primam repurgationem peractam prodiens, exponit ſecundam, ad quam venturum primò Legatum prodromum, & è veſtigio ſecuturum Chriſtum Dominum prædicit. Quod ut evidentiûs teneatur, qualitatem temporis (quo Chriſtus poſt præambulonem ſuum veniret) à corruptis populi ſententiis & moribus (confecto errorum catalogo) illuſtrat: totamque rem ſecundum capita accuſationum, & varias claſſes ordineſque reorum, pertractat. Dein modum, quo ſecunda repurgatio electos à reprobis ſeperaret, atque ab omni eorum commercio disjungeret ſuo loco exponit. Pœnas, quas ſingula claſſis apoſtatarum, à fide deficientium, daret, ex ſen-

ten-

tentiâ fori divini prædicit: atque ſpe divinæ defenſionis credentium turbam adverſus ulteriores oppugnationes corroborat: unde concludendum relinquit, Deum conſtanti amore ſemper proſecuturum ſemen Jacobi electum, gratiæ ſuæ & regni Chriſti hæredem deſignatum, atque ex judicio excidii, ſuper populum carnalem decreto, liberaturum, ne cum puniendis pereat.

Hiſce ſcripturæ propheticæ partibus illuſtratis, & cum hiſtoriâ implementi collatis, habebit lector attentus PHOSPHORUM ſibi in hâc doctrinâ prælucentem, ipſumque ad pleniorem ex reliquis Prophetarum ſcriptis lucem hauriendam manuducentem. Ita fidem, quam amicis & exteris feceramus (tale lucubrationum noſtrarum ſpecimen à nobis poſtulantibus) liberamus, quò noſtram commentandi rationem ac methodum expendant, & ſi iſta placeant, ſequantur: ita ſtudium S. literarum exegeticum, præprimis propheticarum promovere, earumque ſtudioſis opitulari non ceſſamus; muneris noſtri eſſe exiſtimantes, ut talentum a Deo nobis conceſſum, qualecunque illud ſit, non defodiamus, ſed in communem eccleſiæ ædificationem impendamus.

Aſt, dum latino idiomate hæc luci exponimus,

mus, qui anteriores noſtros labores vernaculo edideramus ſermone, multos ex contribulibus noſtris audimus obmurmurantes, & nos tantùm non convitiis petentes, quod, quæ Belgis noſtris ſpes de edendis ſermone vernaculo prophetis minoribus facta erat, eam præſcindamus: quodque Pſalmorum opus, aliquò uſque provectum, ita intermittamus, ut de ejus conſummatione multi deſperent. Culpam hâc vice, ſi quam commiſerim in hiſce, Benevole Lector, deprecor, & ut aliquid meo condones genio, qui non patitur, ut diu in eâdem oberrem chordâ, oro rogoque. Laborum mutatio mihi animi eſt refocillatio. Conabor abhinc iſtos placare quiritantes, & nimiùm protractam operis ſuſcepti ſuſpenſionem abrumpere, rediturus ad meditationum in Pſalmos continuationem, ſi Deus vitam & vires concedat, corporiſque valetudo animo ad labores prono reſpondeat.

Quod verò methodum noſtram hermeneuticam, in reſolvendis Prophetarum ſcriptis commendatam, hiſce ſpeciminibus, latino idiomate illuſtrare & confirmare ſuſceperim, id in exterorum gratiam, hoc flagitantium, partim factum eſt, partim quia eo idiomate in privatis collegiis erant dictata, ac minori labore juſtis ſuis amplificationibus adornari poterant. Quan-

dò Prophetas minores edere cogitabam antehâc, eos analyſi reſolutos, ſtrictioribuſque notis illuſtratos, emittere erat animus. Verum hoc conſilium mutatio ſtationis & laborum incrementum interruperunt, cum ſtudioſorum utilitati lucubrationes noſtræ erant attemperandæ. Hinc in alias meditationes nos pertraxit Tyronum ratio, quæ nobis alia Theologica, in ſcriniis latentia, extorſit, nec non analyſes in omnes libros V. T. hiſtoricos, Jobum, Proverbia Salomonis, ſcriptaque Prophetica Jeſaiæ, Danielis, ac Hoſeæ. Omitto epiſtolas aliquot Paulinas, quas noſtrâ methodo illuſtratas etiam cum diſcipulis noſtris communicavimus. Inter tot curas nata ſunt, quæ vernaculo ſermone typis exſculpta dedimus. Num igitur neglecti muneris ſim accuſandus? etiamſi omnem fidem liberare nequeam, tu ipſe B. L. arbiter eſto. Quamdiu vita & vires perſtant, ab exaſciandis meis ſcriptis aut dictatis non ceſſabo, interim eam poſtulans æquitatem, ut ſecundis curis & juſtis amplificationibus debitum concedant tempus, neminemque ſolum pluribus ſufficere ſimul agnoſcant. Sin Deo viſum fuerit interim telam vitæ noſtræ abrumpere, ibi ſubſiſtendum jubet pietas, ubi Deus, ſummus rerum arbiter, laborum terminum conſtituit. Valete.

PRI-

PRIVILEGIE.

De Staten van Holland ende Weſt-Vrieſland. Doen te weeten. Alzoo Ons vertoont is by Jordaan Luchtmans Burger en Boekverkoper binnen de Stad Leyden, dat hy Suppliant onder de Pers had met drukken Salomonis van Til *Phoſphorus Propheticus* met deſſelfs vervolg, behelſende een Commentarie over 't Lied Moſis, Deut. 32. over de Prophetie van Habakuk, een Diſſertatie *de Anno Menſe & Die Nati Chriſti*, en een Commentarie over de Prophetie van Malachias, met een aanhangſel van eenige Diſſertatien, alles in 't Latijn, begrepen in twee Stukken in Quarto, alwaar reets exceſſive onkoſten en grooten arbeyt in was gedaan, en tot volvoeringe der ſelve, noch een groote ſomme van penningen ſouden moeten haſardeeren, ſoo was den Suppliant bekommert, dat de ſelve Wercken in 't geheel ofte ten deelen, ofte eenige van dien in 't byſonder, in 't groot ofte in 't kleyn, ofte ook in andere Taal of Taalen, hier of elders door eenige baatſoekende menſchen hem mochten werden nagedrukt, en den Suppliant daar door van ſijne exceſſive onkoſten en arbeyt tot ſeer merkelijke ſchade ſoude werden gefruſtreert: over ſulks, ſoo keerde den Suppliant hem tot Ons, ootmoedelijk verſoekende hem Suppliant met ſecluſie van allen anderen te verleenen Octroy en Privilegie voor den tijd van vijftien achter een volgende Jaaren, om de voorſz. Wercken alleen te moogen drukken, doen drukken, uytgeven, en verkoopen in 't groot ofte in 't kleyn, in geheel, ofte ten deelen, 't zy met ofte ſonder Nooten, en dat voorts in al ſulke Taal, of Taalen, als hy Suppliant bevinden ſal oorbaarlijk te zijn, ſonder dat ymand de voorſz. Werken of in 't geheel of ten deele onder pretext van vermeerdert, of met Nooten, ofte onder een geſingeerde Naam ſoude vermoogen na te drukken, in wat Taal het ook ſoude moogen weeſen, en in kas bevonden mogt worden deſelve elders buyten Onſe Provintie mogte werden nagedrukt, dat deſelve in deeſe Onſe Landen dan niet ſoude mogen werden ingevoert, en dat op ſekere pœne by Ons te ſtellen; dog dewijle hy Suppliant wiſt, dat hy de voorſz. Privilegie van Ons niet konde bekomen, dan door Onſe byſondere gunſte, was derhalve te raade geworden hem tot Ons te keeren, ootmoediglijk verſoekende, dat Wy hem de voorgemelde Privilegie voor den tijd van vijftien Jaren in Ampliſſima forma geliefde te verleenen. SOO IS 'T. Dat Wy de zake ende 't verſoek voorſz. overgemerkt hebbende, ende genegen weſende ter beede van den Suppliant uyt Onſe rechte wetenſchap, Souveraine macht en Authorityt, den ſelven Suppliant geconſenteert, geaccordeert ende geoctroyeert hebben, conſenteren, accorderen, Octroijeren hem mits deſen, dat hy gedurende den tijd van vijftien achter een volgende Jaren, de voorſz. Werken genaamt

Salomonis van Til Phoſphorus Propheticus met deſſelfs vervolg, behelſende een Commentarie over 't Lied Moſis, Deut. 32. over de Prophetie van Habakuk, een Diſſertatie *de Anno Menſe & die Nati Chriſti*, en een Commentarie over de Prophetie van Malachias, met een aanhangſel van eenige Diſſertatien, alles in 't Latijn, begreepen in twee ſtukken in Quarto, binnen de voorſz. Onſe Lande alleen ſal mogen drukken, doen drukken, uytgeven ende verkoopen: Verbiedende daarom allen, ende een eygelijken de voorſz. Werken in 't groot, ofte in 't kleyn, in 't geheel, ofte ten deelen, 't zy met ofte ſonder Nooten, en dat voorts in al ſulke Taal, of Taalen, als den Suppliant bevinden ſal oorbaarlijk te zijn, na te drukken, ofte elders nagedrukt binnen den ſelven Onſe Lande te brengen, uyt te geven, ofte te verkoopen, op verbeurte van alle de nagedrukte, ingebragte ofte verkogte exemplaren, ende een boete van drie hondert guldens daar en boven te verbeuren, te appliceren een derde part voor den Officier, die de kalange doen ſal, een derde part voor den Armen der plaats daar het caſus voorvallen ſal, en het reſterende derde part voor den Suppliant, alles in dien verſtande, dat Wy den Suppliant met deſen Onſen Octroye alleen willende gratificeren, tot verhoedinge van ſijne ſchade, door het nadrukken van de voorſz. Werken, daar door in genigen deele verſtaan den inhouden van dien te authoriſeren, ofte te advoueren, en veel min deſelve onder Onſe protectie en beſcherminge eenig meerder Credit, aanſien ofte reputatie te geven; nemaar den Suppliant in kas daar inne iets onbehoorlijk ſoude influeren, alle het ſelve tot ſijnen laſte ſal gehouden weſen te verandwoorden, tot dien eynde wel expreſſelijk begerende, dat by aldien hy deſen Onſen Octroye voor de ſelve Werken ſal willen ſtellen daar van geen geabrevieerde ofte gecontraheerde mentie ſal mogen maken, nemaar gehouden weſen het ſelve Octroy in 't geheel ende ſonder eenige omiſſie daar voor te drukken, ofte te doen drukken, ende dat hy gehouden ſal zijn een exemplaar van de voorſz. Wercken gebonden en wel geconditioneert te brengen inde Bibliotheek van Onſe Univerſiteyt tot Leyden, ende daar van behoorlijk te doen blijken, alles op pœne van het effect van dien te verlieſen; Ende ten eynde den Suppliant deſen Onſen conſente ende Octroije moge genieten als na behooren. Laſten wy allen ende eenen eygelijken, die 't aangaan mag, dat ſy den Suppliant van den inhoude van deſen doen, laten ende gedogen, ruſtelijk, vredelijk, ende volkomentlijk genieten en gebruyken, ceſſerende alle belet ter contrarie. Gedaan in den Hage onder Onſen grooten Zegel hier aangehangen op den achſten Julii, in 't Jaar onſes Heeren en Saligmakers ſeventien-hondert.

A. Heinsius vt.

Ter Ordonnantie van de Staten.

Simon van Beaumont.

Intro-

Ad eximium Ætate, & Eruditione venerandum,

Clariſſimumque virum

D. SALOMONEM VAN TIL,

Hujus ævi Theologum, ſupra laudem, & ſupra invidiam ſummum,

Cathedræ, & Scholæ Dordracenæ Doctorem,
& Profeſſorem optimum, & incomparabilem,
cum ſuum Commentarium in Prophetam מלאכי ederet.

GRrande Decus Patriæ, *quis non miretur, ametque*
Et celebret genii munera ſacra tui.
Terrenis alii invigilant & corpora curant,
Tu *curas animum relligione pium.*
Theſauros alii, ac argenti pondus, & auri
Monſtrant, tu *ſummi pondera ſancta* Dei.
Conventus alii fratrum, cœtuſque ſororum
Jungunt, Chriſtiadum *colla jugoque premunt.*
Hi ſeſe oſtendunt fictæ pietatis amantes,
Quos errare probas, fulmen hypocriſeos.
O quam felices, qui te doctore docentur,
His aperis fontes tu *ſalientis aquæ.*
Hæc præſtas, obſcura piè myſteria pandis,
Inculcando mones, *diſcutièndo* doces.
Aſt non voce doces *tantum, ſed publica* promis
Scripta *quibus ſurget*, gloria magna tibi.
Hoc opus eximium ſtudio vigilique paratum
Suppeditans ægris pharmaca certa animis.
Hoc opus angelicum: duce quo ſacra turba piorum
Contra vitæ hoſtes exerit arma truces:

Exe-

Digitized by Google

Exerit arma quibus Judæos ſternere poſſit,
Salvificæ fidei quem pia cura tenet.
Chriſti *perge greges commiſſos, ucere* Paſtor,
In cælo merces te precioſa manet.
Pravuloqui, & ficti cedant, tu vive per ævum
Ut cunctis pandas *juſſa ſequenda* Dei.
Hic ego figo pedem, votiſque imploro Jehovam.
Te beet æternum, pro pietate decus
Quæ voveo ſint grata tibi Clariſſime TILLI
Si votis tandem conſequar iſta, ſat eſt.

Hæc paucula omni animo, omnique affectu Profeſſori ſuo fideliſſimo, ſtudiorum ſuorum fautori benigniſſimo; uſque ad aras colendo, de ſe optimè merito, indieſque merenti poſuit

E. F. LE BOUCQ
S. Theol. Stud.

Digitized by Google

INTRODUCTIO

In Librum

MALACHIÆ.

I. ΟΝΟΜΑΤΟΠΟΙΑ *Malachiæ*.

§. 1. IN voce *Malachiah* aut *Maleachi* contineri voculam מלאך, quæ & *angelum* & *legatum* notat, inter Philologos conſtat. Nec dubium, quin ex antiquâ radice לאך (in linguâ Arabicâ adhuc in uſu) derivanda ſit, quæ *mittendi* ſignificationem exercet: undè derivatum hoc ex primâ & genuinâ poteſtate *legatum* ſeu *nuntium* ſignificare, atque hinc ad *angelos* tranſlatum non adeò exprimere naturam angelicam, quam eorum munus, tenendum eſt: qui *legati Dei* audiunt, eo quod ſunt ſpiritus miniſtratorii; qui ut futuris ſalutis hæredibus inſerviant à Deo mittuntur, leganturque inter homines. *Hebr.* 1:14.

§. 2. Nomen, quod in codicibus Græcis *Malachias* legitur, in exemplaribus Hebræorum hodie ſcribitur *Maleachi:* neque ratio, quam cedit Lud Capellus, multùm à verò abludit; quod ſcilicet Græci יה (nomen Dei) ad compoſitionem pertraxerint; ut

Digitized by Google

ſæpius in nominibus propriis, (verbi gratiâ in nominibus *Obadias*, *Zacharias*, aliiſque ſimilibus) ſpectare licet. Hebræi voculæ מלאך *jod epentheticum* adjicientes, terminationem gentilitiam & nominum propriorum potius amarunt: quam terminationem etiam in multis nominibus propriis uſitatam, obſervamus; qualia ſunt. *Gen.* 46: 9. *Carmi.* 11. *Levi. Merari* 16. *Chaggi. Schuni. Eri. Arodi. Areli* 24. *Naphthali. Guni*: & infinita alia, in catalogis genealogicis obvia.

§. 3. Quandò ſub vocabulo *Maleachi* cap. 1:1. conſilii divini in hâc prophetiâ conſcribendâ & promulgandâ miniſter deſignatur, dubitant Interpretes, num ut *appellativum*, an verò ut *proprium nomen* accipi debeat? *Ludovico Cappello* nomen eſſe videtur appellativum, qui reddi jubet ביד מלאכי *per manum nuntii mei*, non verò *per manum Maleachi*: ad quam conjecturam firmandam animadvertit, haud alibi in toto Veteri & Novo Teſtamento hujus Prophetæ nomen occurrere. Idem viſum fuit LXX Interpretibus, qui διὰ τȣ̃ ἀγγέλȣ ἀυτȣ̃ reddunt, id eſt *per angelum* (aut *nuntium*) *ſuum*; nam & Græca vox ἄγγελος ſæpè etiam in genere *nuntium & miniſtrum* ſignificat. Verùm potiùs hic *proprium nomen* eſſe agnoſcendum ex nominorum propriorum terminatione hìc adhibitâ dicendum eſt: præ primis cum *jod finale* hoc loco ſignificationem primæ perſonæ exercere non poſſit, ubi de Deo ſermo eſt in tertiâ perſonâ; non enim quadrat verſio, *prolatio verbi Jehovæ ad Iſraelem per manum nuntii mei*: quæ cauſa eſt, cur LXX, ut voces contextui reſpondeant, affixum tertiæ perſonæ ſubſtituant, vertentes *per nuntium ſuum*. Fateor in N. Teſt. nomen Prophetæ (ubi aliquid ex hoc libro citatur) non adjici, id quod ſcriptoribus N. Teſt. ſatis familiare eſt: aſt èo non obſtante ex ipſâ libri inſcri-

Digitized by Google

inſcriptione conſtat (quam & Græca verſio utcunque ſequitur) jam diu ante tempora N. Teſt. prophetam noſtrum eo nomine diſcretivo notatum fuiſſe inter Judæos.

§. 4. Nomen *Maleachi* Prophetæ noſtro proprium igitur cenſentibus, alterum ſuccurrit dubium, an non binominis fuerit, atque hæc denominatio non potius cognominis vicem impleat? Qui attendit ad hujus nominis ſignificationem, eamque nimis ſtricte congruere repræſentamini, in ſcenâ viſionis oblato, quam ut parentes ejus in nominis impoſitione de rebus iſtis cogitare potuerint, fortè non præter cauſam exiſtimabit virum Dei non ab utero tuliſſe hoc nomen; ſed cum muneris prophetici ſuſceptione illud à Deo accepiſſe; ut eſſet *mnemoſynon ejus*, quem ut Dei legatum Chriſto præcurſurum prædicere jubetur. Quo poſito pro *cognomine* cenſeri debebit, loco nominis ſubſtituto, quo ſolo poſtmodum apud populum inclaruit, quodque nomen à parentibus impoſitum obliteravit; quippe, qui hoc titulo Iſraëli commendatus, ſub eodem quoque gratus, atque cum fidei ſubjectione receptus fuit ab omnibus; in ſolo hujus nominis uſu profitentes ad quid miſſus fuerat à Deo. Sanè in hâc viſione ita ſpectandus venit hic noſter, ut qui *legati Dei* (futuri Chriſti prodromi) vicarium egerit, atque ejus munus præoccupare in populo jubetur. Conf. cap. 3:1.

§. 5. Inquiritur tandem etiam, num in iſtâ nomenclaturâ magis *angeli*, an verò potius *legati* ex hominibus obtineat ſignificatio? Prius volunt Patres, qui hanc prophetiam angeli fuiſſe opus volunt: aut qui angelum ei comitem fuiſſe in muneris ſui exercitio conjiciunt, quocum ipſe familiariter egit; volentes, ut ipſe

Digitized by Google

propterea tanquam angelus ſit ſpectandus: quamvis etiam alii ſint, qui eum *angelum* fuiſſe cognominatum exiſtiment, quoniam præſtantioris formæ homo fuit, & ſuaviſſimis inſtructus moribus, iiſque planè angelicis; ut *Epiphanius* rem exponit. Verum nulla ſufficiens cauſa eſt, cur ad hæc confugiamus, cum prima vocis ſignificatio (ut vidimus) *legatum* notet; atque hoc ſenſu etiam alibi *hominibus* applicetur: hoc enim titulo *Haggai* Propheta ornatur *Hag.* 1. 13. nec non Pontifex Maximus *Mal.* 2: 7. Imò cum ratio iſtius cognominis videatur fundata in prodromo Chriſti, qui hic tanquam alter Elias promittitur, quique foret homo à Deo Legatus ut domino templi & legato fœderis viam præſtruat (quem Deus in hoc oraculo vocat *legatum ſuum Mal.* 3: 1.) evidens eſt hunc noſtrum nomen hoc à legatione Dei accepiſſe, à quo ad præſens oraculum ſcribendum & cum eccleſiâ communicandum electus & miſſus fuit. Patres autem, qui ad naturam angelicam reſpici putant, huc adducti ſunt ex pravâ verſionis græcæ (quâ utebantur) acceptione; quippe legentes διὰ τῦ ἀγγέλυ ἀυτῦ, id quaſi de angelo proprie dicto intelligebant; non attendentes etiam hoc vocabulum græcum nonnunquam ſimpliciter nuntium ſignificare.

II. *Quis fuerit hujus oraculi miniſter?*

§. 1. ORigenes, notante *Hieronymo*, in eâ fuit ſententiâ, oraculi hujus miniſtrum fuiſſe non hominem, ſed *angelum*, humanâ ſub ſpecie conſpicuum: quaſi beatorum illorum cælitum aliquis cum hoc verbo Jehovæ cœlitus delapſus, & humana formâ viſibilis

bilis viro cuidam innominato, aut viris Synagogæ magnæ ſimul congregatis, vel etiam toti populo in concione apparens, hoc Dei conſilium expoſuerit: illudque à quoquam exceptum & conſcriptum, in canonem librorum divinorum fuiſſe relatum: non aliter ac *Angelus Domini* (מלאך יהוה) *adſcendiſſe* dicitur *de Gilgale in Bochim*, & *totum populum allocutus. Jud.* 2: 1. cujus ſermo abhinc conſcriptus, & ibi locorum verbis ſanctis inſertus eſt.

Verum huic ſententiæ locus opponitur *Syrachidis*, hominis non ità longè ab eo tempore remoti; qui *Ecclef.* 49: 13. *duodecim prophetarum oſſa* optat ἀναθάλλειν ἐκ τῦ τόπυ ἀυτῶν: *pullulare ex loco ſuo:* ſupponens omnes mortuos atque ſepultos eſſe in ſpem beatæ reſurrectionis. Duodecim Prophetas dum in contradiſtinctione ad Jeſaiam, Jeremiam & Ezechielem commemorat, ſanè eos reſpicit, quorum ſcripta in unum fuerunt compacta codicem, inter quos à primâ antiquitate *Maleachi* computatus eſt ultimus. Neque ullibi in libris cononicis, aut eccleſiaſticis tale quid memoratur; quod tamen non fuiſſet omiſſum, ſi modo tam extraordinario Deus cum populo ſecundi templi egiſſet.

Fortè in eum ſenſum quoque inductus eſt *Origenes*, quod Judæi, qui Prophetarum ſepulchra ornabant ſtudioſè, nullibi oſtenderint hujus noſtri monumentum; ſicuti nec author cipporum hebraicorum, quem edidit Cl. *Hottingerus*, ullibi ſepulchri ejus feciſſe mentionem cernitur, licet alias in ſepulchrorum propheticorum locis aſſignandis ſatis ſit accuratus. Verum caſus & fortuna effecerunt forſan, ut hujus monumentum fuerit occultatum; quod etiam aliis accidit; quales, ſunt *Joël*, *Amos*, *Micha & Nahum*, quorum ſepulchra & cippi ab iſto ſcriptore non notantur.

 Quid

Digitized by Google

Quid ſi in communi monumento virorum Synagogæ magnæ fuerit conditus, atque ita non diſtinctus à reliquis? Sufficit argumentum à ſilentio auctorum nihil probare in tali cauſâ.

§. 2. Judæorum doctores, qui hunc noſtrum inter homines non ſolum recenſent; verum eundem etiam inter viros Synagogæ magnæ reponunt, admodum variant. 1. Communis ſententia, quam Paraphraſtes Chaldæus exprimit, quamque ex patribus *Hieronymus* & *Auguſtinus* ſequuntur, *Ezram* fuiſſe revelationis hujus miniſtrum, tradit. Verum nullibi *Ezras* ut Propheta, ſed quidem ut *Scriba legis* depingitur. 2. Gemariſtæ quidem hunc eundem cum *Mardochæo* faciunt, ut *Abarbenel* ex Thalmude (tr. Megillâ cap. 1. pag. 15.) notat. Verum hæc ſententia minus erit probabilis, ſi conſtet eundem jam ſub Ahaſuero Medo perſarum rege floruiſſe, vel tunc potius ad maturam ſenectutem perveniſſe; quem proin non credimus ætatem ſuam porrexiſſe ad templi ſecundi conſummationem. 3. Fatendum tamen Gemariſtas alios *Malachiam* in catalogo virorum Synagogæ hoc ſuo nomine recenſere, atque eundem à *Mardochæo & Ezrâ*, nec non *Haggæo & Zarchariâ* diſtinctè numerare: quod etiam faciunt Gloſſator ad librum בבא בתרא Fol. 15. 1. *Maimon* in præf. operis Jad Chazecâ, & Abarbanel in præfatione libri נחלת אבות.

§. 3. Undè *Epiphanius* illam, quam recenſet, traditionem acceperit, quæ monet hunc noſtrum vatem *Malachiam* in oppido *Zopha*, in tribu *Zabulon* fuiſſe natum, neſcio equidem. Si vera eſſet, tunc forte Zebulonita fuit; ex parentibus ortus, qui redditâ per Cyrum redeundi poteſtate ad priſtinam poſſeſſionem redierunt, prout antiquum ſub Joſuâ ſortilegium ſuam cuique portionem attribuerat.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. Sufficit nobis, quod ſcriptor noſter ſe hoc ipſo opere comprobaverit ex linguæ, quâ ſcripſit, puritate *virum Hebræum*, & ex orthodoxâ fidei profeſſione ſincerum *religionis* Judaicæ *cultorem*, *ac defenſorem*; prodit enim ut legis Moſaicæ commendator maximus *Mal.* 4:4. nec non aberrantium ſacerdotum & Levitarum reformator rigidiſſimus, qui omnes ad pietatem Deoque dignam legis obſervantiam revocavit ſeriò; cæterum quo ad *doctrinam ſpei* unâ cum omnibus patribus & prophetis *adventum Meſſiæ* cum repurgatione filiorum Levi, & piorum ab impiis diſcretione exſpectans; & nominis Dei magnitudinem gentibus notificandam ſperans: undè fore prædixit, quod quilibet ad ſolem juſtitiæ confugiens ſub alis ejus medicinam mentis inveniret, cæteri verò eum ſpernentes miſerè perirent.

§. 5. Imò hunc noſtrum, virum pium & orthodoxum, inter contribules ſuos egiſſe *prophetam*, qui tanquam à Deo miſſus oblatum ſibi oraculum conſcripſit, & cum eccleſiâ Judaicâ ſui temporis communicavit, ipſum non ſolum libri argumentum, verum etiam ejus in canonem librorum V. T. ſuſceptio evincit: non enim fieri potuit ut ſuſciperetur hoc opus niſi intercedente ejuſdem traditione, aut ut hoc modo admitteretur, niſi ejus ſcriptor Propheta eſſet agnitus in populo, & vulgò cognitus, ut *Legatus Dei:* quamvis enim hodiè viri Dei familiam & vitæ genus ignoremus, nihilominùs neceſſe fuit, ut ea res ſe olim aliter habuerit; præſertim eo tempore, quo viri Synagogæ magnæ hoc agebant, ut in libris genuinis cognoſcendis, & ab aliis diſcernendis, omnem adhiberent diligentiam: quod ſine inquiſitione in ſcriptorum vitam & rationem agendi fieri haud potuit.

III. *Tem-*

III. *Tempus libri editi.*

§. 1. JUdæi omnes uno ore affirmant *Malachiam* fuiſſe חותם הנביאים *Sigillum prophetarum*, ſeu canonem librorum propheticorum, ut ſcriptorum ultimum, obſignaſſe; nihil dubitantes, quin reſuſcitato è cineribus templo ſecundo poſt *Haggæum & Zachariam* prophetico ſuo munere defunctus fuerit, cum Perſarum monarchia jam aliquamdiu imperium orbis tenuerat. Hæc ſi cum Joſepho conferamus, qui uſque ad *Artaxerxem Xerxis ſucceſſorem*, prophetas ſcripſiſſe ait; cætera autem ſcripta, *ab Artaxerxe uſque ad ſuum tempus edita non ſimili haberi fide ac priora, eo quod non fuerit certa prophetarum ſucceſſio*, affirmat (contra *Appionem* libr. 1.) ſequitur tempus editi hujus libri ſpectare ad tempus *Artaxerxis Longimani*, qui *Xerxem* in imperio ſecutus eſt; à quo ceſſaſſe donum Propheticum apud Judæos jam olim in confeſſo erat. Mortuus autem eſt *Artaxerxes Longimanus* ann. 424. ante æram Chriſti vulgarem, quot proindè annos *Malachias* quoque tempora Chriſti ad minimum antevertit.

§. 2. Quicquid ſit de illâ Joſephi annotatione, hoc ſaltem conſtat, codicem hunc propheticum jam extitiſſe, quandò viri Synagogæ magnæ codices duodecim prophetarum minorum, ne parvitate negligantur, in unum redegerunt volumen: unde *Jeſus Syrach* (*Eccl.* 49: 13.) etiam XII prophetas jungit; inter quos noſter eſt ultimus. Cumque eos omnes ſupponat jam tum mortuos; oportet, ut ante monarchiam tertiam (quæ Syromacedonum erat) mortuus jam fuerit noſter, opuſ-

opuſque hoc ſub ſecundâ (quæ Perſarum fuit) monarchiâ perfecerit.

Hinc ſub Ptolomæo Philadelpho exemplar Hebraicum etiam cum cæteris libris canonicis in linguam Græcam verti potuit. Sanè Malachiam ante Chriſti tempora prophetam fuiſſe agnitum, ejuſque librum inter canonicos relatum ſolidè ex lectionibus propheticis, ab antiquo in Synagogis prælectis oſtendi poteſt; legunt enim Judæi *Haphtharam. Mal.* 1:1. 2:7. cum ſextâ legis ſectione, quæ תולדות יצחק inſcribitur, & aliam *Haphtharam* à *Mal.* 3:4. uſque ad finem Cap. 4. in Sabbatho magno, quod feſtum Paſchatis præcedit. Hæc ſectionum propheticarum lectio ſaltem tempore Antiochi Epiphanis introducta, & ſectionibus legis ſubſtituta nos docet *Malachiæ* librum tunc temporis eodem loco fuiſſe habitum ac cæteri prophetarum: neque ſcrupuloſa Judæorum religio eam lectionem admiſiſſet, niſi illi credidiſſent hoc opus ab iis temporibus fuiſſe in canonem receptum, quæ prophetarum defectum anteceſſerant. Inter juſtæ antiquitatis notas etiam refero linguæ Hebraicæ (quâ conſcriptus eſt ille codex) puritatem, quæ nobis documento eſt, eâ ætate fuiſſe traditum hoc opuſculum, quo gens Judaica puriori adhuc uteretur in ſacris dialecto, quæ maximè per Syriacam ſub Seleucidarum imperio depravata videtur.

IV. *Authoritas libri planè divina.*

§. 1. SIcuti in hoc opuſculo *prophetam agit* ſcriptor noſter, ubique ex dictato Dei loquens; & filo quaſi perpetuò ſuum כה אמר יהוה *Sic dixit Jehovah*

vah ingeminans: ita quoque libri hujus cum undecim prophetarum præcedentium codicibus conjunctione & in canonem V. Teſt. inſertione, teſtimonium accepit, ſe à populi primoribus quâ talem agnitum, ac ex juſtis characteribus poſt juſtum rei examen comprobatum fuiſſe. Cum itaque hic *liber propheticus* cum cæteris, quas claudebat, fœdis eâdem veneratione ſuſceptus, poſt exemplarium multiplicationem virorum ſynagogæ magnæ juſſu ad quaſcunque totius orbis ſynagogas tranſmiſſus, ibique ex Magiſtrorum ſubſelliis conſtanter prælectus fuerit; ex modo traditionis evidens eſt eundem tanquam divinâ authoritate pollentem à ſingulis religionis Moſaicæ diſcipulis fuiſſe admittendum. Neque ulla cauſa fuit aliter de viro, zelo legis & inſigni pietate conſpicuo, ſuſpicandi: quippe cujus omnia legi, cæteriſque ſcriptis divinis fuerunt conſona, ac Deum quàm maximè decentia; præſertim cum inter examinantes etiam fuerint viri, ſpiritu Dei acti, & ſingulari diſcretionis dono uncti, qui eodem cum noſtro vate viventes tempore, in omne vitæ genus & familiam ſcriptoris commodè inquirere poterant.

§. 2. Accedit, quod D. N. *Jeſus Chriſtus* cum toto apoſtolorum & euangeliſtarum choragio non ſolùm canonem eccleſiæ Judaicæ ut legitimè confectum admiſerit, gentique in ejuſdem ſuſceptione & conſervatione fidelitatis teſtimonium conceſſerit: verùm quod ſpeciatim ſinguli ex hoc Malachiæ opuſculo teſtimonia, tanquam divinâ authoritate pollentia, adduxerint: in quem finem B. L. modo conferat citationes. *Matth.* 11: 10. *Marc.* 1: 2. *Luc.* 1: 16. 7: 27. *Rom.* 9: 13.

§. 3. Præſertim confirmamur & nos in eâ ſententiâ ex ipſo libri argumento: quibus enim vaticinia in eo contenta cum rerum eventu conferre licet, illis datum eſt

eſt ex charactere infallibili cognoſcere, quo loco hic ſcriptor habendus ſit? hoc verò eſt, quod nunc molimur, ut ad ſingulas pericopas oſtendamus, quàm pulchrè, quàm accuratè, & viis Dei congruè omnia dicta prophetica in rerum eventu ſuum receperint implementum. Quod ſi ex voto ſuccedat, firma erit concluſio, veridicum & à Deo edoctum fuiſſe Prophetam, olim ad revelationem hujus partis conſilii divini ab eodem legatum, qui ante rerum eventum tam conſonas eventui conſcripſit prædictiones. Quiſquis fuerit, qui in hiſce notandis Deo fuerit amanuenſis; hoc nobis ſufficit eum, comprobante rerum exitu, vera Dei attuliſſe oracula, eaque fideliter cum eccleſiâ communicaſſe, quod ſolùm ad fidem noſtram huic ſubjiciendam poſtulari inter omnes conſtat.

§. 4. Cæterum in hoc codice nil videas, niſi quæ inſignem pietatem, orthodoxam fidem, & patrum de regno Chriſti futuro ſpem intemeratam ſpirant; quæque eo traduntur ſcopo, ut Sacerdotes & Levitæ, nec non omnis ordinis Iſraëlitæ ad priſtinam pietatem & orthodoxiam revocentur, & quandò repurgationis tempus adveniſſet ſe ad converſionem ac neceſſariam reformationem vocari paterentur. Cumque *hic ſcopus* ſit irreprehenſibilis, conſilio Dei de ſe in homine peccatore glorificando conſentiens; & *via* ad eum finem commendata nil commendet præter ſeriam *legis Moſaicæ obſervantiam*, & quicquid cæteris ſcriptis divinis planè eſt conſonum. Quid ni credamus eum, qui iſta promulgavit, virum pium & orthodoxum fuiſſe, Deum, cujus timorem inculcat, aliis in exemplum ſummâ cum veneratione colentem; cujus eſt nihil ſub nomine Dei audere niſi *Deo auctore.* Quandò igitur porrò vir talis toto ſuo libro Deum exercituum repræſentat loquentem,

Digitized by Google

tem, ſibique aſſumit *legati Dei* titulum, ſub quo diſceptationem Dei, ſibi cœlitus traditam, cum populo Iſraëlitico communicat, credendum ſanè eſt eundem pro ſuâ pietate in timore Dei agere, atque reverâ *legationem à Deo impoſitam fideliter exercuiſſe.* Præſertim cum nulla ei, quoad miſſionem iſtam, fingendi quicquam cauſa fuerit: argumentum enim adferens, quod ſeveriores ob correptiones minus foret gratum; quodque ob minaces comminationes ad pravorum irritationem erat compoſitum, nil lucri aut gloriæ ſibi ex hâc fictione apud peſſimæ indolis homines, in populo prædominantes, ſpondere poterat. Sanè in gratiam cauſæ Dei, ex amore gloriæ Dei promovendæ, nemo Deum amans mentiri velit; Deum quippe cognoſcens ut mendaciorum oſorem, humanis figmentis non egentem; cauſamque Dei, ut ſatis validis argumentis à prophetis anterioribus inſtructam, & nullam novam legationis auctoritatem poſtulantem. Proin hoc ſolum reſtat, quod Deus ex ſuperabundati gratiâ zelantem pro gloriâ ſui nominis, & doctrinam ſpei diſtinctiùs cum majori luce exponere cupientem, novâ hac legationis auctoritate munire voluerit, poſtquam arcana conſilii ſui ex viſione addiſcere penitiùs conceſſerat.

Hiſce argumentis, præſertim inter ſe collatis, in eam pertrahimur ſententiam, hunc codicem non minores in ſe continere divinitatis characteres, ac quemlibet alium V. T. librum canonicum; quare eundem quoque eâdem ac cæteros veneratione, fideique noſtræ ſubjectione pertractabimus, divinæ ſapientiæ ſanctitatiſque veſtigia ubique manifeſtaturi.

V. Ar-

V. *Argumentum libri.*

§ 1. QUiſquis leviori ſaltem oculo hunc paucarum paginarum librum perluſtraverit, facile animadvertere potuit ejus argumentum eſſe elenctico-epanorticum, perpetuam Dei cum populo diſceptationem quaſi forenſem referens: opponit enim hic ſermo ſe declinantibus hinc ſacerdotibus & Levitis, illinc impiis in populo, quos magnorum criminum reos arguit, & niſi reſipiſcant maturos declarat ad judicium. Hinc ſpeciatim crimina allegat, quæ in quibus dictis & factis conſiſtant, pluribus (ne iſta hypocriſi diſſimulare & de ſuâ juſtitiâ & probitate benè ſentire pergant) exponit. Cui diſceptationi ad majorem animorum convictionem, & ſolidiorem à vitiis dehortationem etiam interſperſa ſunt partim ex comminationibus, partim ex promiſſionibus conflata præſagia, conſilium Dei de populo repurgando explicantia; atque piorum per converſionem ad ſanam mentem redeuntium, & impiorum, præconium reſipiſcentiæ reſpuentium fata, impoſterum futura, prædefinientia.

§. 2. Qui ad ſermonis divini nexum & argumentorum efficaciam paulò attentius animum ſuum applicuerit, non potuit quoque non obſervaſſe viarum Dei, tantoperè differentium, terminum atque exitum poni in adventu Chriſti, regnique ejus conſtitutione: diem enim judicii alicujus ſeverioris denuntiat, cujus *initium* ab exploratione populi & ejuſdem ſolenni ad reſipiſcentiam invitatione inciperet: *progreſſus* verò hominum heterogeneorum diſcretionem & ſeparationem præſtaret: *finis* autem hinc pertinacibus, atque fidem & reſipiſcentiam

protervè negantibus *exterminium*; illinc verò correctionem admittentibus, & per fidem ad ſolem juſtitiæ confugientibus (ne gentibus quidem exceptis) *acceptationem*, cum gratiſſimâ gratiæ adminiſtratione, & potenti adverſus hoſtes defenſione inferret.

§. 3. Hinc *Chriſtus* depingitur, ut ſibi populum cupiens expurgatum, atque adeo regnum moliens, quod ſincerè & cum pietatis ſtudio credentibus ſalutem, impiis verò ſeſe ei opponentibus *anathema* adduceret; habiturum enim annum gratiæ quoque ſibi conjunctum diem iræ, adverſus iſtos Judæos exercendæ, qui veritatem in injuſtitiâ opprimerent, jam ex aliis Prophetis notum erat. Proin argumenti partem primariam hujus libri facit *doctrina de adventu Chriſti*, *populique præparatione ad eum dignè recipiendum*, *niſi velint miſerè perire*: ſub quo ſalutare populo conſilium, prudenter ab unoquoque expendendum, contineri, quilibet facilè mecum agnoſcet: quod nemo, niſi cum ſalutis damno neglexerit impoſterum.

VI. *Scena repræſentamnis.*

§. 1. PRopheta hanc diſceptationem divinam eum in modum proponit, ut ipſe occurrat actionis iſtius forenſis *teſtis auritus*: quippe ab ſeſe audita paulò poſt cum pluribus communicans, & verbotenus in exſecutione legationis ſuæ fideliter referens. Huc faciunt toties inſtaurata & repetita verba אמר יהוה *dixit Jehovah*: & *ſic dixit Jehovah Deus exercituum*, quæ, quid aliud ſibi volunt? quam præteriiſſe jam horam, quâ Deus iſta, quæ nunc enarrat, locutus fuerat; verbum enim אמר in *præterito*, in ſignificatione

præ-

Digitized by Google

præteriti ſervandum, atque ut fecimus, vertendum eſſe, jure à quocunque lectore poſtulamus. Quare ipſe, ut dictorum in cœlis teſtis, nunc quaſi ex penetrali arcanorum Dei in publicum prodit, audita in arcano ſuo cum Deo commercio cum populo communicaturus in publico, ut teſtem Dei fidelem decet.

§. 2. Quandò titulus, fronti hujus libri inſcriptus, hunc ſermonem propheticum appellat משא דבר יהוה *prolationem verbi (aut ſermonis) Jehovæ:* monemur *Jehovam* non ſolum verè fuiſſe locutum in viſione: verum etiam ſub repræſentamine *Judicis* ſemet Prophetæ objeciſſe, qui ex tribunali quaſi in foro ſententiam dixit, quâ animo flexiles abſolvit, pertinaces verò condemnavit. Sub hoc formali conſiderandum eſſe in hâc ſcenâ Deum res ipſa exigit, & vox משא, ſi vera ejus ſignificatio hic obtineat, exigit: licet enim varii interpretes *Onus* vertant; nos tamen cum Cl. *Coccejo* aliiſque prolationem ſententiæ forenſem denotare potius apud Prophetas, ad librum propheticum *Habakuk* in Phoſphoro noſtro prophetico evicimus pag. 225. Hinc verſus primus nobis vertendus eſt, *Sententia ſermonis Jehovæ ad Iſraëlem, manu Malachiæ.* In quo notatur *Malachiæ operâ ſermonem Dei, Iſraëlem* compellantis, & per modum ſententiæ prolatum (à quo cum Propheta probè intellexerat, & fideli memoriâ retinuerat) verbo & ſcripto fuiſſe cum eccleſiâ communicatum.

§. 3. *Iſraël* videtur hujus repræſentaminis in ſcenâ præſenti quoque partem feciſſe, ad quem Judex ſuum direxit alloquium: compellat enim hæc diſceptatio nunc Sacerdotes, poſtea Levitas, abhinc quoſcunque alios; non aliter, ac ſi ad tribunal Dei adducti, coram Judice ſtarent, ab eo ad convictionem examinandi, & ad objecta crimina reſpondere coacti. Cum cauſſam ſuam agens

Digitized by Google

agens Judex, in hoc examine non ſolum hypocriſi obvelata eorum peccata in lucem protrahit: verum etiam tacitas eorundem exceptiones, & quondam prolatas excuſationes convellit, atque ad decretum in ſimiles peccatores judicium reos damnat; diemque ad exſecutionem definitum denunciat.

§. 4. Adde, quod & alia Iſraëlis pars in ſcenam prodeat, quæ docilis ſpem Iſraelis (licet non ſine luctâ) retinet, dictiſque Dei adſtipulatur: horum enim ſermones alicubi (V. G. *Mal.* 1. 9.) interponuntur; qui proin concipiendi ſunt hoc agere, ut accuſationes iſtas tanquam teſtes adverſus improbos confirment, æquitatem judiciorum comminatorum agnoſcant, & promiſſiones fœderis Dei per reſtipulationem adimpleri oportuno iſto tempore poſtulent.

VII. *Tempus huic ſcenæ reſpondens.*

§. 1. QUoniam res in iſtiuſmodi viſionibus oblatæ, nequaquàm cenſeri poſſunt eſſe omnium temporum, ſed hiſtoriam continent præoccupatam, atque adeò certo cujuſdam temporis articulo alligatam; nunc operæ pretium erit, hunc temporis articulum indagare, & ſedulò inquirere, quandò talis rerum facies, qualis hìc in cœleſti quâdam viſione adumbrata cernitur, in terris conſpecta fuerit. Supponunt vulgò Interpretes, Malachiam detonare in vitia ſui temporis, atque corruptum eccleſiæ Judaicæ, in quâ ipſe vivebat, ſtatum exaggerare, ſimulque eum populares ſuos ad pœnitentiam revocare. Verùm cum hæc hypotheſis ſenſum variorum locorum valdè implicet, exiſtimem hanc ſcenam Propheticam inſpiciendam eſſe, tanquam

ſtatus

Digitized by Google

ſtatus reipublicæ Judaicæ corruptiſſimæ repræſentamen, prout ſe haberet proximè ante manifeſtationem Chriſti, & præconium prodromi ejus, qui in hoc ipſo temporis articulo concipiendus eſt à Deo ad præconium reſipiſcentiæ mitti, & ut Chriſto viam præparet in populo Judaico ad eum ablegari. Gaviſus ſum admodùm, cum poſtea cernerem mecum ſentientem virum acutiſſimum *Lud. Capellum*, cujus verba ex ejus commentariis poſthumis appono. *Tota*, inquit, *hæc prophetia propriè concepta eſt adverſus Judæos, non eos, qui tempore Malachiæ, vel proximè poſt eum vixerunt; ſed adverſus eos, qui Chriſti & Apoſtolorum ipſius prædicationem, euangeliumque ſibi oblatum protervè repudiarunt, quique propterea etiam à Deo rejecti, atque à ſuo fœdere excluſi, gentileſque in eorum locum ſubſtituti fuerunt, quod futurum eſſe illis Malachias interminatur* Cap. 1: 10. 11. Hanc ſententiam confirmaturus ita pergit. *Si etenim vitia populi & ſacerdotum ſui temporis duntaxat increparet, non illis interminaretur eapropter rejectionem eorum hodiernam & excluſionem eorum à ſuo fœdere: non enim ſic ſevere cum ipſis egit Deus ante captivitatem Babylonicam, cum mores tamen eorum non eſſent minus tum corrupti, adeoque multò forte corruptiores, & neglectus cultus divini longè major, ſiquidem apertè in idololatriam prolapſi erant. Verum quia ſcelus eorum in Chriſtum longè fuit atrocius, & quidem immaniſſimum: ideò longe graviorem pœnam illis interminatur, quam fuit captivitas Babylonica.* Ad quæ ſic concludit vir doctiſſimus. *Itaque in explicatione hujus Prophetæ eo eſt collimandum, ut omnia, quæ à Prophetâ dicuntur, quadrent & competant in Judæos, qui Chriſti & Apoſtolorum tempore vixerunt, eiſque & eorum poſteris aptari poſſint.* Hanc Viri optimi animad-

Digitized by Google

verſionem non ſolum probamus: verum adhuc diſtinctiùs jam ante operum iſtorum editionem obſervavimus Deo diſceptanti hic rem eſſe cum populo prout foret, cum prodromum Chriſti ad eorum correptionem in præſenti mittebat: ut ſupponendum ſit in hâc ſcenâ viſionis, & prodromum Chriſti, & Chriſtum Dominum reſpici, ut jam modo natos, & ad eam ætatem provectos, quâ uterque munus ſuum proxime auſpicaretur: ut nihil reſtet, quam utriuſque miſſio, ad repurgationem populi corruptiſſimi, & ſeparationem fidelium ab improbis dominantibus, requiſita.

§. 2. Hanc noſtram ſententiam ut ſolidè confirmemus, notandæ ſunt tres temporum differentiæ, quibus diſceptatio hæc divina in toto hoc ſermone utitur.

1. Ad verba præſentis temporis attendentes, miſſionem Prodromi Chriſti ut rem præſentem ſpectare cogimur, ad quam Deus conſpicitur, ut jam accinctus & hoc agens. Inſpice verba *Mal.* 3:1. *Ecce me mittentem legatum meum.* Verbum שׁולח cum ſit participium *benoni*, haud dubiè præſentis temporis ſignificationem amplecti nos jubet; præprimis cum illud הנני præmittitur, quo oculos in præſentis actionis Dei effectum intendere incitamur. Confer *Mal.* 4:5. הנה אנכי שלח לכם את אליה הנביא *Ecce me, qui vobis mitto Eliam Prophetam:* ubi eodem ut ſupra verbo *mittendi* Prophetam hìc uti videas in participio Benoni: atque ita nota temporalis indicat miſſionem illam ad ſcenam hanc ut opus præſens eſſe ſpectandam. Hinc ut rem manifeſtam colligimus, hanc Malachiæ prophetiam prævio quodam repræſentamine rem poſtmodum futuram ut præſentem adumbrare: & Malachiam ipſum in præſenti viſione ad poſteriora tempora transferri, ut eorum faciem quaſi coram intueatur.

2. Ut

Digitized by Google

2. Ut rem præteritam recenſet *crimina quædam allegata*; eaque Sacerdotibus, Levitis, totique populo eum in modum objiciuntur, ut in omni emphaſi genti, Malachiæ ætate viventi, applicari non poſſint: ſed ſolummodò Judæis per Prodromi miniſterium ad pœnitentiam revocandis. Saltem non video, quomodò ſub monarchiâ Perſicâ tribui Judæ impingi poſſit, quod *filiam Dei alieni in uxorem duxerit*, quæ accuſatio occurrit, *Mal.* 2: 11. Quæ nimis contortè ab interpretibus rapiuntur ad culpata à Nehemiâ matrimonia, à quibuſdam cum filiabus gentium contracta: quod crimen & paucorum fuit, & reformatione Nehemiæ ita correctum, ut tales ab altari remoti ſint, & impuras illas dimittere coacti fuerint, omneſque fœdere ſolenni obſtricti, ne tale quid impoſterum committant: quâ repurgatione factâ effectum eſt, ut Juda in participationem criminis iſtius non venerit. Quod igitur hic toti populo vitio vertitur & in reatum imputatur, aliud crimen eſt, & alterius temporis. *Filia alieni Dei* dicitur in ſingulari, ut *filia Sionis*, atque concipitur ut aliquo fœdere quaſi in matrimonium juncta, ſeu in unum corpus ſpontaneâ electione adſcita: de quâ re pluribus ad locum ipſum. Non abnuo varia crimina fortè exempla invenire *Nehemiæ* tempore. Verum notandum illa hic non ſimpliciter notari; ſed ut cum pertinaciâ quâdam à multo tempore commiſſa, & poſt diutinam Dei tolerantiam jam proximè judicio deciſorio punienda. Imò conſpici debent hæc vitia apud noſtrum Prophetam, ut poſt dilationem judicii divini in multorum animis inveterata, & per abuſum tolerantiæ divinæ ſocordiâ munita, quâ de adventu judicii dubitare ex ejus dilatione auſi fuerunt plurimi, ut videre eſt *Mal.* 2: 17. Quod ſanè de populo nuper in terram reducto dici haud potuit.

 3. Evi-

3. Evidentiora erunt omnia, ſi quoque nonnulla, quæ ut proximè futura prædicuntur, paulò attentius examinemus. Aſſeritur in hoc volumine *dies aliquis judicii*, de cujus adventu ob dilatam criminum pœnam diſceptatio mota fuerat; quibuſdam ejus futuritionem negantibus & deridentibus. Nemo, qui contextum omnem perpendit, dubitare poteſt, quin quæſtio ſit de die judicii particularis, contra populum Judaicum decreti, & poſt captivitatem Babylonicam cum terræ anathemate infligendi. Deſcribitur autem ille *dies* non ſolum ut futurus admodum *terribilis*; verum etiam ut *præ foribus inſtans*, & ſtudia Chriſti ejuſque Prodromi interponenda tantummodo exſpectans, qui reliquiis ad converſionem vocatis, & ab impiis ſeparatis, cæteram multitudinem incredulam relinqueret, proximè ſeveriſſimo Dei judicio plectendam. Futurum illud judicium, cujus dies prædicitur, ſpectare exterminium populi, quod Romani intulerunt, vel indè conſtat, quoniam ei tribuitur *abductio populi unâ cum feſtis ſuis. Mal.* 2:3. *trium paſtorum excidium. Mal.* 2:12. & *anathema terræ infligendum Mal.* 4:6. qualia non experti ſunt Judæi poſt captivitatem Babylonicam, niſi in bello cum Romanis: adeò ut ſcena noſtra hunc rerum exitum proximè antecedat. Monemur quoque ex contextu contra ceſpitantes de adventu iſtius diei judicii, apponi ſigna temporum, ejus adventum præſagientia, atque in eum finem adduci miſſionem Prodromi, ut rem præſentem, atque inter eam & judicii iſtius exſecutionem interponi adventum Meſſiæ, ut in publicum prodituri, quò conflatorem agat filiorum Levi, è veſtigio Prodromum ſuum ſequentem. *Mal.* 3:1-3. Cum quo opere conjungitur hinc felicitas eorum, qui explorati prodirent; quippe qui *Deum reverentes ſub alis ſolis juſtitiæ*

ſtitiæ ſalutarem animæ invenirent *medicinam. Mal.* 4: 2. 3. Illinc aliorum condemnatio, & rigida punitio, qui conflatori ſuo aures non præberent. *Mal.* 4: 1. Harum rerum cum nexus ſit proximus, ſcena præſens refert ſtatum populi corruptum, qui proximè ſigna illa temporis, nimirum Prodromi miſſionem, & è veſtigio ſequentem Chriſti conflationem explorationemque, in populo faciendam, antecedit.

§. 3. Hæc in ſpeculâ proſpicientibus, atque interim ſpem patrum retinentibus conferenda erant cum Lxx ſeptimanis, apud Danielem definitis *Dan.* 9: 24-27. quibus divinæ tolerantiæ & beneficientiæ tempus ſupra Judæos ita fuit circumſcriptum, ut eo elapſo proximè ſequeretur tempus iræ, ſupra ſtupentes manifeſtandæ, quæ in hoc judicio inveniret terminum: nihil enim aliud jam agit Propheta noſter, quam ut oſtendat omnia in viſione ſuâ vergere ad iſtius iræ exſecutionem, atque propter crimina in populo manifeſta ad iſtum rerum exitum maturari, hoc interim moliens etiam, ut judicium à Daniele interminatum ſtrenuè juſtificet. Pertinet ergò Scena præſens ad illud tempus, quo Lxx iſtæ ſeptimanæ, necdum finitæ, nihilominus ad finem ſuum vergebant.

VIII. *Occaſio ſcenæ huic aperiendæ anſam præbens.*

§. 1. QUicunque nobiſcum agnoſcit Vatem noſtrum fuiſſe Prophetarum V. T. ultimum, facilè quoque nobiſcum credet Dei conſilium fuiſſe in hoc noſtro miſſioni Prophetarum uſque ad tempora N. Teſt. finem imponere, atque donum prophetandi pro tempore à populo auferre, non niſi cum adventu Chri-

Digitized by Google

ſti reſtituendum. Proin ratio œconomiæ divinæ, ne veritas religionis à ſe traditæ indè damnum pateretur, poſtulabat, ut ultimus Prophetarum ea traderet, quæ dicenda monendaque reſtabant. Populus Dei recuperatâ ex captivitate Babylonicâ redeundi & cultum in patriâ reſtaurandi libertate, *Haggai* miniſterio excitatus fuerat ad templi ſecundi ſtructuram oportunè promovendam, addito ſolatio, quod *domus iſtius gloria major foret præ gloriâ primæ.* Hoc ſecundæ ſtructuræ vilitatem lugentes erexit in ſpem gloriæ majoris, cùm Chriſti adventu ſuperventuræ, nec non mutationis cœli & terræ cum novæ œconomiæ introductione adducendæ. *Zachariæ* miniſterio erudiebatur idem ille populus de ſignis temporum; quæ Chriſti adventum præcederent. Jam nihil videbatur reſtare, quam ut *qualitas temporis*, quo Chriſtus veniret, ipſi ad vivum delinearetur; quia neceſſè erat, ut omnia tenerent ex Dei conſilio fideles, quæ ad Chriſti adventum cognoſcendum in tempore ſuo requiruntur.

§. 2. Augetur illa neceſſitas exindè, quod graviſſimum prævidebat ſubnaſciturum in multis præjudicium, quod forte etiam tum radices agebat, tempora adventus Chriſti fore lucida, & ſingulari pompâ externæ ſpeciei conſpicua, atque indè ſpem dari, quod *totus Iſrael ſit futurus hæres regni Chriſti*, omneſque nemine excepto in regnum illud ingreſſuros, cum fruitione benedictionum ad illud ſpectantium. Quid jam reſtabat monendum hoc tempore, quàm ut nunquam paterentur ſe iſto ſeduci præjudicio, inque pernicioſiſſimum errorem induci: omnia ſe habitura tunc in contrarium: tempora iſta enim fore nubila, quoniam prævalente potentiorum iniquitate & impietate maxima pars gentis pertraheretur in perfidiam; ex regno Chriſti excluderetur,

&

Digitized by Google

& unà cum terrâ in juſtum Dei judicium atque anathema incideret. Ita malo ſanè metuendo remedium erat quærendum, quo ſaltem electi ab iſtiuſmodi damnoſis opinionibus curari poſſint, & in tempore ex ipſâ generationis futuræ perverſitate moneri de adventus Chriſti oportunitate.

IX. *Scopus hujus libri occaſioni indicatæ reſpondens.*

§. 1. SCopus itaque ſeu ratio manifeſtatæ & conſcriptæ hujus revelationis propheticæ eſt, populum de facie ſeu qualitate temporis, quo Chriſtus inter eos appareret, rectiùs erudire, atque de peſſimo ſeculi iſtius ſtatu ex peſſimâ ætatis iſtius conditione ita præmonere, ut id non poſſit impoſterum orthodoxis eſſe ſcandalo, aut à fide in Chriſtum retinere. Cui fini reſpondet accurata corruptionis cum in fide tum in moribus deſcriptio, quæ maximam partem oſtendit imparatam fore illam gentem ad regnum Chriſti ingrediendum. Conſilium Dei ſanè eſt in hoc libro palam facere, quæ neceſſitas poſtularet, ut Chriſto prodromus præmittatur, qui illi viam præparet, atque tot ſeductos & aberrantes per præconium pœnitentiæ revocet in viam: quæque ratio foret, cur Chriſtus ſub ſpecie conflatoris veniret, contra ac multi ſibi perſuaderent, qui ſtuderet puros ſeparare ab impuris, atque inter utramque partem diſcrimen facere, illos regno præparando, hos ad judicium ſervando.

§. 2. Iſte Dei cum populo diſceptantis ſermo plus quam IV ſecula ante rerum eventum ſcripto conſignatus & Judæis traditus eſt, ut hinc electi inſtrumentum habeant & converſionis ſuæ, & communitionis animi ad-

verſus

verſus ſeducentes. Illinc reprobi redderentur ἀναπολόγητοι, pergentes in criminibus ſuis contra prophetiæ monitum, & faciem temporis non agnoſcentes etiamſi ea ſic fuerit delineata. Ita vias ſuas futuras prædixit Deus, ut, quandò res ita fierent, ex ipſâ qualitate temporis electi agnoſcant præcurſorem, & eum proximè ſequentem Dominum, eoſque audiant: atque etiam vias Dei omnes, etiamſi ſeveras, coram hominibus juſtificent, ſeque in verum Chriſti regnum ingreſſum fuiſſe teneant. Quotquot enim primò in crimina, dein in judicia tam evidenter ante præſcripta, in tempore iſto inciderent, prophetiæ veritatem obſignarent, atque aliis in Chriſtum credentibus forent argumento, ſe Deum & Chriſtum reverà ut decet inveniſſe, licet non conſentaneè peſſimo contradicentium præjudicio: quod fidem electorum ſummoperè confirmaret.

§. 3. Eſt hic ſermo quoque ſinguláriter directus ad juſtificandam ſeparationem, quæ cum Chriſti adventu inſtitueretur inter partem ejus carnalem & ſpiritualem. Hoc cum multi raperent in accuſationem regni Chriſti, (quaſi illud verum Chriſti regnum non eſſet, ex quo maxima gentis Judaicæ pars excluſa eſt & periit) neceſſè erat, ut ſolidè defenderetur, tanquam viis Dei conſentaneum, & opus æquitate ſuâ facile ſemet commendans: prius hic fieri videmus ex collatione viæ Dei cum agendi modo anteriore, quandò Jacobum accepit, Eſavum odio habuit. Poſterius autem multis aſſeritur ex corruptione populi incorrigibili, & medicinam reſpuente.

X. *Com-*

X. *Compendioſa libri analyſis.*

§. 1. PRæſens hic liber tres agnoſcit partes generales,

I. Sermonem exordialem de conſtantiâ amoris Dei erga populum ſuum. cap. 1 : 2-5.

II. Diſceptationem elencticam, adverſus Sacerdotes, Levitas doctores, & populum reliquum differentem. Cap. 1 : 6. - Cap. 4 : 3.

III. Epilogum admonitorium de officio, interim ſtudioſè obſervando, quo judicium evadant. Cap. 4 : 4-6.

§. 2. Sermo exordialis, agit de Dei amore erga Iſraëlem populum ſuum, deque ejus conſtantiâ, atque compellationem continet, ad ſinceram populi partem directam, quam ut lugentem erigit. Cauſa luctus concipitur, quod priſtina amoris Dei ſigna, & antiquas Patriarcharum benedictiones non viderent. Hi monentur, ut vias Dei cum Eſavo & Idumæis ad mentem revocent, & differentiam, quæ erat inter benedictiones Jacobi & Eſavi, probè perpendant: in quibus ſcilicet ſigna odii erga hunc, amoris verò ergà illum oſtenderit, oſtenderetque propediem.

§. 3. Diſceptatio Dei elenctica ſermonem ſuum ut plurimùm ad tranſgreſſores in populo, ſeu partem Iſraelis corruptam convertit, atque conatur reos arguere

I. *Sacerdotes*, ut munere ſuo turpiter cum nominis Dei contemptu abutentes: dum ſacrificium juge & cætera alia haud purè tractabant. His minatur, gentes ſubſtituendas, quæ purius adducant ſacrificium, unà cum ſacrorum Judaicorum rejectione. *Mal.* 1 : 6-14.

Digitized by Google

II. *Levitas*, ut in munere doctorum defectuoſos:

A. In genere doctrinam fœderis corrumpentes: dum ejus ſtipulationem legalem haud ſincerè exponebant. *Mal.* 2: 1-9.

B. In ſpecie contra apparatum adventus Chriſti obicem ponentes. *Mal.* 2: 10-12.

C. Specialiſſimè legem per conceſſionem polygamiæ & divortiorum peſſimè ad multarum fœminarum oppreſſionem evertentes. *Mal.* 2: 13-16.

III. *Judæos* paſſim ut perfidos.

A. Carnaliter ſecuros, & quidem ex judicii in malos protractione: qui jubentur notare præparationem viarum Dei in miſſione Chriſti cum Prodromo ſuo. *Mal.* 2: 17. - 3: 6.

B. Cultus externi ſuſtentationem decimarum defraudatione negligentes. *Mal.* 3: 7-12.

C. Epicureiſmum apertè profitentes: quibus opponitur inſtans manifeſtatio diſcriminis, ponendi inter juſtos & improbos. *Mal.* 3: 13. - 4: 3.

§. 4. Epilogus concludit librum commendatione de retinendâ lege Moſaicâ, dum illa tempora fluerent, & de ſuſcipiendo prœconio Eliæ, quandò ille veniret. *Mal.* 4: 4-6.

SER-

SERMO EXORDIALIS

De

De amoris Dei ergâ populum ſuum conſtantiâ, in lugentium ſolatium præmiſſus.

§. 1. IN initio codicis (per modum exordii) prima diſceptationis pars, ea, quæ in viſione propheticâ propter lugentes dicta & audita fuerant, exponit: ne ſpem Iſraëlis deponant orthodoxi; verùm ut eo fervidiùs ſalutaria N. Teſt. tempora exſpectent.

§. 2. Argumentum hujus ſermonis exordialis eſt probare *conſtantiam amoris Dei erga poſteros Jacobi:* ubi oraculum, quaſi è cœlo deductum, *Deum* (quocum fœdere conſtrictus erat Iſraël) jam à principio gentis uſque in præſentem diem populum ſuum fœderatum tenerrimo complexum fuiſſe *amore*, aſſerit atque demonſtat.

§. 3. In prophetico hoc repræſentamine *pars Iſraëlitarum genuina & ſincera* concipitur; ut coram Deo proſtrata, & luctuoſam temporis faciem lugens; imò de rerum turbatarum eventu ſollicita, atque quorſum peſſima multorum impiorum conſilia vergerent, dubitans. Objiciamus itaque menti noſtræ optimos ex populo, homines pios, regnum Dei exſpectantes, ſed ὀλιγοπιςίας imbecillitate luctantes, animoque ancipiti hærentes, qui ad Deum accedere, atque querelas ſuas ad eum deferre non ceſſantes, ſcrupulum mentis, ob quem

D 2 vias

Digitized by Google

vias Dei cum ſpe patrum conciliare nequiebant, expoſuerunt, nunc reſponſum exſpectantes.

§. 4. Cauſa luctus erat *Idumæorum* (multa profana inter Judæos introducentium) *Dominium*; undè religioni à Moſe traditæ ultimam imminere perniciem metuebant omnes: à quo enim horum in populo Dei invaluiſſe principatum obſervabant, & utriuſque gentis cum Idumæorum tum Iſraëlitarum commixtio increſcebat, communem utriuſque gentis ſortem eamque horridam ob vitiorum communionem inſtare (quod ſpei patrum erat adverſum) ſibi ominabantur.

§. 5. Hinc ſtatus quæſtionis ventilandæ natus fuit; an nempè *amor Dei* (quo dilexiſſe ſe Jacobum teſtatus fuit olim) ultimis iſtis reipublicæ temporibus quidem ſatis reſponderet promiſſionibus patribus factis? ac proin an ſatis conſtantem ſe exhibuerit erga Jacobi progeniem? Ad hanc quæſtionem ſolvendam ſpectat præſens ſermonis divini pericopa, quæ requiſitam amoris divini conſtantiam erga Iſraëlem ſibi demonſtrandam ſuſcipit.

§. 6. *Methodus* autem, quam hâc ſuâ reſponſione ad quæſtionem oblatam adhibet Deus, eſt partim ex viâ ſuâ antiquâ, partim ex judicio imminente oſtendere, *amorem Dei in beneficiorum ſuorum diſpenſatione diſcrimen ſervare*, neque eodem modo cum profanis agere, atque cum piis, fidem ſervantibus: neque ſe paſſurum, ut Idumæorum profanitas aut religionem extinguat, aut omnes & ſingulos Jacobi poſteros iiſdem vitiis, ac proin & pœnis implicet.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS

Sermonis prælimìnaris. *Mal.* 1: 2-5.

HÆc divina cum Judæis lugentibus diſceptatio (quâ Deus ſui erga Iſraëlem amoris probat conſtantiam) quæſtionem ſolvit;

I. Aſſertione, additâ aſſertionis cauſâ.

A. Aſſertio divina, conſtantiam amoris Dei erga Iſraëlem affirmans, dicit; *dilexi vos*, *dixit Jehovah.* verſ. 2.

B. Cauſa aſſertionis ponitur in interrogatione rogantium, *etiamſi vos dixeritis*, *quâ in re dilexiſti nos?* ibid.

II. Confirmatione, potiora Iſraelitarum præ Idumæis beneficia allegante: ubi adducuntur amoris divini bona

A. Præſtita; & factâ comparatione præ bonis Eſavo conceſſis longè præcellentia.

1. Comparatio dicit. *Nonne frater erat Eſau Jacobi?* ibid.

2. Repræſentatio prælationis ait. *Nihilominus Jacobum dilexi, & Eſavum odio habui: & poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus draconibus deſerti.* verſ. 3.

B. Præſtanda in futurum: ubi iterum factâ collatione exponitur.

1. Malum Idumæis imminens ex cauſâ ſuperbæ elationis, dum ſibi reſtitutionem pollicentur. *Quandò dicturus eſt Edom, depauperati ſumus, aſt reædificabimus vaſtata (ita dixerat Jehovah*

Deus *exercituum*) *illi ædificabunt* quidem, *ſed ego deſtruam: & dicent illis, terminus improbitatis, & populus eſtis, quem Jehovah ſeverè tractavit in ſeculum.* verſ. 4.

2. Bonum Iſraëlitis paratum, quod ab iſtius judicii conſpectu ſequeretur partem ſinceram. *Tunc videbunt oculi veſtri, & vos dicetis magnificabitur Jehovah ultra terminum Iſraëlis.* verſ. 5.

EXPOSITIO LITERALIS.

Verſ. 2. *Dilexi vos, dixit Jehovah, etiamſi vos dixeritis*, quâ in re dilexiſti nos?

§. 1. Videas hic alloquium divinum, quo Jehovah, partem populi meliorem compellans, teſtificatur *de amore ſuo.* Verſiones aliæ legunt hoc Dei effatum *dilexi vos*, aliæ *diligo vos*: ego autem verſionem priorem præferendam cenſeo; quia *tempus*, quod in textu originali eſt, retinet; illudque uberiorem gignit ſenſum. Dein emphaſis eſt in annotatione objecti amoris; cum enim dixerit Deus, *dilexi vos*, reſtringit amorem ſuum ad *lugentes*, cum excluſione aliorum, qui illis luctus & metus erant cauſa. Erat enim in populo pars ſincera, quæ ſola erat hæres promiſſionum fœderalium, quam nunquam ceſſaret Deus diligere. Mens effati iſtius divini eſt, quod Deus eos non ſolum amet in præſenti; verum etiam à multis ſeculis uſque in hoc tempus ita ſingulari ſuo amore hunc populum propter illos fuerit complexus, ut eum dilectionis eximioris teſtimoniis ſeu effectibus proſecutus fuerit, & nunquam in manifeſtatione ſignorum amoris defecerit. Ita non ſolum *amorem ſuum* aſſeverat

Digitized by Google

rat Deus, verum etiam *amoris ſui*, jam olim comprobati, *conſtantiam*: cujus exercitium ergâ populum ſibi electum ne quidem ceſſaſſe unquam, nec ceſſaturum in æternum affirmat ſeriò.

§. 2. *Amor Dei* (quo quemcunque electorum ſuorum proſequitur) eſt *voluntas conferendi* in amatum, quicquid ad ejus *benè eſſe* pro ſuâ ſapientiâ facere novit, cum ſingulari munificentiâ & ſpontaneitate operoſâ. *Bona* autem, quæ ex hâc benevolentiâ profluunt, non ſolum corpus, & hujus vitæ conditionem; verum etiam animam, æternamque hominis ſalutem reſpiciunt: adeo ut vel ipſa externa dona ſpirituali ejus conditioni ſubſervientia ſint, & ad verum hominis bonum cöoperentur. Hinc ſors electorum in infinitum præſtat conditione reproborum; licet quo ad externam faciem ſimilis fortuna, & aliquandò felicior hiſce evenire videatur in terris: quicquid enim reprobis evenit, tantum illis ex conſilio exercendi longanimitatem ad majorem judicii ab iis ſumendi juſtificationem adſtituit Deus. Quod autem in electos confert *amor Dei* (ne ipſis quidem exceptis caſtigationibus, aliiſque adverſitatibus, ad eorum explorationem facientibus) beneficii vicem adimplet; dum ad ſalutem hominis electi promovendam unicè conducit.

Huc præ primis tendit effatum hoc Dei (quo, non obſtantibus variis, quibuſcum luctabantur, difficultatibus, nihilominus *amoris ſui conſtantiam* erga pios aſſerit) ut neget caſtigationum ſuarum verbera & explorationis certamina defectui amoris ſui eſſe adſcribenda: imò potius contra interpretanda eſſe conſtantioris amoris effecta, quippe non ferentis, ut ſui in devios pergant errores, aut in obſcuro lateant; quippe explorationibus divinis manifeſtandi.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Hoc dum efficiendum ſibi ſumit Propheta, ut *pii in populo* afflictiones & tentationes ſuas credant eſſe, non amoris divini exſtincti, ſed potius conſtantis effecta, auctorem iſtius aſſertionis facit *Deum*; quando ſubjungit, אמר יהוה *dixit Jehovah.* Verbum אמר vertimus in præterito, quaſi diceret, audivi Deum in viſione ita dicentem, atque hanc amoris ſui conſtantiam, contra ac metuitis, affirmantem. Ratio iſtius acceptionis eſt; quia Propheta hic perſonam ſuſtinet Legati Dei, qui ex penetrali divini conſilii in publicum prodiens in abdito audita publicè denunciat, atque adeò in viſione accepta nunc cum piis communicat. Quod in hujus vaticinii expoſitione perpetuò obſervandum eſt. *Jehovah* allegatur ut dicti auctor, partim quia ille ſolus eſt verus Deus, quem profitebatur Iſraël, & cultu Moſaico venerabatur: qui proin erat audiendus, & ſine ullâ animi hæſitatione in dictis ſuis credendus: partim, quia illud nomen ex etymo ſuo conſtantiam Dei ejuſque immutabilitatem tam naturæ quam conſilii ſignificat: ſi enim unus ille verus Deus, qui ſibi ſemper conſtat, amorem ſuum teſtetur, oportet ut amorem illum conſtantem intelligamus, qui ob conſilii divini immutabilitatem nunquam mutari aut exſtingui poterit.

§. 4. Anſa iſtius effati divini ſubjungitur: nimirum dictum piorum in populo verbo ואמרתם quod vertimus *etiamſi vox dixeritis*: ut in allegato Dei dicto ſit contradictio, dicto humano oppoſita, quâ contrarium ejus affirmatur, quod homines ſuſpicaces dixerant. Copula *vau* ſæpè in ſacris vim conjunctionum *etiamſi*, *quamvis*, *licet*, exercere obſervatur. Vide *Ruth.* 2: 13. 1 *Sam.* 1: 5. *Ezr.* 3: 6.

§. 5. Dictum autem humanum, per Dei effatum corrigendum, aut reſponſo divino ſolvendum, apponitur ſub

ſub verbis במה אהבתנו, *quâ in re dilexiſti nos?* Hoc eſt, quâ in re, quove opere, ſingularem iſtum dilectionis tuæ affectum erga nos probatum dediſti? aut quid ad noſtrum bene eſſe contuliſti, quod etiam aliis præſtitum non fuit?

Poſtulant hic animo ſolliciti, & Judæorum corruptionem ſimul ac deploratam conditionem lugentes, ut erudiat eos Deus, indicetque ea amoris ſui ſpecimina atque exempla, ex quibus ſe aliis prælatos colligere poſſint: præſertim in ea inquirunt, quibus olim & nunc Idumæis cenſendi ſint feliciores. Sic dicta triſtiori congruunt tempori, quo ſeverior Dei caſtigatio præſtantiſſimas prioris Teſt. benedictiones eo uſque obnubilaverat, ut Judæorum hæreditas nullâ in parte Idumæorum ſorte cerneretur præſtantior: imò potiùs eo uſque cum illis communicata, quò videri poſſint illam potiori jure tenere, ac proſpero rerum ſucceſſu Iſraelitis prævalere.

Nonne frater erat Eſau Jacobi? Nihilominus Jacobum dilexi.

§. 1. Poſtulato ſatisfacturus hoc præſens repræſentatur reſponſum repoſuiſſe Deus: quo, ſortem *Jacobi* ut *Eſavi* conditione præſtantiorem demonſtraturus, ad rei exaggerationem utriuſque juris paritatem præmittit. Monet *Eſavum & Jacobum* fuiſſe fratres, ex iiſdem parentibus genitos; & quod plus eſt, eodem partu natos geminos: ex Iſaäco patre & Rebeccâ matre ortos. Hinc utriuſque *paritas* manifeſtatur; ſi enim *Jacobus* fuit Iſaäci filius, *Abrahami* nepos? idem quoque erat *Eſavus*: undè tenendum, omne diſcrimen, quo con-

Digitized by Google

ditio Jacobi præſtantior erat, ſoli gratiæ Dei eſſe attribuendum. Reſpicit autem hoc oraculum illud diſcrimen, de quo vaticinata fuerat *Rebecca*. *Gen.* 25: 23.

§. 2. Propoſitio iſta interrogativè enunciata ad majorem facit convictionem: efficit enim ut communis ad omnium judicium fiat provocatio; atque ſupponit neminem aliter ſtatuere poſſe, quam quod aſſumitur: ſcilicet fratres ſibi mutuò eſſe pares naturâ, nihilque habere ab ortu ſuo, quo diſcernantur.

§. 3. Ab hypotheſi paritatis in ortu pergit reſponſum Dei ad indicationem diſcriminis, ejuſdemque cauſas, dicens. *Nihilominus Jacobum dilexi.* Nota, quod *vau* copula hîc rectè ab Interpretibùs vertatur ut particula exceptionis: quare reddunt per *nihilominus*; ſenſu id exigente. Hanc ſignificationem frequentem eſſe apud Hebræos Grammatici norunt.

§. 4. *Jacobum* declarat Deus dilectionis ſuæ objectum ſpeciale; quod etiam in aliis prophetiis videas allegatum; ut *Jeſ.* 63: 9. *Jer.* 31: 3. *Hoſ.* 11: 1. Sub hoc nomine comprehendi etiam *ſemen Dei electum*, quod Deus in teſtamento ſuo promiſſionum ſuarum ſcripſerat hæredem, notum eſt. Qui in fœdere cum Abrahamo dixit, *ero Deus tuus*, *& ſeminis tui poſt te*, ille diſcrimen faciendo inter *Iſaäcum* & *Iſmaëlem*, & abhinc inter *Jacobum* & *Eſavum*, oſtendit mentem dictorum eſſe, non quod omne ſemen Abrahami naturale elegerit in communionem fœderis: ſed quod decreto firmaverit ſe ſemper ex Abrahami poſteritate ſanctificaturum quoſdam, qui ad Abrahami exemplum huic fœderi adſtipularentur, & communionem fœderalem cum Deo haberent. Quandò igitur *Jacobum* cum contra diſtinctione ad *Eſavum* à ſe dilectum prædicat, evidenter innuit penes ſe fuiſſe conſilium, gratiam illam de ſanctifi-

cando

Digitized by Google

cando quodam ſemine Abrahami diſpenſandi, & quidem inter ſolos Jacobi poſteros, ita ut interruptâ ſerie inter illos œconomia gratiæ vigeret, quæ partem electam ſingulari favore amplecteretur.

§. 5. *Dilectio ipſa* eſt voluntas beneplaciti divini de benedictione *Abrahami* diſpenſandâ in familiâ *Jacobi*, & per gratiam ſanctificandi electos ex poſteris ejus illi ad perpetuam gratiæ ſuæ laudem applicandâ. Sub eâ *benedictione* fateor contineri *conceſſionem terræ promiſſæ* cum multimodis benedictionibus terreſtribus; verum omnem exuberantiorem benedictionem in his abſolvi nego ulli concedendum eſſe; cum vel ipſæ caſtigationes in terrâ illâ haud effecerint dilectionis divinæ, quam allegat, ſuſpenſionem, aut interruptionem. Sanè terra illa promiſſa, ut excellentior promiſſio, eatenus benedictionis patriarchalis pars erat, in quantum *Sancta* dicebatur, id eſt, à Deo erat ſeparata, ut durante Vet. Teſt. œconomiâ Theocratiæ conſtitueret territorium, atque veræ religionis ſedem, inſtrumentorum & miniſtrorum, ad ſincerum Dei cultum cultum ſpectantium, neceſſario ſubſidio inſtructam. Proin hæc erat Judæorum præ aliis populis prærogativa, quod illis tantùm concredita fuerint verba Dei. *Pſal.* 147: 19. 20. *Rom.* 3: 1. 2. quodque iis locus fuerit præparatus, quem Deus ſibi elegit in thronum theocratiæ, in quo ſymbolum præſentiæ ſuæ collocavit, quemque ſibi peculiari modo defendendum ſuſcepit, ut in eo purè & in fide ad exemplum pietatis Abrahami coleretur. Ex quâ benedictione excludi nequit gratia ſanctificandi ſibi & conſervandi ſemen Jacobi genuinum, quocum ſemper communionem fœderis paterno exerceat affectu. Peccant itaque admodum contra ſcopum hujus diſceptationis, qui hanc Dei dilectionem ad amplam Iſraelitarum poſ-

Digitized by Google

ſeſſionem, agros uberrimos, ac denique ad terram lacte & melle manantem reſtringunt: non perpendentes corporalia illa commoda relationem habuiſſe ad gratam illam libertatem, quâ Deum colere ſine ullo adverſariorum impedimento inquilinis licuit, ſub ficu & vite ſuâ ſedentibus: imò ſignorum rationem habuiſſe in illo benevolentiæ Dei pignore illa omnia, quibus rerum ſpiritualium & cœleſtium veram jucunditatem obſignare populo electo placuit *Deus*, dubitandum non eſt.

§. 6. Quando dicit in præterito *dilexi*, provocat ad omnia tempora, quæ à Jacobo effluxerant uſque ad diem præſentem, quem ſcena refert: atque ita includit *conſtantiam amoris Dei ergâ Jacobum*, per tot ſecula comprobati, adeò ut vel ipſi dies explorationis intercedentes ne quidem argumentis gratioſi ejus amoris erga electos fuerint deſtituti, Deo tantummodo gratiam ſuam in vocatis electis per iſtas difficultates, & ſuorum conſtantiam manifeſtante. *Hæc amoris divini conſtantia* effecerat, ut per gratiam ſanctificationis ſibi ſemper ſemen electum paraverit, cujus in gratiam promiſſiones ſuas fœderales fideliter præſtiterat.

§. 7. Notatur ſimul electionem Jacobi unà cum ſemine ejus ſanctificando non habuiſſe ullam cauſam in *Jacobi* meritis, aùt nativitate: cum fuerit frater Eſavi uterinus, jure primogenituræ eo potiùs minor naturâ; cæterum cum eo ſub communi ſorte corruptionis natus, & propterea illo amore Dei æque ac Eſavus haud dignus. Proin libera fuit dilectio, quâ Jacobi poſteros ſibi in populum elegit Deus, prout etiam teſtatur, *Deut.* 7. 7. 10: 14. 15. Undè confirmamur in eâ doctrinâ, quæ tradit electionis gratiam ex mero Dei beneplacito eſſe derivandam, qui ipſe pro libertate ſuâ inter duos illos diſcrimen fecit, Jacobum eligendo & Eſavum repro-

probando. Undè Paulus citato hoc Malachiæ loco, de altiſſimo & prorſus imperveſtigabili electionis divinæ conſilio diſſerens ita colligit *Rom.* 9: 11. *cum enim nondum nati fuiſſent pueri, aut aliquid boni aut mali feciſſent (ut propoſitum Dei ſecundum electionem maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quod major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt; Jacobum dilexi, Eſavum autem odio habui.*

Verſ. 3. *Et Eſavum odio habui: & poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus draconibus deſerti.*

§. 1. Dilectioni Dei erga Jacobum opponitur *odium* ejuſdem erga Eſavum in dictis, *& Eſavum odio habui. Eſavus* (qui ponitur objectum odii divini) hic non aliter ac *Jacobus* in aſſertione antecedente concipi debet non ſolum in ſuâ perſonâ, ſed etiam in ſuâ poſteritate; quod evidenter conſtat ex ſubſequenti ſpecimine odii divini, procul dubio ad ejus poſteros referendo, qui illud ſeveritatis divinæ exemplum experti ſunt.

§. 2. *Odium Dei* notat juſtam Dei voluntatem, quâ Eſavum ejuſque poſteros ſervituti fratris ejus decrevit ſubjiciendos, & ex adoptionis gratiâ excludendos: undè cum cæteris gentibus rejectus eſt, Deo eum abire ſinente in viis ſuis, ſine Deo, & ſine ſpe promiſſionum divinarum.

§. 3. Specimen operis, in quo odii iſtius facta eſt manifeſtatio, allegatur, cum dicit, *& poſui montes ejus in ſolitudinem.* Dum *montes ejus* allegat; intelligit montanas illas oras, quas *Eſavus* Idumæorum parens incoluit, & poſteris ſuis inhabitandas reliquit. Mon-

Digitized by Google

tanæ fuerunt iſtæ regiones, atque ſaxetis aſperis horridæ, vocanturque in ſacris *montana Seir Gen.* 36: 8. *Deut.* 2: 4. & *Joſ.* 24: 4. Hi montes ad terræ ſanctæ auſtrum protenſi, atque ab Ægypti finibus uſque ad lacus Aſphaltitis extrema ſeſe porrigentes, hæreditati Judæorum proximè imminebant; ita tamen, ut à terræ ſanctæ finibus excludantur, dum iſtic ejus limites auſtrales ponuntur. Hic ſitus terræ *Seir* ex Iſraëlitarum itineribus, ingreſſum in terram quærentibus, conſtat. Illis enim, ex Arabiâ Petræâ revertentibus, cum terram ſuam trajicere negarent Idumæi, accidit, ut ultra mare mortuum viam ſuam inſtituere coacti fuerint, per terram Amoritarum pergentes. Vide *Num.* 20: 14-22. & 21: 4. 40 35.

§. 4. Hos *montes poſitos in ſolitudinem* dicit; quæ phraſis vaſtationem terræ innuit; quâ partim occiſis, partim abductis in captivitatem inquilinis, regio illa incolis ſuis Idumæis fuit orbata; ſaltem eo uſque, ut terram illam implere haud potuerint, & multas partes incultas relinquere fuerint coacti. Verbum שׁמם (undè שׁממה) carentiam ornatus & decoris indicat, aut privationem utriuſque: dum manus terram colentium abeſt, aut ablata eſt. Hinc *ſolitudo* eſt culturæ defectus, aut deſtructio; qualem introducit aut ablata cura, aut hoſtilis ſubverſio. Confer quoad phraſin *Exod.* 23: 29. Ita *Idumæa vaſtata erat* a Nebucadnezare juxta vaticinia *Jer.* 25: 17. 20-22. 27: 2-7. *Amoſ.* 1: 12.

§. 5. Ne autem putarent id caſu factum, Deus ſemet pronunciat iſtius devaſtationis *auctorem*, dum hunc effectum ſibi vendicat ut Judici, dicens: *ego poſui montes ejus in ſolitudinem.* Quod non ſolum notandum eſt propter doctrinam providentiæ Dei univerſalis, quâ omnia

Digitized by Google

omnia gentium fata gubernat, & ſine quâ ne quidem ulli malum aliquod triſte evenit, ut conſtat ex locis, *Dan.* 2:21. *Ieſ.* 40:23. 24. 45:7. Verum etiam propter veritatem comminationum divinarum, quæ probant hoc Judicium ex ſingulari Dei conſilio Idumæis fuiſſe illatum. Confer. *Ier.* 25:11. Coll. *Ier.* 12:14. 15. *Amoſ.* 1:11. 12. Hinc vaſtatio illa allegatur ut effectum judicii & iræ divinæ, ac propterea, ut ſignum odii, eo quod noluerit eam terram curare & conſervare Deus, ſicuti fecit terram promiſſionis; in ſignum, quod haudquaquam pertinuerit ad territorium theocratiæ ſuæ, dum ejus coloni non ſpectarint ad fœdus Dei.

§. 6. Addit *ſolitudini* immiſſionem *draconum deſerti*, dum ſubjungit, *& hæreditatem ejus draconibus deſerti.* Montana Seir vocantur *hæreditas Eſavi*; quia eam regionem accepit ſub ſpe diuturnæ poſſeſſionis, & quaſi ex ſecundariâ benedictione *Iſaaci* parentis.

§. 7. Hæc animalia תנות מדבר ſeu *dracones deſerti* vocantur, quos propriè dixeris monſtra deſerti: nam תנות proximè mihi dicuntur, quæcunque in viventium genere ut horrida & monſtroſa ſpectantur, qualia inter ſerpentes ſunt *dracones*; inter aquatilia *belluæ marinæ*: & inter animalia deſerti ſingularis noxiorum animantium ſpecies, quæ ſuâ pernicie homines terret. Inquirentibus in terribilem illam ferarum ſpeciem valdè veriſimile videtur (quod etiam Doctiſſimus Anglus propugnat) hic reſpici monſtroſam quandam & horridam vulpium ſpeciem, quæ carnibus humanis inhians, humo condita funera ex terræ viſceribus in alimoniam ſuam eruit, omneſque eremos terrificis ululatibus adimplet. Vulgo *jaccales* audiunt, & Arabibus à vocis ejulantis ſonitu *wawi* appellantur; quorum in hunc uſque diem magna in Oriente invenitur copia. Ut autem nomen hoc generale huic

ſpeciei applicetur, præſertim quandò mentio *deſerti* reſtrictionis gratiâ additur, nobis non diſplicet: ut *monſtra deſerti* audiant, quia loca deſerta amant.

§. 8. His *deſerti monſtris* cum *hæreditas* Idumæa dicitur *poſita*, notatur ejus extrema vaſtatio cum diutinâ terræ derelictione, imò perpetuâ ejus potius abjectione, quæ non patiatur, ut quis ejus culturam reaſſumat plenariò. Confer quoad phraſin. *Ieſ.* 13: 22. 34: 13. *Ier.* 49: 33. 51: 37. Verum quidem eſt, reliquias Idumæorum poſt vaſtationem à Chaldæis illatam, partem terræ rurſus coluiſſe; Sed non totam; imò ab indè partem ejus maximam derelictam quaſi acceſſionem ad deſertum Pharan factam fuiſſe: quæ autem exculta fuit regio poſt primum illud judicium ex Joſepho colligere licet ab Hebrone ſe ad angulum maris mortui protendiſſe: undè etiam *Ioſephus* Hebronem ad Idumæam refert.

Verſ. 4. *Quandò dicturus eſt Edom, depauperati ſumus, aſt reædificabimus vaſtata (ita dixit Jehovah Deus exercituum) illi quidem ædificabunt, aſt ego deſtruam.*

§. 1. Quoniam particula כִּי æquè tempus ac αἰτιολογίαν notat, nos priorem potius admittimus ſignificationem, ut ei reſpondeant verba, quæ ſequuntur, & ſenſus ſit, à quo conſultent de reſtauratione terræ, fore quidem ut ædificent, ſed Deum ſtatim curaturum ut illa molimina deſtruantur.

§. 2. *Edom* eſt *Eſavi* cognomen, quod ex etymo rufum ſignificat, quodque à turpi traxit facinore: quia rufo ineſcatus pulmento tam vili pretio fratri jus primogeniruræ vendiderat. Conf. *Gen.* 25: 30. Hoc nomen

Digitized by Google

men tranſiit ad poſteros, qui indè Idumæi dicti ſunt.

§. 3. Idumæorum confeſſio futura hic ponitur ut novi conſilii rationem, & anſam denuo deliberandi continens: ea diceret, *depauperati ſumus*. Verbum רשש videtur convenire quo ad ſenſum cum verbo ירש, cujus ſignificatio in *Pihel* eſt *depauperare*, vel etiam *deſtruere* (ut *Ier.* 5: 17.) quandò ad prædam auferendam omnia deſtruuntur, ut, quæ ſunt alicujus pretii & valoris, tollantur. Ita agnoſcunt invadentium armis effectum fuiſſe, ut omnes divitiæ, & quicquid alicujus pretii erat in ædificiis, fuerit abreptum & inter ſpolia abductum, nihilque ſpoliorum cauſâ fuerit integrum relictum.

§. 4. Verùm hic agnoſcentibus tribuitur novum conſilium de vaſtatorum reſtauratione: quippe qui quaſi deliberando dicerent *reædificabimus vaſtata*. In textu eſt hebraiſmus, ubi legimus, *aſt redibimus & ædificabimus*, id eſt, redibimus ad ædificandum quæ deſtructa fuerunt, quod idem eſt ac ſimpliciter *reædificabimus*, ut notet actum poſt prioris fruſtrationem repetendum.

Prædicit itaque prophetia tempus, quo Idumæi ſibi pollicerentur rerum reſtaurationem, & reditum ad priſtinam gloriam; fore enim ut converſâ belli aleâ, & fortunæ viciſſitudine urbes ſubverſas, vicoſque ex ruderibus antea deſertis reſuſcitent & inſtaurent: quam ſpem ex novâ temporis facie conciperent, quæ iſtis clementiorem portendere auram videretur. Conſ. *Ezech.* 35: 10.

§. 5. Allegat hic iterum auctorem prædictionis, dicens in parentheſi, *ita dixit Iehovah* Deus *exercituum*. Quaſi diceret, ita pronunciantem audivi Deum, & Idumæorum conſilia futura ut eludenda prædicentem. Commodè Jehovah hic Deus *exercituum* cognominatur in cauſâ bellicâ, ubi ſpectandus eſt ut qui bellorum ſe-

 det

det arbiter, cujus eſt rerum & armorum ſucceſſus ſolùm ex ſuo dirigere arbitrio.

§. 6. Huic conſilio ſatis temerario opponitur conſilium Dei, eodem oraculi ſermone manifeſtatum, ubi dicit *Illi ædificabunt* quidem, *aſt ego deſtruam*: ſc. quantocyus illi hoc conſilium & decretum firmaverint. Sententia autem hæc ſpondet Deum irritum facturum eorum decretum, atque effecturum, ut eâ ſpe excidant. *Ædificare & deſtruere* ſunt oppoſita: atque ſic verba בנה & הרם ſæpè opponuntur. Conf. *Pſal.* 28: 5. *Prov.* 14: 1. 24: 6. 42: 20. *Ier.* 45: 4. Concedit quidem fore, ut opus decretum moliantur, & rempublicam ſuam inſtaurare laborent Idumæi. Verùm negat incepti ſucceſſum: fore enim, ut Deus *deſtruat*, id eſt, ſuâ providentiâ ea omnia deſtrui curet, excitatis ad hoc hoſtibus, qui ſpem illam decollent, & nova illa molimina quaſi in herbâ opprimant: ſine Deo enim fruſtra ſunt omnia humana molimina. *Pſal.* 127: 1. Ita minatur alteram deſtructionem, Idumæis genti Judaicæ conjunctis & immixtis infligendam; de quo judicio multa legimus apud prophetas *Ieſ.* 34: 5... 15. *Ier.* 49: 7.. 22. *Ezech.* 25: 12.. 14. *Obad.* verſ. 16-18.

Tunc dicent illis, terminus improbitatis & populus eſtis, quem Jehovah ſevere tractavit in ſeculum.

§. 1. Conſequens repetitæ deſtructionis notatur, fore, quod *tunc*, à quo notaverint homines illud Idumæorum molimen ita eluſum, *dicerent illis* Idumæis, & in opprobrium objicerent, quod ſequitur. Non additur qui-

Digitized by Google

quinam ſint futuri iſti exprobrantes. Ex verſ. 5. tamen colligimus eos diſtingui à piis ex Judæis: undè clarum eſt illud dicterium aliis, qui forent ex gentibus, attribui. Imò verbum hìc accipiendum fortè eſt ex more Hebræorum imperſonaliter: atque ſic indicaretur quemcunque hominum facile ex iteratis ruinis, deſtructionum teſtibus, collecturum & definiturum quicquid in dictis ſequentibus continetur.

§. 2. Primum opprobrium, quod illis objiceretur, eſt, גבול רשעה *terminus Improbitatis* eſtis: id eſt regio & territorium, quod propter impia incolarum ſcelera talia promeruit judicii divini ſigna geſtare. Seu ditio, ob contractum impietatis reatum exſecranda. Abrupta eſt hæc phraſis & elliptica, qualia ſolent, quæ cum admiratione & ſtupore dicuntur. Senſus eſt, quilibet tantam in trajectione aſpiciens terræ vaſtitatem, prorumpet admirabundus in hanc deteſtationem: ô vos coloni! ut terra hæc veſtra facta eſt regio ſub reatu improbitatis eum in modum oppreſſa! ut dici mereatur *terminus improbitatis.*

§. 3. *Et populus eſtis* in ſpeciem. Vox עם *populus* ſolet dici de Iſraële, ſub theocratiâ vivente: quandò igitur Eſavi poſteritas hic audit populus, videtur cum illuſione hoc objici à cæteris gentibus, Idumæos ſpectantibus, ut jam ante proſelytas factos, qui admiſſâ circumciſione cum populo Iſraëlitico in unum corpus coälucrant.

§. 4. Huic populo objicitur, quod infeliciter ſe cum populo Judaico junxerit, factus cum eo reus, & prolapſus in judicium excandeſcentiæ Dei: dicerent enim gentes, vos populus eſtis, *quem Jehovah ſeverè tractavit.* Verbum זעם notat excandeſcentiæ divinæ opus, quo ſeveriſſimum Idumæis excidium inflixiſſet.

Digitized by Google

Lxx pro eo, quod eſt in textu hebræo, habent, λαὸς ἐφ᾽ ὃν παρατέτακται ὁ κύριος: quod reddendum, *populus, contra quem confligere paratus eſt Dominus:* quia παρατάττειν eſt aciem in bello ad pugnam diſponere: undè παράταξις eſt acies, cum in modum diſpoſita. Hujus autem auctor dicitur *Jehovah*, Judæorum Deus, ad cujus profeſſionem tranſierant: quippe qui cognoſceretur ut populum illum judicio populi Judaici quoad partem improbam implicans. Ita tangeret judicium Dei, populo Judaico perfido irrogandum, multò magis Idumæos.

§. 5. Effectum iſtius rigoris extenditur עַד עוֹלָם *in ſeculum:* adeò ut nunquam reſurgeret ille populus Idumæus in peculiarem gentem, nec unquam terram ſuam recuperaret. Ita omnis reſtaurationis ſpes illis abſcinditur: undè eorum judicium cum Sodomæ confertur interitu. *Ezech.* 25: 12-14.

Verſ. 5. *Etiam oculi veſtri videbunt, voſque dicetis: magnificabitur Jehovah ultra terminum Iſraëlis.*

§. 1. Prædictio manifeſtationis judicii Dei in Idumæos ſeſe nunc extendit ad pios, monens fore, ut illi æquè ac gentes ſint futuri ſpectatores vaſtationis iſtius feralis. Accentus *tipcha* ſub voce עֵינֵיכֶם emphaſin parit, & affectum indicat in dicente. Q. D. *Etiam oculi veſtri*, hi inquam *videbunt:* ſcilicet horrenda illa ſeveritatis Dei inter Idumæos veſtigia: nec tantum, ſed iidem oculi veſtri, in illud anathema Dei conjecti, etiam animadvertent conſilium ejus, de confirmando odio ſuo erga Edomum, dum manifeſtabitur ut improbus ex ſeveri-

veritate judicii in eum irrogati ; nec non de faciendo diſcrimine inter veros fideles & impios , Dei nomine in profeſſione Judaiſmi abutentes , atque cum Idumæis in communionem criminum venientes.

§. 2. Utilitas iſtius inſpectionis foret , quod exhinc colligerent , idque profiterentur , *Iehovam magnificatum iri ultra terminum Iſraëlis.* Alludit ad locum *Deut.* 32 : 3. *Date Deo noſtro magnitudinem* , quod ibi à cœlo & terrâ exigitur. *Magnificatur Iehovah*, non magnitudinis incremento , ſed ejuſdem ampliori manifeſtatione. *Magnitudo Iehovæ* notat infinitam perfectionum ſuarum præſtantiam : quæ ex novâ manifeſtatione amplius agnoſcitur : quando ſcilicet Jehovah ſemet in omnibus ſuis virtutibus , ad ideam Dei ſpectantibus , reddit conſpicuum : quod præ primis in Chriſto ejuſque regno fieret : tunc enim *magnificatur Deus* ; cum credentes in ipſo omnes divitias ſapientiæ & gratiæ aliaſque perfectiones agnoſcunt

§. 3. Hanc magnitudinem Dei colligerent ex judicio Edomi , qui animadverterent magnitudinem æquè ac ſpeciem improbitatis , ob quam eum in modum judicarentur. Nempe ſcelus eſſe contemptum Chriſti , ex abnegatione magnitudinis rupis noſtræ ortum. Hoc qui notarent , non poſſent non in judicio illo agnoſcere juſtificationem cauſſæ Chriſti , rupis ſalutis ; ejuſque magnitudinem cum glorificatione Dei profiteri.

§. 4. Additur id fore *ultra terminum Iſraëlis.* Vocula מעל ſequente ל notat id , quod excedit , atque adeo per præpoſitionem *ultra* verti debet. Sicuti *terminus* ſupra notabat *regionem* , ſuis terminis incluſam , ita etiam hic loci , ubi deſignatur tota terra promiſſionis , quam Iſraël ex primo teſtamento poſſedit , *ultra* quam euangelium de magnitudine Jehovæ in Chriſto

 demon-

Digitized by Google

demonſtratâ pergeret, & cum fide ſuſciperetur: ut hic notetur *fides & profeſſio magnitudinis Jehovæ*, Palæſtinæ limitibus haud includenda, ſed ulterius ad gentes propaganda: quibus ſpes datur Iſraëlem cum vocatione gentium hæredem mundi evaſurum ex novo teſtamento: prout etiam in prophetiis illa hæreditas mundi tanquam ſingularis N. T. benedictio ſæpius inculcata fuit.

§. 5. Notandum porrò illam *hæreditatis mutationem*, quâ mundi poſſeſſio ut bonum N. T. ſubſtitueretur loco poſſeſſionis terræ Canaän (quæ hæreditas erat V. T.) hic loci ex Idumæorum judicio (cui etiam Judæi apoſtatici implicarentur) eoque à gentibus agnoſcendo, concludi: gentes enim in cauſſam iſtius ſeveritatis Dei inquirentes, intelligerent reatum, quem improbitate contraxerant, eſſe contemptum magnitudinis Dei, in Chriſto ſe manifeſtantis, & ſeveriſſimo iſto ſupplicio cœlitùs punitum. Ex quâ gentium agnitione juſtum & promptum foret fidelium præſagium tempus adeſſe, quo gentes vocarentur ad fidem, & in communi magnitudinem Jehovæ in Chriſto manifeſtatam, & iſto judicio vendicatam agnoſcerent ampliùs, donec totus mundus evaderet hæreditas credentium, & theatrum profeſſionis magnitudinis Dei. Præſertim quandò iſta conferrent cum Prophetiis, cauſſam judicii iſtius eſſe rejectionem regni Chriſti notantibus: & vocationem gentium ad damnum illud reſarciendum unâ cum hæreditate mundi ſpondentibus.

Digitized by Google

VIS
RATIOCINII
DEMONSTRATA.

§. 1. IN anteceſſum notanda quæſtio, cui reſpondetur in hâc pericopâ: quâ erudiri cupiunt lugentes, & circa ſpem regni Chriſti ſolliciti, *quâ in re dilexerit illos Jehovah, & etiamnum diligat?* quippe qui in terrâ hæreditatis Dei nihil attigerint, quod non longè feliciori fortunâ teneant impii, & ſpei regni Chriſti ſpiritualis peſſimi corruptores: qui præſertim eo tempore, quo ſpes una piorum advenire debebat, orthodoxos ſperantes ſuâ potentiâ opprimere laborabant. Difficilia illa reſpiciunt tempora, quibus homines improbi, carnales, & rationem ſalutis peccatorum, in ſolo Chriſti adventu cum adductione juſtitiæ, ignorantes (inter quos præcipui erant *Idumæi*) rerum potirentur: à quibus veræ religioni haud leve imminebat periculum; fore propediem ut illi falſis ſuis dogmatibus, finem legis invertentibus, prævaleant, omnemque populum occupent; ut locus non ſit amplius futurus regno Chriſti dudum ſperato; ſine quo ſors ſperantium pejor foret ſorte impiorum. Videbatur illis Deus, impiorum iſtorum colluviei (partim ex haud ſinceris Idumæorum proſelytis, partim ex degeneri Judæorum gente coalitæ) prædominium in populo concedens, promiſſionum ſuarum de mittendo Chriſto, futuro ſalutis auctore, imme-

immemor; & ex eâ rerum facie ſpes omnis fidelium ferè decollata. Quibus poſitis juſta videbatur inquiſitio, quâ in re conſiſteret illa ſperantium prærogativa, aut quodnam amoris iſtius Dei ſingularis eſſet argumentum? ſi ſinat populum hunc totum impietate abſumi, & cum gentilibus conformitate morum componi.

§. 2. Monet Propheta Deum non obſtante illâ fidelium objectione & querelâ, repoſuiſſe affirmationem conſtantis amoris, indicans nihil eorum metuendum eſſe. Dicens enim, *dilexi vos*, diſtinguit inter *lugentes*, qui ſunt iſtius amoris verum & unicum objectum: & inter *profanos* illos homines, qui videbantur oppreſſuri cum orthodoxiâ omnes ſperantes. Dein notat ſe, non obſtante illâ rerum facie pergere in amore ſuo. Proin aſſerens conſtantiam amoris ſui ergà genuinum Abrahami ſemen, etiam in mediis afflictionibus & oppreſſionibus; docet eos, haud validam eſſe eorum objectionem: quia ex metu & ſollicitudine minimè fundatâ orta fuerat: metuere enim, quia prædominium impiorum non avertit Deus, fore, ut promiſſio de ſalute per Chriſtum adducendâ, & de populo regno Chriſti ſervando evaneſcat; eſſe effectum debilitatis carnis, non ſatis ad conſtantiam Dei attendentis. Tenendum erat, Deum in ſuâ temporum œconomiâ, ſalvâ amoris ſui erga electum ſemen conſtantiâ, obſcuriora iſtiuſmodi generis poſſe interponere intervalla, eccleſiæ quidem feralem exitum quoad externam ſpeciem minantia; ſed Dei amore in felicem pro cauſſa eccleſiæ eventum terminanda. Non fore, ut amor Dei eos deſerat, & eccleſiam ſuperari permittat. Dein credi jubet, ne quidem afflictiones & oppreſſiones iſtas arguere amoris defectum erga lugentes; ſed potiùs effectum, quo fiat; ut ita verè fideles explorentur, & glorioſius argumentum

ſum ex ſecuturâ è malis iſtis liberatione pro cauſſâ ſuâ capiant.

§. 3. Probat autem *amorem Dei* ita cum diſtinctione agere, nec vi fœderis cum Abrahamo omnes ex carne natos ſanctificare; ſed ſæpiùs adamatos per fratres carnales explorare: in quem finem adductum in foro Dei repetit exemplum, typum viarum Dei in familiâ Iſaäci exhibens; in quâ viſum eſt, ut *Deus Jacobum dilexerit*, *Eſavum* vero *odio habuerit?* & licet uterque eſſent ex Iſaäco filii Abrahami, & fratres uterini, quod nihilominus *Eſavus* non fuerit ſanctificatus, ſed cum ſuâ poſteritate ex hæreditate primi teſtamenti excluſus, atque *Jacobo* ad multam tentationem & explorationem relictus: quod non obſtante eo amore, quo *Jacobum* diligebat Deus, factum fuiſſe agnoſcendum erat: prout etiam *Eſavi* poſteritatem Judæis ad variam afflictionem (ſed aut caſtigationis aut explorationis rationem habentem) relictam fuiſſe, negare non poterant. Quidni ergò idem ſalvo fœdere Abrahami, Deique amore ergà ejus ſemen illi promiſſum, in populo Iſraëlitico fieri potuit? quod ſanè tunc cogitandum erat, quandò actu maximam & potentiorem partem cernebant non ſanctificatam; ſed ſecundum ſpiritum genitos prementem & hoſtiliter affligentem.

§. 4. Ut autem judicium ſuum rectiùs formarent, jubet Propheta ex Deo loquens, nihil de viis Dei ſtatuere, niſi ex eventu, juxta canonem *exitus acta probat*; & notare methodum viarum Dei, qui ad fidelitatem & potentiam ſuam in eventu glorificandam permittere ſolet, ut aliquandò res externæ eccleſiæ ad ultimum anxietatis terminum veniant, & à mundo pro deploratis habeantur, antequam cauſſam ſuorum aſſerat. Quod illis ſpectandum notandumque proponitur in exemplo e-

Digitized by Google

ejuſdem Eſavi, ſed in poſteris ſpectandi: & promittitur in futurum. Provocat Deus ad ſpecimen præteritum, quandò ſcena exitus fuit *hæreditatis Idumæorum vaſtatio*, cum ſubverſione totius regni facta: quum *Deus Idumæorum hæreditatem poſuit in ſolitudinem, & tradidit monſtris deſerti*: in quo opere manifeſtatum eſt, odium Idumæorum fruſtra tam diu molitum fuiſſe *Judaicæ gentis* excidium: imò invidiæ & livoris, ac poſtmodum ἐπιχαιρεκακίας, quibus inimicitiæ pluſquam internecinæ contra Iſraëlitas dederunt ſpecimina, pœnas retuliſſe profanam gentem. Nec obſtat, quod Judæi etiam in captivitatem à Chaldæis fuerint abducti, quodque cum illâ gentis ſuæ ſubactione etiam ſeveriſſimam terræ ſuæ paſſi fuerint vaſtationem: quoniam illa abductio ex eventu comprobata eſt non abdicationis, ſed purificationis divinæ opus fuiſſe; dum pars populi explorata & conſervata ſingulari Dei manu fuerit reducta, & in priſtinum ſtatum quoad veri cultus inſtaurationem reſtituta, redditis populo prophetis, rem omnem cum Principibus moderantibus. Quale quid Idumæorum reliquiis haud quaquam factum eſt. Proin comprobavit Deus differenti illo rerum exitu, quod etiam tunc in dilectione Jacobi perſeveravit, pios iſto judicio ab improbis prædominantibus liberando, mediis in explorationibus per donum perſeverantiæ conſervando, & libertati priſtinæ ad cultum nominis ſui reſtituendo.

§. 5. Nec contentus fuit Propheta allegaſſe ex divino iſto oraculo argumentum facti præteriti, effectum hinc amoris Dei ergà Jacobum, illinc odii ejuſdem ergà Eſavum continentis, atque ita vias Dei cum populo, ejuſque inimicis comprobantis. Verum accedit etiam ad expoſitionem eventus alicujus futuri, quem exſpectare, ut in eo ſcenæ exitum cernant, jubentur *lugentes*.

Digitized by Google

tes. Negat enim carnales prædominantes eſſe metuendos, eo quod cum Idumæis juncti, quorum creſcentem potentiam metuebant pii, compoſiti videbantur ad regnum Chriſti excludendum, & ſinceram fidei doctrinam cum profeſſoribus ejus opprimendam: fore enim propediem, ut Deus ſuos ſeparet à peſſimâ illâ populi parte, & cum Idumæis junctos illorum judicio implicet. In judicio igitur contra Idumæos denunciato continebatur *ſpes liberationis* piorum, & *manifeſtionis cauſſæ*, quæ inter profanos illos & pios diſceptabatur: dum ex gentibus multi intelligerent judicii cauſſam eſſe gentis *improbitatem*: & pii intelligerent *magnitudinem Dei*, rupis populi, agnoſcendam per univerſum orbem. Hic proin novus amoris Dei ergà Jacobum, & odii ejus erga Eſavum foret effectus.

§. 6. Notandum porrò ad *Eſavum* fieri provocationem; quia ea reſpiciuntur tempora, quibus *Idumæi*, profelyti facti, viderentur relligione Judæi, ſaltem quoad externam profeſſionem: animo tamen quoad maximam partem, ut eorum pater, profani; atque adeo cum profanis, & à puritate fidei recedentibus arctiſſimè juncti: adeo ut cauſſa utriuſque partis junctæ eſſet eadem. Proin, qui cum iis pios opprimere moliebantur, Idumæi animo facti, revera Idumæi cenſendi erant, eorum judicio implicandi, quoniam ſe eorum ſtudiis implicaverant. Ex quâ rerum facie argumentatio à fato Idumæorum in cauſſa præſenti ſtringit efficaciùs: quoniam cum illis juncti eodem judicio condemnarentur; dum ut acceſſio ad Idumæos habebantur, qui externâ illâ fortunâ abutentes, cum iis ſe Chriſto opponerent.

Digitized by Google

INDICATIO IMPLEMENTI PER HISTORIAM TEMPORIS.

§. 1. Difficilia illa tempora (quibus Judaica natio non ſolum doctrinam fidei & ſpei admodum videbat à doctoribus ſuis corruptam: Sed rectè ſentientes & numero & potentiâ reliquis longè inferiores, ac quoad externam fortunam infeliciores) nonquam ſcenæ viſionis viſa ſunt magis reſpondere, quàm cum Princeps Idumæus rerum potiri incepit inter Judæos. Is fuit *Antipater*, ex parente cognomine, quem Rex Judæorum Alexander totius Idumææ ducem conſtituerat, natus: hic ſe litibus inter *Hyrcanum* & *Ariſtobulum* immiſcens, Ariſtobulo infenſus, partibuſque *Hyrcani* ſtudens, pangit cum Aretâ Rege, ut *Hyrcanum* regno reſtituat; bello moto, cauſſa devolvitur ad *Pompejum*, qui terram Judaicam ingreditur, civitatem ſanctam, ipſum non admittentem, aliorum deditione occupat, atque templum oppugnando capit: hinc pontificatum *Hyrcano* reddidit, gentemque Romanorum poteſtati ſubjecit. *Pompejo* Romam redeunte *Scaurus* rem in Cœleſyriâ adminiſtrat: proximè ſequitur bellum civile, quo orto *Cæſaris* partes eligit *Antipater*, & poſt

& poſt ſtrenuè in Ægypto debellandâ navatam operam, *Cæſar Hyrcanum* declarat Pontificem, *Antipatro* dynaſtiam quamcunque optaret offert, & Procuratorem Judææ inſuper declarat. Ille poſtmodum ex liberis ſuis *Hieroſolymis Phaſaëlum*, *Herodem* Galilææ præpoſuit, qui ultimus ſub Triumviratu *Antonii* & *Auguſti Rex* creatur Judæorum: cujus poſteritas titulo Tetrarcharum aut Regio dudum gentem Judaicam rexit. Sub *Herodis* iſtius (qui magnus cognominatur) imperio difficilia fuerunt tempora. Populus in ſectas diviſus multum in communi deſcivit ab orthodoxiâ. Erant *Sadducæi*, qui ſuis ſpem vitæ futuræ eripiebant, dogma reſurrectionis mortuorum abnegantes: quos *Herodes* quoque habuit in amicitiâ & obſequio. Erant *Pharizæi*, qui maximâ apud plebem pollebant authoritate; homines teſte *Joſepho aſtuti & arrogantes, & interdum regibus infeſti*, magnam pietatem ſimulantes, & ſub illâ larvâ ſcelera ſua occultantes. Hi doctrinam de juſtificatione corrumpentes, veram ideam de regno Chriſti ſpirituali corruperant, atque nil niſi conceptum de felici armorum ſucceſſu & Monarchiâ Judaicâ in mundo futurâ ſibi de eodem formaverant. Qui juſtitiam & ſalutem animarum per Chriſtum adducendam unicè exſpectabant & ſperabant pauci erant, & ferè contempti. Imò & *Herodiani* dicuntur inter Judæos oborti, qui *Herodis* inſtitutis & moribus adſtipulabantur.

§. 2. Periculum, quod veræ fidei & paucitati orthodoxè credentium imminere videbatur erat veræ religionis exſtinctio. *Herodes* infanticidio Bethlehemitico videbatur ſpem omnem adventus Chriſti decolaſſe; cum ab eo tempore infans natus quaſi ex hominum numero ereptus videretur, quamdiu abhinc in occulto educabatur. Cæterum idem Herodes peregrinis ſtudiis inſtitu-

ta patrum, olim inviolabilia, corrupit; certamina enim athlethica aliaque ſpectacula inſtituens, & templa gentibus variis in locis ſtruens, novum gentiliſmum in populo parturire viſus eſt. Imò ſublatâ doctrinâ de adducendâ ſalute & juſtitiâ per Chriſtum, videbantur parum abeſſe Judæi à Deo ſuo gentili animo colendo. Sic & vera religio parùm ab interitu aberat, niſi pauci illi, faciem temporis lugentes, interceſſiſſent: quorum reliquias tamen propter prædominantium improborum prævalentem potentiam proximè opprimendas metuebant. Qui cum eâ tentatione luctarentur, ex metu rogant, *quâ in re* Deus eos dici poſſit *dilexiſſe* præ aliis? ita & piæ matres à Bethlehemiticâ ſtrage negabant ſolatium admittere, eo quod ille non adeſſet, in quo ſolo ſpes ſalutis erat fundata.

§. 3. Conditio Idumæorum eo tempore erat, quod ex *Herodis* & *Herodiadum* exaltatione ſibi ſponderent rerum ſuarum reſtitutionem. Terra eorum multùm vaſtata fuerat à Chaldæis, & fortè aliis, vide 2 *Macch.* 10: 16-23. ut tempore *Hyrcani* præter urbes *Adora & Mariſſam* vix videantur aliquid tenuiſſe alicujus momenti, quas tamen Hyrcanus cepit; qui ſubjugatis edixit, ut, niſi mallent è propriis pelli ſedibus, circumciſionem admitterent; quod ab iis amore patriæ etiam factum. *Herodes*, quàm primum regnum adeptus fuerat, *Coſtobarum* (penes cujus majores ſacerdotium Coze numinis gentis fuerat) *Idumææ ac Gazæ* præpoſuit, datâ in matrimonium Salome ſorore ſuâ: qui poſtea, licet fruſtra, moliebatur ipſe Idumæorum dominationem invadere, indignum ratus Idumæos ſervire hominibus, quorum ſacra & religionem acceperant. Imò alii etiam *Herodem* ſpectantes ut ſuæ gentis hominem animum reſumebant; quippe qui urbes varias inſtauravit, & in eâ

re

Digitized by Google

re maximos impendit ſumptus: inter quas *Sebaſte*, *Cæſarea*, *Hiericho*, nec non *Antipatris*, & *Anthedon*; *Gazam*, *Aſcalonem*, & alias civitates mirum in modum auxit & ſumptuoſis ædificiis ornavit. Hæc eos in ſpem gloriæ gentis admodum erigebant, fore, ut & ipſi reædificent deſerta ſua, & collapſa inſtaurent.

§. 4. Verum, qui dixit, *illi ædificabunt*, *ſed ego deſtruam*, effecit etiam, ut judicium illud deſtructionis venerit ſupra Idumæos: quicquid enim virium ſub *Herodiadum* regimine acquiſiverant, & ſuæ reſtaurationi impenderant, amiſerunt ſimul cum nomine gentis in bello Judaico, cum Romanis geſto, licet ſibi ex ſuis auxiliis, Judæis mittendis & miſſis multa præclara ſponderent. *Joſephus* gentem in hunc modum deſcribit, quod *eſſet turbarum cupiens & incondita natio*, *ſemperque ad motus facilis atque ſuſpenſa*, *& rerum mutationibus*, *minimiſque petentium blanditiis ad bella promtiſſima*, *& veluti ad feſtorum quandam ſolennitatem*, *ſic ad bella properans*. Hi (dum inter Judæos lis erat, an armis reſiſtendi eſſent Romani? & zelotæ tumultus concitarent, libertatem armis recuperandam & defendendam clamantes) leviter invitati cum exercitu viginti millium ſtatim præſto ſunt, & manum ſuam zelotis adjungunt ſub Ducibus quatuor Johanne & Jacobo Soſæ, ac Simone Cathlæ, & Phinea Cluſoth filiis. A pacificis excluſi, & ut ſeditioſis non accedant rogati, furorem concipiunt, ac noctu Zelotarum ope urbem ingreſſi, in templo ſeſe Zelotis jungunt: ubi horrendam edunt hominum ſtragem, ut occiſorum numerus ad octo millia & quingentos ſurrexerit: atque nondum ſatiati irâ, verſis in civitatem manibus, omnes domos diripiebant: Pontifices, quos invenire poterant, obtruncabant. Adigebant nobiles, adoleſcentes, alioſque

que

que, ut ſe ipſis ſociarent, miſerè tractantes, qui id negabant; ita duodecem millia nobilium perierunt. Quibus perpetratis hâc vice domum redeunt ſpoliis onuſti. Verum popediem *Veſpaſianus* appulit: atque Emmaunte urbe munitâ, in quâ quintam reliquit legionem, *cum cæterâ manu Bethlepton topàrchiam profectus eſt, captiſque duobus vicis in mediâ Idumæâ poſitis, Begabri* & *Caphar-topham, pluſquam decem millia hominum peremit; propè autem ad mille cepit, exactâque indè cæterâ multitudine, non parvam ibi militum ſuorum partem conſtituit, qui omnia montana loca incurſando vaſtabant.* Dum mortuo Nerone *Veſpaſianas* aberat, bello Judaico ſuſpenſo, *Simon Geraſenus*, novæ conſpirationis Princeps, contra Idumæos expeditionem facit, ſtratagemate operâ proditoris, fugam ex terrore ſimulantis, ſine ſanguine Idumæam intrat, *Hebron* municipium capit, in quo maximâ prædâ potitus eſt, multoſque fructus diripuit: hinc totam pervaſit Idumæam, non modo vicos & civitates depopulando, ſed NB. *exſcindendo etiam territoria:* nam præter armatos, quadraginta eum millia ſequebantur, ut his ne victui quidem neceſſaria ſatis eſſent. Ad has autem neceſſitates accedebat ejus crudelitas & inſuper iracundia, quibus magis vaſtari contigit Idumæam: & quemadmodum poſt locuſtas ſilva cerni ſolet frondibus ſpoliata, ſic etiam quâ Simonis tranſiiſſet exercitus, *à tergo ſolitudinem relinquebat*; & alia quidem comburendo, alia diruendo, & quicquid vel in civitate, vel in agris natum eſſet conterendo calcibus, aut depaſcendo delebant: perque terram cultam iter agendo, faciebant eam ſterili duriorem, prorſus ut ne quidem ſignum vaſtatis relinqueretur, quod aliquando fuiſſent. Romanis bellum denuò inſtaurantibus *Cerealis* cum equitum & peditum

parte

parte ante omnia ſuperiorem Iduinæam adeundo vaſtavit; & *Caphetram* caſtellum, ex itinere captum, incendit, alterum quod *Capharin* dicitur deditione cepit: quibus ſubjugatis in *Hebron* civitatem irrumpit, reliquam multitudinem, quam ibi offendit, cum puberibus interimit, oppidum verò ipſum exuſſit. Maximus Idumæorum numerus in obſidione & excidio civitatis ſanctæ unâ cum Judæis quoque periit; qui vix videbatur ex præcedentibus vaſtationibus ſuperſtes.

§. 5. Idem eveniſſe Judæis, & terræ eorum, quod Idumæis, in illo bello Judaico lippis & tonſoribus notum. Exciſa eſt civitas ſancta funditùs, & cum templi vaſtatione ceſſavit omnis ille cultus templo adſtrictus, ut in hunc uſque diem reſtaurari nequaquam potuerit. Gens Judaica partim exciſa, partim diſperſa eſt, & miſere ſervituti ſubjecta, ita ut poſt elapſa ſedecim ſecula ſemet reſtituere illi fuerit impoſſibile. Sentiit ita populus carnalis, ut cum Idumæis apud Deum habitus & iis annumeratus fuerit.

§. 6. Tam *conſpicua* fuerunt judicii & *ſeveritatis divinæ* in iſtâ exciſione *ſigna*, ut nemo non parum attentior agnoverit (pro ut etiam in hac pericopâ propheticâ prædicitur) gentis *improbitatem* in cauſſa fuiſſe, quod à Deo ſuo ita derelicti fuerint; ut horrendo iſti excidio in ſupplicium commiſſi ſceleris eos tradiderit vindicta Dei, omnem ſuam tolerantiam ſuper impiam gentem abrumpentis. Ipſe *Titus Veſpaſianus* dixiſſe fertur; *ſe Deo irato, populum ſuum ob peccata caſtigare volenti, manus ſuas accommodaſſe.* In hunc modum terra omnis, quam *Idumæi* & *carnales iſti Judæi* poſſederant, *terminus improbitatis* audiebat, ſeu territorium ob ſingulare improbitatis crimen exciſum. Qui ex gentibus ad fidem Chriſtianam convertebantur

in illis punitam fuiſſe Chriſti uncti ducis exciſionem,, ex collatione eventus cum Prophetiis, cauſſam iræ Dei in gentem profanam exponentibus, agnoſcebant.

§. 7. Hoc teſtimonium abdicationis populi carnalis, odium Dei non aliter ac Idumæi experti, cum vim haberet juſtificationis cauſſæ Chriſti, etiam juſtum dedit præſagium conſilii divini, de mutando teſtamento, & ſubſtituendâ hæreditate mundi loco hæreditatis terræ ita deſtructæ, quâcum junctum erat, quod per fidem gentium *Dei filius ut Deus magnificaretur extra terminum Iſraëlis*; in cæteris mundi partibus: quippe qui jam tum incepiſſet damnum populi ex multorum induratione paſſum, gentium vocatione compenſare: atque ita conſilium de gentium benedictione in ſemine Abrahami exſecutioni demandare. Præſertim ab eo tempore, quo oraculum ad Chriſtianos ex Judæis delatum eſt, quo juſſi ſunt indè migratione factâ in alias abire oras, ne communi cum popularibus involvantur judicio: undè diſcere poterant Deum extra terram, eum in modum profanatam & ſub anathemate poſitam, velle eccleſiam ſuam colligere, atque conſervare impoſterum; quò ſentiat *amoris ſui conſtantiam* populus, ad gratiam & ſalutem electus.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS PRIMUS:

Reatum

Contempti nominis Dei Sacerdotibus impingens.

§. 1. TRanſit hic Deus, Judicem acturus, ab inſtitutione piorum in populo (in eorum ſolatium ſuſceptâ) ad impiorum ejuſdem gentis convictionem & condemnationem. Hoc loco videas primum elenchum; in quo vendicat Deus gloriam nominis ſui à crimine contemptus & vilipendii; reatum exponendo, & prædictione judicii ſui reos condemnando.

§. 2. Quos hic reos arguit, & damnat, illi vocantur *Sacerdotes*, quorum munus erat ſacrificia in fide offerre, & in theocratiâ divinâ Deum, regem populi, muneribus venerari. Hi ſpectantur tanquam ad tribunal Dei vocati, ut arguantur criminis prædicti rei, & propterea aliquandò ſupplicio afficiendi: quippe qui nobiliſſimum illud munus non pro decentiâ Dei obſervaverant.

§. 3. *Piorum turba* quoque in repræſentamine hoc prophetico ſpectanda eſt, ut coram adſtans; quippe qui elenchum illum divinum audiunt tanquam teſtes; atque eo audito intercederent, elenchum Dei confirmaturi, nec non Sacerdotes ſuo ſermone interlocutorio

compellaturi, quos cum adhortatione quâdam, monent, ut ad ſaniorem mentem redeant, & commiſſos errores corrigant.

§. 4. Dum *crimen* imputatum ad titulum quendam, ſcilicet *contempti nominis Dei*, revocatur; illud ipſum ad majorem rei elucidationem exponitur ut *pollutio & profanatio Dei*. Quod crimen (cum in tertio præcepto teſtatus ſit Deus, haud impunitum eſſe dimittendum propter Zelum, quo Deus uritur in vendicatione gloriæ nominis ſui) exaggeratur ſimilitudine; contemni enim & pollui menſam Dei ab iis non aliter ait, ac ſi quis panem pollutum offerret in altari: aut hoſtiam cœcam, claudam, vel ægrotam offerret: ita enim ab iis corrumpi munus in vilipendium nominis Dei.

§. 5. Proceſſus juridicialis *accuſationem* connectit cum *comminatione* quâdam de Sacerdotum iſtorum ab altari rejectione, & aliorum, qui munus ſpirituale ad Deum adducerent, ſubſtitutione: quibus additur *exſecratio*, tales ab eccleſiæ communione excludens, & juſto ſupplicio ſubjiciens.

§. 6. *Diſceptatio cauſſæ* proponitur, ut cum variis exceptionibus & inſtantiis accuſatorum, crimen objectum diſſimulantium, luctans: in quo repræſentamine ſiſtuntur accuſari tanquam peſſimi *hypocritæ*, animum contra verbum convictionis eum in modum obfirmantes, ut nec verbum Dei gratioſum credant, nec comminationibus ejus cedant.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS

Elenchi primi. *Mal.* 1: 6-14.

COntinet præſens hæc diſceptatio divina

I. Accuſationem divinam, Sacerdotes populi Judaici arguentem: cujus hic occurrit

A. Propoſitio, crimen denominationi accuſandorum includens, & convictionem ex conſideratione Dei ut patris & domini conjungens. *Filius ne honorabit patrem? & ſervus Dominum ſuum? Quod ſi ego pater ſum, ubi eſt honor mei? & ſi Dominus ſum, ubi eſt timor mei? dixit Jehovah* Deus *exercituum ad vos, ô ſacerdotes! contemptores nominis mei.* verſ. 6 a.

B. Adſtructio accuſationis in ſermone reciproco: ubi diluitur

1. Exceptio tergiverſantium; cujus

a. Argumentum eſt negatio criminis: in poſtulato probationis per allegationem facti mali. *Dicetis quidem: quâ in re ſprevimus nomen tuum?* verſ. 6. b.

b. Reſponſio autem crimen recludit, & in oblatione panis impuri in altari reponit, dicens: *adducitis ſuper altare meum panem impurum.* verſ. 7. a.

2. Inſtantia hypocritarum: cujus notetur

a. Expoſtulatio, exigens, *quâ in re polluimus te* verſ. 7. b.

b. Reſponſio divina

1. Factum eruens; *dum dicitis*, inquit, *men-*

Digitized by Google

ſa Jehovæ contemptibilis eſt. verſ. 7. c.

11. Crimen exaggerans comparativè, addendo: *Nam cum adducitis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum & ægrotum, nonne malum eſt? offer hoc age Præſidi tuo; an complacebit ei in te? aut an ſuſcipiet faciem tuam? dixit Jehovah Deus exercituum.* verſ. 8.

II. Interlocutionem piorum adſtantium, atque Sacerdotes ad mutationem conſilii adhortantium; dicentes: *& nunc ſupplicate, age, faciem Dei; ut gratioſus ſit nobis: ex veſtrâ manu fit* (aut *factum eſt*) *hoc! an accipiet ullius inter vos faciem? dixit Jehovah Deus exercituum.* verſ. 9.

III. Interminationem divinam, quæ continet

A. Negationem complacentiæ; cum expoſitione conſilii de mutando ordine.

1. Negatio complacentiæ eſt in verbis. *Quis eſt inter vos, & claudat potius portas, ut non accendant altare meum fruſtra. Non eſt mihi voluptas in vobis, dixit Jehovah* Deus *exercituum, & ſacrificium non ſuſcipiam de manu veſtrâ.* verſ. 10.

2. Expoſitio conſilii Dei addit: *quandò ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus magnum erit nomen meum inter gentes; tunc in omni loco ſuffitus offerendus erit nomini meo, & munus purum, quia magnum erit nomen meum inter gentes, dixit Jehovah* Deus *exercituum.* verſ. 11.

B. Denunciationem Dei, prædicentis

1. Malum turpe, quod ex iſto principio in pejora ruerent. *At vos, profanantes illud, dum dicitis menſa Jehovæ polluta eſt, & germen ejus,* quod

quod attinet, *vilis eſt cibus ejus: etiam dicetis: ecce quid eſt defatigatio? ut faciatis eum animam efflare. Dixit Jehovah Deus exercituum.* verſ. 12. 13.

2. Malum triſte, dum prædicit ſe ſacrificia ipſorum nullo habiturum loco: addit enim; *Tunc adducetis raptum, claudum, & ægrotum; & adducetis munus. An acceptabo illud ex manu veſtrâ? dixit Jehovah.*

C. Exſecrationem condemnatoriam, quâ concludit hunc elenchum, ſubjungens: *Imò maledictus erit fraudulentus, cui in grege ejus eſt maſculus, & vovet ac ſacrificat corruptum Domino: quoniam Rex magnus ego ſum, dixit Jehovah* Deus *exercituum, ut nomen meum verendum ſit inter gentes.* verſ. 14.

EXPOSITIO TEXTUALIS.

Verſ. 6. *Filius ne honorabit patrem? & ſervus Dominum ſuum? quod ſi ego pater ſum? ubi eſt honor mei? & ſi Dominus ſum: ubi eſt timor mei? dixit Jehovah, Deus exercituum ad vos, ô Sacerdotes, contemptores nominis mei!*

§. 1. בן יכבד אב. *Filius ne honorabit patrem?* Vel *filius obligatus eſt honorare patrem.* Verbum כבד in formâ ſimplici notat *grave eſſe*, & præpondium habere in ſe: verum in formâ gravi ſeu duplicatâ ſignificat

cat ea agere, quæ alicujus ſuperpondium ſeu præcellentiam teſtantur; vertiturque *honorare aliquem*, quod nihil aliud eſt, quam cuiquam amore & ſtudio officioſo primum cedere locum, propter dignitatis & conditionis, quam poſſidet, præ aliis ſuperpondium. Ea relatio intercedit inter *filium & patrem*, ſeu natum & parentem, ut genitus in generantis ſubjectione naturali poſitus huic debeat honorem, & omnem exiſtimationem, tanquam ſibi præpoſito. Hanc legem naturalem videas non ſolum ex quinto decalogi præcepto adductam, quæ & aliis confirmatur locis, ut *Deut.* 27: 16. *Prov.* 30: 17. *Eph.* 6: 1-3 Verum etiam ut indubiæ æquitatis præceptum, inter omnes nationes agnitum, hìc loci allegatum. Hinc *lex de debito parentibus honore* inter quaſvis gentes recepta eſt. Huc facit illud *Pythagoræ.* Τὰς τε γονεῖς τίμα: & illud *Phocylidis.* Πρῶτα θέον τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας. Nemo ſanè gentium in tantum à naturâ ſuâ alienus eſt, qui non judicet parentibus, à quibus vitam & alia multa accepimus beneficia, honorem, reverentiam, & obedientiam deberi à liberis: quoniam ipſa ϛοργὴ, hominibus inſita, id dictat. Quare legitimè ut poſtulatum, extra controverſiam poſitum, hic præmittitur in ſermone divino.

§. 2. *Et ſervus Dominum ſuum?* additur, ut novum fundamentum convictionis. Hæc enunciatio priori cohæret ſub eodem verbo *honorandi*, atque ita quaſi præcepti quinti interpretationem continet; dum *Dominos* tanquam parentum vicarios conſiderat, quorum eſt officia parentum adimplere; *ſervos* monendo, erudiendo, & in quantum poſſunt ad fidem adducendo. Hos *honorare ſervorum* eſt: qui obligati ſunt *Dominos* ſuos agnoſcere tanquam à Deo ſibi præpoſitos; & ordinem

Digitized by Google

nem illum, ut Dei inſtutum, exoſculari. Verum, cum ſub honore illo debito etiam reverentia & timor contineatur, qui ſingularem in modum *ſervos* decet; & honor filialis natura plus amoris habeat, quam ſervilis, qui plus de metu participat; hinc in ſequentibus fit commutatio vocis, ut *honor* filiis, *timor* ſervis adſcribatur.

§. 3. Hiſce poſtulatis ſuperſtruit elenchus hanc convictionem, quâ infert Deus, *Si ego pater ſum? ubi eſt honor mei?* Præmittit hic ut in hypotheſi, *Si ego pater ſum?* Deus in confeſſione fidei Iſraëliticæ celebratur, & celebrari debuit, ut *pater:* quoniam ſeſe in adminiſtratione gratiæ quâ talem verè credentibus obtulerat. Vulgatum eſt in precibus Judaicis alloquium, quo Deum *ut patrem* compellant, ad imitationem dicti *Jeſ.* 63: 16. atque ex fide teſtimonii divini *Deut.* 32: 6. *Jer.* 31: 6. Hanc vulgarem confeſſionem reſpiciens, id jam aſſumit tanquam in confeſſo, & tranſfert ad hypotheſin, ſeu fundamentum convictionis.

§ 4. Ex iſtâ hypotheſi concluſionis loco hanc derivat interrogationem: *ubi eſt honor mei?* quem mihi ut *patri* debetis. Sic cum patribus noſtris naturalibus conferendus eſt *Deus*, ut illi haud minus debeamus, ob majora beneficia: meritò ergò poſtulat, ut illi quoque *honorem* tribuant *parentibus* debitum. *Honorare Deum* eſt ei in amore & omni ſtudio propter dignitatis & benevolentiæ ſuperpondium primum cedere locum. Ipſe proponitur ut *glorificandus Jeſ.* 58: 13. cui *gloria*, id eſt omniis præcellentia competit, 1 *Tim.* 1: 17. 6: 16. præſertim in relatione paternæ benevolentiæ, quæ ϛοργὴν parentum longè ſuperat. Conf. *Pſal.* 103: 13. 27: 10. *Mal.* 3: 17. Jam *Deum ut patrem honorantis* eſt, judicio mentis eum in hâc præcellentiâ

Digitized by Google

pro dignitate ſuâ agnoſcere, & tendentiâ voluntatis eum ita proſequi, ut eundem in iſto rerum ordine tanquam ſupremum & ultimum noſtrum bonum retinere velimus, atque in omnibus noſtris conſiliis ac deliberationibus pro moliminum noſtrorum fine & ſcopo habere; nihil ſuſcipientes, niſi quod ut medium legitimum ad gloriam Dei tendit. In iſthoc honoris exercitio *Deum patrem* monentem audit *in verbo* cum omni animi demiſſione & ſubjectione; *in precibus* eum alloquitur cum omni mentis devotione, & magnitudinis divinæ amplificatione. Quicquid pro communi vitæ uſu facit, ita moderatur, ut ſe & proximum aptiorem ſiſtat ad filialis obedientiæ officia feliciùs præſtanda: ac tandem pro nominis Dei gloriâ *certamen* alacriter contra ejus contemptores ſubit. Quando itaque rogat ut Judex, *ubi eſt honor mei?* Quos eum in modum interrogat, in foro conſcientiæ reſpondere jubet, idque probare factis jam præteritis præcipit, quorum rationes exigit, ſc. ut oſtendant, quibus rebus debitam iſtam obligationem ſolverint. Imò eos negligentiæ officii arguit, obteſtans ſe nullibi inveniſſe, & nullo in loco accepiſſe ab iis honorem debitum. Ita æquipollet interrogatio *ubi eſt?* aſſertioni, quod *nullibi* ſit. *Job.* 20: 7. 1 *Cor.* 1: 20. 12: 17.

§. 5. A relatione ſui ut patris tranſit ad relationem ſui ut *Domini*, dicens: *& ſi Dominus ſum? ubi eſt timor mei?* Notandum interim vocem *Adonai* hic in textu Deo ſummo & unico tribui in plurali, atque jungi cum voce ſingulari אם אדונים אני, quod propter myſterium trinitatis, ad pluralitatem perſonarum in unâ eſſentiâ ſignificandam fieri exiſtimamus. Ita judex Deus à Sacerdotibus exigit, ut œconomiam regni Dei in memoriam revocent, et patrem in filio et Spiritu Sancto theocratiam ſuam gubernantem agnoſcant. Titulum

Domini Deus ſibi vendicat, æque ac patris; non ſolum jure creationis; ſed ſpeciatim jure ſeparationis Iſraëlitarum in populum ſuum, in quo theocratiam erigens ipſe Dominatum geſſit, quemque *peculium ſuum* appellavit. Hoc Dominium Dei profitetur etiam eccleſia cum Davide: 1 *Chron.* 17: 20-22. ut in confeſſo ſit, id ipſum eſſe inter gloriationes Iſraëlis.

§. 6. Ex hoc principio derivat obligationem ad *timorem Dei*, qui eſt *reverentia numinis*, cum ſtudio nullâ in re huic domino diſplicendi, & curâ omnem ejus voluntatem exactè adimplendi; ne illi juſtam caſtigandi cauſam ullo offenſo ſuo præbeat, qui ſe ſervum ejus profitetur. Haud dubium eſt, quin reſpiciat ad *timorem* filialem, qui ex amore *Dei ut patris & domini* naſcitur; cui ob exiſtimationem ſummi boni in Dei communione quærendi, volupe eſt ei placere; et ne minimè quidem patitur ſe ab ejus gratiâ ejuſdemque ſenſu retrotrahi: nam, ita proponitur hoc officium, ut etiam partem faciat *honoris* Deo debiti, ſicut ex præmiſſo poſtulato conſtat. In hoc *Dei timore* eſt prudentia vigil, ad fugam peccati, bonam conſcientiam et pacem animæ lædentis, atque Spiritum Sanctum contriſtantis. Præprimis in *ſervis Dei*, cultum divinum in domo Dei adminiſtrantibus. Conf. 1 *Petr.* 1: 17. *Luc.* 6: 46. Interrogatio *ubi ſit debitus ille Deo timor?* iterum eſt Judicis, defectum *timoris iſtius* ad conſcientiam manifeſtantis: ut ſupra §. 4. fecerat in accuſatione defectus *honoris*.

§. 7. Hanc accuſationem exponit Propheta continere divinam convictionem à ſe in foro Dei auditam, dum rurſus addit, *dixit Jehovah Deus exercituum.* Conf. verſ. 2. et verſ. 4. ſc. cum ſe in throno judicem *mihi* conſpiciendum præberet.

Digitized by Google

§. 8. *Accuſati ſpeciatim* deſignantur, ſub nomine in foro nominato, *Sacerdotes:* qui (ut ex ſequentibus patet) hic ſpectantur, tanquam ſacrificiorum in domo Dei adminiſtratores; atque hâc in parte ut *ſervi* ſeu *miniſtri Dei*, in templo habitantis. In theocratiâ illâ, quæ inter Iſraëlitas obtinuit ſub priori teſtamento, Deus ſpectatus ut *Rex & Dominus* in populo ſuo, *templum* reſpici voluit palatii loco, & *Sacerdotes* inſtituit, ut miniſtros aulicos, qui munera populi ad ſe, tanquam ad regem gentis, deferant. Hi vero in officio honoris & timoris Dei non poterant deeſſe, niſi ſub contractione graviſſimi reatus, qui foret crimen læſæ majeſtatis.

§. 9 Hi interim denotantur titulo criminis, quo accuſantur, dum ſimul audiunt à Deo ipſo, *contemptores nominis ſui.* Oppoſita ſunt hinc *honorare & timere Deum*, illinc *contemnere nomen Dei*, nemo enim contemnit, quem diligit aut veretur: Jam contra, Deum non diligebant ut *patrem*, nec verebantur ut *dominum*, qui nec amore, nec timore Dei ab ejus contemptu arcebantur. In hoc crimine peccatum eſt contra tertium præceptum, prohibens *nomen Dei in vanum ſumere*, ſive id fiat in adſtipulatione fœderali: cum aut nomen Dei quis profitetur, aut Deum in precibus & gratiarum actionibus compellat. Sivè etiam cum nomen Dei ut teſtis & judicis falſi aut quocunque alio modo obtenditur ad fallendum. *Nomen Dei* notat in ſacris *Deum ipſum*, ſed cum connotatione *profeſſionis*, quatenus eum nominant, qui ſe ejus *ſervos* profitentur, & in ejus nominatione eum volunt videri in ſuis virtutibus & viis glorificare. Illud Dei nomen in ſacris ſpectatur igitur, ut reverendum. *Deut.* 28: 58. *Pſal.* 111: 9. circa quod Deus Zelotes eſt. *Exod.* 34: 14. Hoc *nomen*

con-

contemnere, eſt gloriæ nominati detrahere, atque ejus exiſtimationem imminuere; quod fit ab iis, qui vel ullam virtutem Dei abnegant, aut in precibus Deo debitam gloriam animitus haud concedunt. *Sacerdotum* erat, nomine populi ſacrificia offerre, & precibus eum Deo ejuſque gratiæ commendare: qui ab iis erat compellandus ut clemens, miſericors, peccata pœnitentibus remittens, ita tamen, ut maneat judex qui *ſontes non impunitos dimittat*, & legis ſuæ δικάιωμα non infringat. In aliquâ parte muneris iſtius notantur *Sacerdotes* in officio ſuo defuiſſe, *nomen Dei contemnendo*, dum illud pro dignitate ſuâ non glorificaverant: quod præprimis erat contra legem de moribus ſacerdotum *Lev.* 22: 6. *Sancti ſunto Deo ſuo, & non profanabunt nomen Dei ſui; offerunt enim incenſum Jehovæ, & panes Dei ſui: propterea ſancti erunt.*

Dicetis quidem: quâ in re ſprevimus nomen tuum?

§. 1. Poſt accuſationem *Judex* pingitur, ut exceptionem de non commiſſo reatu occupans, ubi fertur accuſationi ſubjunxiſſe, *dicetis quidem.* Deus, ſcrutator cordium & renum, hic repræſentatur, ut facilè prævidens, quænam cogitationes cordis, & dicta oris inſurgerent adverſus objectum crimen, ad illum reatum à ſe amoliendum. Defenderent illi cauſſam ſuam negatione criminis objecti, & poſtulatione probationis in cauſſâ facti.

§. 2. Poſtulatum probationis, quâ factum adſtrui petunt, eſt in verbis, *quâ in re ſprevimus nomen tuum?* Exigunt ergo facti aut factorum ſpecificationem, in qui-

bus ullatenùs honorem nominis Dei læſerint. Interim repræſentantur, ut diſciplinæ Dei haud feraces; qui ſe Deo accuſanti non ſubjiciunt, ſed cum fremitu & indignatione, ſibi admodum placentes, contra inſurgunt. Q. D. Rogas, *ubi ſit honor tui & timor tui?* id nobis adeò alienum occurrit à noſtro vitæ genere: ut contra rogare non dubitemus, *ubi nomen tuum vel minimo honoris defectu læſerimus?* Nota porrò, non moveri hactenus quæſtionem juris, ſed facti. Non negant enim *Dei nomen* eſſe *honorandum*, quod evidens eſt apud cujuſvis conſcientiam. Sed negant ſe ſibi alicujus facti eſſe conſcios, quod contemptum nominis Dei involvebat. Ita ſolent in externis hærentes, ſemet decipere, ac ſeſe arroganter divinæ accuſationi opponere, ſigna præbentes contumaciæ & hypocriſeos: ſic *Pontifices* pinguntur, ut exiſtimantes ſe rectè ſuo defunctos fuiſſe munere; quia in templo exornando, ſacrificiis offerendis, omnibuſque ceremoniis peragendis ſtudioſiſſimi fuerant; nec in quoquam, quod ad externam cultus Dei, in templo promovendi, obſervantiam requiritur, defecerant. Quare nec quicquam in ſe, quod *ad honorem & timorem Dei* exigitur, poſſe deſiderari arbitrabantur. Ex hoc faſtu igitur orituram ſuperbam illam interrogationis retorſionem facile percipitur.

Verſ. 7. *Adducitis ſuper altare meum panem impurum.*

§. 1. Ad occupatam reſponſionem repræſentatur Deus, ut effugium illud diluens, & poſtulato huic ſuperbo reponens. Rogantes, *quâ in re contempſerint nomen Dei?* per indicationem facti (crimen illud in ſe implicantis) non ſolum erudiuntur, ſed convincuntur.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Factum illud ponitur in *adductione panis impuri ſuper altare Dei*, quod erat non legitimè fungi munere ſuo ſacerdotali. *Panem* quandò dicit, notandum hoc per ſynecdochen partis pro toto eſſe accipiendum. Notiſſimum eſt panem in conviviis & uſu menſæ ſæpè ſumi pro omni cibo, qui cum pane in menſâ apponitur, & à convivis comeditur: quia eſt præcipua communiorque cibi pars, & alimoniæ ac refectionis fundamentum. Conf. *Gen.* 28: 20. *Prov.* 30: 8. *Jeſ.* 58: 7. Verum cum etiam *panes* offerri ſolerent inter ſacrificia, quæ מנחות dicebantur, etiam omnes aliæ ſacrificiorum ſpecies connotant. *Lev.* 22: 24. 25. Cogitant hîc quidam interpretes de panibus propoſitionis, quos menſæ aureæ imponebant, & ſingulis Sabbathis commutabant, de quibus agitur in lege *Exod.* 25: 30. *Levit.* 24: 5. 8. Aſt potior eſt eorum expoſitio, qui hæc dicta putant de ſacrificiis cibariis, etiam in ſacrificio jugi cum victimis conjungendis. *Levit.* 2: 1-11. quoniam *offerri* dicuntur *ſuper altare Dei.*

§. 3. *Altare* autem erat oblationis inſtrumentum, cui victimæ & ſacrificia panis imponebantur, quaſi Deo in cibum, undè in ſequentibus ſub nomine *menſæ Dei* deſignatur. Totum compoſitum erat altare ad ignem ſtruendum & fovendum, qui ſacrificia conſumere ſolebat. Dicebatur autem munera ſanctificare; ſeu Deo ut ſacra vendicare, quò à cibo communi ſeparata ſint.

§. 4. Erat autem ſacerdotum omnia populi munera *adducere ſuper altare.* Verbum נגש *accedere* in hiphil הגיש notat *adducere.* *Exod.* 21: 16. Nec non *offerre.* *Amos* 5: 25. Sicuti ergo *accedere ad Deum* eſt ſacerdotum, *Exod.* 19: 22. *Jer.* 30: 21. Ita quoque eorundem eſt ſecum adducere & offerre ſacrificia: quippe qui à populo adducta munera accipiunt, & ad altare

tare adducunt, eique imponunt jure vocationis ſuæ. Ita innuitur *Sacerdotum* eſſe, videre quid accipiant & ad Deum deferant.

§. 5. Quod autem in horum donorum adductione culpatur, eſt eorundem *impuritas*, dum *panis oblatus*, ſeu adductus ſuper altare Dei vocatur *pollutus*. Lxx ἄρτυς ἠλισγημένυς: dicitur autem ἀλίσγημα de cibis & eduliis impuris & immundis. Juxta legem omnia Deo conſecrata debent eſſe munda, & nullo modo polluta; qualia cenſentur omnia haud le: tima, & defectiva, *Lev.* 22: 20. *Deut.* 15:21. Sunt viri docti, qui objectam *panum impuritatem* de tritico, à paleis haud bene mundato, aut alio modo corrupto capiunt; quaſi vitium in materiâ panis notaretur. Verum haud probabilè eſt ullo tempore tale quicquam fuiſſe admiſſum à Judæis, literæ legis rigidiſſimis poſt captivitatem Babylonicam obſervatoribus: nec ulla ratio eſt, cur Sacerdotes talia vitioſa munera è manu populi acciperent: neque, ſi hoc intenderet divina reprehenſio, illis facilè fuiſſet in controverſiam vocare, num in eo peccatum eſſet? uti fieri in ſequenti inſtantiâ cernimus. Alii ergò potius hic de *impuritate morali* cogitant, quæ ſacrificia polluebat; quandò non in fide Chriſti venturi offerebantur: de quâ impuritate polluente loquitur Paulus *Tit.* 1: 15. Erant autem munera & reliqua ſacrificia quaſi vicaria hominum, quorum loco ſubſtituebantur; & umbræ Chriſti. Quod ſi homines pravis imbuti opinionibus & vitiis, fide autem in Chriſtum deſtituti, nihil de corpore iſtius umbræ cogitantes, talia munera ad Deum ſibi conciliandum adducerent, & *Sacerdotes* illos corrigere non laborarent; quid aliud faciebant? quam *pollutum panem adducere ſuper altare Dei.* Hunc in modum & dona afferentes, & eadem offerentes, ſc. plebs

plebs infidelis & Sacerdotes eam probantes, utrique *panem polluebant*, & ſacrificia *impura* faciebant, dona Deo ingrata adducentes: quod tamen *Sacerdotibus* hîc potiùs imputatur, quorum erat rem totam perveſtigare, & curare, ut populus juxta finem legis ſua adducat munera: Illorum enim erat *diſcernere inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum Lev.* 10: 10.

Dicetis quidem; quâ in re polluimus te?

§. 1. Refertur hic prævisa à Deo improborum *Sacerdotum inſtantia*, quam iterum præoccupat. Sic repræſentantur tanquam elencho divino cùm pertinaciâ & impudentiâ adhuc contradicturi *Sacerdotes*; quippe qui priori reſponſo non cedentes, crimen adhuc diſſimularent, & obtegerent. Ita cæci illi duces nondum intelligerent factum, in quo crimen contempti nominis Dei involvi objicitur.

§. 2. Inſtantia illa pertinax ponitur in novo poſtulato, ut dicatur ipſis, *quâ in re polluerint Deum?* quod ſe videre poſſe negant, & ut clariùs demonſtretur exigunt. *Accuſatio contempti nominis Dei* ponebatur *in panis*, quem ſuper altari Dei adducebant, *pollutione*, ſeu *ſacrificiorum impuritate.* Ipſi commutant inter ſe dicta, *nomen Dei contemnere*, panem pollutum offerendo, & *polluere Deum*, ad quem quaſi cibum *impurum* adducunt. Impura comedentes, quod purum erat ex lege polluebant, *Hag.* 2: 14. 15. Ita ſi Deus *pollutum cibum* ut gratum admitteret (qui loco offerentium erat) ipſe cum hominibus pollutis communionem haberet; atque ſic quaſi ipſe *pollueretur*, id eſt, ſanctus non maneret; cujus rei auctores eſſent *Sacerdotes*: Deum pro talibus orantes. Aſt negant ſe eſſe ejus rei auctores: nec ſe ſcire,

cur

Digitized by Google

cur illis hoc crimen imputari poſſit? erat enim illorum officium munera, juxta legem ceremonialem *pura*, ad altare deferre; & in iis quemcunque Iſraëlitam aut circumciſum Deo precibus interceſſoriis commendare: quibus factis exiſtimabant ſe omnibus muneris ſui partibus feciſſe ſatis.

Dum dicitis; menſa Jehovæ contemptibilis eſt.

§. 1. Sequitur ulterior Dei reſponſio, diligentiùs crimen exponens, à quo ſe excuſare Sacerdotes non poterant; illudque ponit in dictis eorum, quando apponit, *dum dicitis:* ut culpa eorum lateat in dictis, id eſt in cogitationibus, judiciis, & doctrinâ, quæ omnia in cauſâ erant, cur ſacrificia ita polluebantur.

§. 2. Hæc doctrina (pollutionis cauſa) erat profeſſio; *menſæ Jehovæ* injuriam faciens. *Menſa* autem *Jehovæ* vocatur *altare*, munera populi (panem nempe unà cum ſacrificiis reliquis) Deo quaſi in convivium apponens (*Ezech.* 41: 22. 44: 16.) habent enim *ſacrificia inſtar cibi*, Deo ad comedendum oblati: eorumque per ignem cœleſtem conſumptio inſtar *comeſtionis*: quibuſcum jungebatur grati odoris cauſſâ ſuffumigium quaſi ad ἀνάπαυσιν, & animi refectionem. Ita ſignificabat Deus ſe familiariter cum Judæis cohabitare, non aliter ac ſi eodem domicilio, ac eâdem cum ipſis menſâ uteretur; præ primis, quandò agnoſcimus ſolam victimarum partem Deo oblatam, partem verò aliam fuiſſe abſumptam à Sacerdotibus, & aliquandò etiam à populo offerrente. Sic videbatur Deus ipſorum conſuetudine delectari, & viciſſim amare velle, à quibus tam amanter ad communem menſam invitabatur: fuit enim

Digitized by Google

enim ſemper inter eos, qui communi utebantur menſâ, ſumma neceſſitudo.

§. 3. *Menſa Jehovæ* dicebatur altare, ad extollendam rei dignitatem: quippe quam Deus verus, *Jehova*, Deus Iſraëlis ſibi conſecrari juſſerat, & apud quam ſui communionem & familiare ſuum commercium cum populo ſub iſtis ſymbolis teſtari voluit. Quanti ergò eſt illud commercium cum Deo gratioſo, tanti facienda erat illa *menſa Jehovæ*.

§. 4. Illi verò accuſantur contra feciſſe, ſeu contra illam *menſæ* dignitatem peccaſſe, & in eo *nomen Dei contempſiſſe*, *Deumque* ipſum *polluiſſe*, quandò dicebant *contemptibilem eſſe menſam ejus*: ſeu non magni precii aut æſtimii rem eſſe: imò vilem: quo ſenſu venit vox נבזה *Jer.* 49: 15. *Pſal.* 15: 4. 22: 7. *Jeſ.* 53: 3. Hoc per interpretationem dici ſtatuendum eſt, ut rem ritè intelligamus. Senſus eſt, Sacerdotes talia docere, quæ ſi admittantur, efficiunt, ut altare Jehovæ non pro dignitate rei agnoſcant, qui ad illud accedunt. Hoc faciunt, qui finem legis non intelligunt: adeoque verum uſum altaris & ſacrificiorum doctrinâ ſuâ pervertunt. Supponitur *altare* cum ſacrificiis, inſtar menſæ cibis inſtructæ conſideratum, ad *ſanctificationem nominis Dei* eſſe inſtitutum, atque monere offerentes, Deum non redire cum peccatore in gratiam ſine intercedente peccatorum expiatione, per Chriſtum in plenitudine temporis præſtandâ, qui eſt *panis vitæ*, & cujus ſpiritus æternus ſanctificaret carnem ſuam fractam, & deſtructam. Contra ſentientes autem & docentes efficiebant, ut homines cum ſacerdotibus in opere externo rituali acquieſcerent. Qui non credunt *altare ſanctificare munus*, quatenus illud typus eſt Chriſti, ſpiritu æterno ſemet ad ſacrificium ſanctificantis; illi ex *menſâ*

iſtâ Jehovæ faciunt *rem vilem*, & nullius pretii. Quæ ſententia efficit porrò, *ut res polluta ſit*, quicquid ita ſine fide offertur, imò & ſine verâ pœnitentiâ.

Verſ. 8. *Nam cum adducitis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi adducatis claudum & ægrotum, nonne malum eſt? Offer hoc age Præſidi tuo: an complacebit ei in te? aut an ſuſcipiet faciem tuam? dixit Jehovah Deus exercituum?*

§. 1. Nota hic argumentum procedere à comparatione; quâ *moralis impuritas* confertur cum defectu ceremoniali in ſacrificiis: quæ erant ſignificativa *puritatis*, quam in ſponſore æquè ac in offerentibus poſtulabat Deus. Idem ergò eſt, ſi in animo offerentis deſint conditiones requiſitæ, ac cum defectus eſt in re offerendâ, quam quaſi ſuo loco ſubſtituit, qui munus ſuum defert.

§. 2. Hypotheſis in argumentatione eſt; *cum adducitis cæcum ad immolandum, & ſi claudum & ægrotum adducatis*; altari ad immolationem imponendo. Notiſſimum eſt legem prohibere oblationem animalis, quod non ſit integrum; quæ inter vitia enumerat (ſacrificium haud acceptum facientia) *cæcitatem*, *claudicationem*, & alios quoſdam morbos, hic ſub generali voce *ægroti* comprehenſos: *Levit.* 22: 18-24. *Deut.* 15: 21. In Theocratiâ ſuâ Deus voluit honorari rebus pretioſis & optimis: præprimis, quia ſacrificia integra ſignificabant, ſacrificia placere Deo, quæ offeruntur ab homine integro; contra verò, quæ proveniunt ab homine

mine impio, ſeu à pollutâ conſcientiâ, illi eſſe abominationi. *Prov.* 15: 8. 21: 27. *Eccl.* 5: 1. *Jeſ.* 1: 11. Quod autem in ſacrificiis placet eſt *fidei ſinceritas* in offerente, quâ *Habel Deo placuit* in oblatione ſuâ, ut interpretatur Paulus *Heb.* 11: 4. ejuſdem fidei effectus, qui eſt *purificatio cordis*, à *cæcitate* ignorantiæ, *claudicatione* hypocriſeos duplicitatiſque cordis, & *ægritudine* pravorum affectuum hominem ſanans: quale quid *fidei* tribuitur. *Act.* 15: 9. Hanc ſignificationem legis abnegaret, & contra hominem vitioſum Deo poſſe commendari ut ritè eum colentem aſſereret, qui ſacrificia, eum in modum deformia, Deo in cibum gratum offerret.

§. 3. Poſitâ hâc hypotheſi ſubſumit, *nonne hoc malum eſt?* ſcilicet malum turpe, lege prohibitum? & annon tendit in vilipendium *altaris*, ut menſæ Jehovæ? ac propterea diſpliceret Jehovæ? Interrogatio iterum æquipollet affirmationi, ſcilicet revera hoc *malum eſſe:* & ſuperaddit eam rem etiam apud conſcientiam Sacerdotum, legem tenentium, manifeſtam eſſe: qui non poſſint non agnoſcere, quod talia ſacrificia diſpliceant Deo, atque reatum *ſpreti altaris*, quod hiſce profanatur, nec non *contempti nominis Dei*, cujus lex de ſanctificando ſuo nomine hiſce conculcaretur, includant.

§ 4. Hæc ſi vera ſint? neceſſe eſt, ut idem ſtatuant de ſacrificiis, quæ ab improbis, mente *cæcis*, animo *claudicantibus*, & ex pravis affectibus *ægrotis*, fide cor purificatum non habentibus, proveniunt: quoniam ſacrificia homines improbos Deo gratos facere non poſſunt, quod ex ipſâ lege colligere poterant, *Lev.* 26: 31. *Num.* 16: 15. munera enim hominum pollutorum erant, ut munera polluta; quæ pari paſſu ambulabant.

§. 5. Quo autem vilipendium Dei magis conſtet, ſu-

mit argumentum ab hominum exiſtimatione in communi. Jubet, ut id offerant Præſidi, dicens, *Offer hoc age Præſidi tuo:* utquè ita capiant experimentum, quomodo exciperentur? Vox פחה & פחת notat præfectum, ſeu præſidem, qui ſuperioris authoritate regioni adminiſtrandæ præpoſitus eſt. Conf. *Nehem.* 2: 7. 3: 7. 5: 14. 2 *Reg.* 18: 24. Hoc titulo etiam *Zorobabel* inſignitur. *Hag.* 1: 1. quia regnum Judæ penitùs extinctum fuit in *Jechoniâ*, & *Zedekiâ*: Zorobabel autem Regis Perſarum erat ſolùm præfectus. Concipitur autem populus in ſcenâ præſenti, ut ſine rege proprio vivens, *à præſide* (muneribus quandoquidem placando) *gubernatus*, qui authoritate regis alicujus ſeu Monarchæ extranei rempublicam Judaicam adminiſtraret. Huic jubet, ut experimenti gratiâ, ſimile munus defectuoſum, vel hoc ipſum mittant. Eſt hìc tacita collatio inter *Deum regem populi*; & hominem *præſidem*, humanâ auctoritate præpoſitum: adeo ut prior dignitate hunc poſteriorem infinitis modis præcedat: ſi enim hìc tale munus interpretaretur *Præſes* vilipendium continere dignitatis ſuæ; quanto magis ille, qui ut *Deus & Rex populi honorandus* eſt. Fundamentum iſtiùs judicii fundatur in eo, quod quilibet in pretio muneris cenſeat exprimi donantis animum, quo loco habeat eum, quem donariis honorat.

§. 6. Hinc inquirit in eorum ſpem: an ita facientes audeant ſibi ſpondere, præſidem eorum gratum habiturum munus illud! Hoc ſibi vult interrogatio ſubjuncta. *An complacebit ei in te?* id eſt, an te cum iſtis muneribus tuis ſuſcipiet in gratias; & ſi eum tibi placatum cupias propter illud donum, an propterea tecum redibit in amicitiam? Nonne potius eum magis offendes? & à te alienum reddes?

§. 7.

§. 7. Dein occupat exceptionem, quâ cogitet fortè aliquis, ſpem admiſſionis ſe ponere poſſe in gratiâ intercedentis: quare alternativè ſubdit: *aut an ſuſcipiet faciem tuam?* Phraſis illa hebraica *ſuſcipere faciem alicujus* notat aliquem placidè benignèque reſpicere; eundemque intercedentem ob benevolentiam erga eum admittere, cui aliquid gratificetur. Conf. *Gen.* 19:21. 32:20. 1 *Sam.* 25:35. *Job.* 42:8. *Thren.* 4:16. *Sacerdotes* erant interceſſores pro populo: ſicuti & Reges ac principes habebant, qui illis erant à miniſterio, etiam in muneribus à populo accipiendis, & ad ſeſe deferendis. Hi licet grati cenſeantur principibus, ad hoc munus ab iis delecti; non poſſent tamen grata facere talia munera: ſed potius ea acceptando contra ſeſe irritarent principum animos: quorum eſſet potius tales cum iſtiuſmodi donariis reprehendere, & à ſe abigere.

§. 8. Repetit iterum in fine illud jam ſæpius expenſum: *dixit Jehovah* Deus *exercituum*, monens ſe ad eos deferre convictionem Dei, quâ eum fuiſſe uſum in foro teſtatur.

Verſ. 9. *Et nunc ſupplicate, age, faciem Dei, ut gratioſus ſit nobis: ex manu veſtrâ factum eſt hoc! An accipiet ullius inter vos faciem? dixit Jehovah Deus exercituum.*

§ 1. Exhibet hic verſus interlocutionem piorum; qui concipiuntur, ut *Sacerdotes* in cauſſâ ſacrificiorum ſuorum, quæ ad eos adducunt, *ad officium hortantes*, & ut vitia ſua corrigant, monentes. Evidens eſt, hîc loqui homines, gratiam Dei quærentes, & deſiderium animi teſtantes verbis, *ut gratioſus ſit nobis Deus.* Nemo

Digitized by Google

mo dubitat, quin talis ſermo ſit piorum fidelium, ad Dei gratiam confugientium: qui vitia populi effugerant; & vitia Sacerdotum lugentes, ab iis exigunt, quomodo velint, ut pro ſe intercedant.

§. 2. Petunt hi à Sacerdotibus interceſſionem per preces ſupplicatorias, quando dicunt, *& nunc ſupplicate age* Deum. Phraſis Hebraica חלות פנים ex etymo notat vultum ſeu *faciem laxare & lenire:* ex uſu verò aliquem precibus uſque ad pudorem negandi quod petitur urgere; & ſic ſupplicationibus eouſque flectere, donec vultum exhibeat à ſeveritate iræ relaxatum; qui pacati animi ſignum eſſe ſolet. Vide *Exod.* 32: 11. *Job.* 11: 19. *Pſal.* 45: 13. 119: 58 *Prov.* 19: 6. Hæc interceſſio ſupplicatoria, quam pii poſtulant, majorem, quam vulgo fieri ſolebat, in precibus Zelum exigit; atque animi demiſſionem.

§. 3. Hanc à *Sacerdotibus* exigentes, indicant partem muneris eorum conſtituere, ut etiam apud Deum intercedant pro populo: quod ex lege, & praxi conſtat. *Num.* 6: 23. *Joël.* 3: 17. 2. *Sam.* 12: 19. 23. Hinc ſacrificium juge junctam habuit thurificationem, ſub precibus adminiſtrandam, *Luc.* 1: 9. 10. quibus cauſſam populi & quorumcunque offerentium Deo commendare tenebantur. Illi, in hâc parte muneris ſegniores, nunc excitantur ut ſeriam magis intenſionem animi applicent.

§. 4. Dum addunt *nunc age*, innuunt oportunitatem temporis eſſe captandam. Quærendum eſſe Deum, dum invenire licet. Maturandam eſſe ſupplicationem, antequam dies iræ in flammam erumpat.

§. 5. Neque prætereundum, quod eos *ad faciem Dei* ablegent; per quam commodè intelligere licet Legatum fœderis Dei, qui non ſolum *Legatus faciei Dei* audit.

audit. *Joſ.* 63: 9. ſed & ipſe *facies Dei Exod.* 33: 14. 15. uti etiam *Mal.* 3: 1. Et jure merito, quoniam per hunc Dei Legatum peccatori ſolum aditus ad thronum gratiæ divinæ patet, & ipſe demum interceſſor eſt, qui Deum quærentes illi gratos facere, illiſque Deum conciliare poteſt. *Job.* 33: 23-25. Ita poſtulant fideles, ut hi ſacerdotes ſuas *ſupplicationes ad verum mediatorem* Deum inter & homines deferant, eumque cum populo concilient, quò ejus patronum agat, ſicuti in diebus antiquis. In hoc poſtulato, opus ſupplicationis eum in modum dirigente & circumſcribente, notatur etiam tacitè; quid Sacerdotum in precibus ſit corrigendum? ſcilicet quod *Filium Dei* in opere ejus mediatorio non ritè cognoſcentes, *non quæſiverint in ſupplicationibus*, ut ſolum & unicum gratioſæ exauditionis fundamentum; cujus tamen in gratiam Deus ſolummodo peccata remittit, & populum parcere in diebus iræ viſus eſt. Qui igitur *Legatum faciei Dei* non curaverant in ſacrificiis & precibus annexis; nunc rogantur *obnixè* â piis, defectum illum obſervantibus, ut ſuſpiria ſua *ad eum* deferant, quem ſibi *patronum apud Deum* cupiebant, & à cujus patrocinio atque interceſſione ſibi tantùm placatum numen & gratiam ſpondebant.

§. 6. Succeſſus, quem ſibi ab hoc agendi modo ſpondent, exprimunt verbo ſubſequente ויחננו *& gratioſus erit*: vel *ut gratioſus ſit*: *vau* copula enim ſæpiſſimè eſt *vau conſecutivum*; quod fieri putandum eſt, quotieſcunque finem operis copulat cum ſtudio & mediis præmiſſis, ad finis iſtius conſecutionem ſpectantibus. Finis autem, quem intendunt pii in precibus eſt *Deum invenire gratioſum*: præſertim iis temporibus, quæ ob corruptos in communi mores omnia mala mi-

nantur. Inter præclaras Dei virtutes eſt *gratia*, à quâ *gratioſus* audit. *Exod.* 34: 6. dicitque in Deo voluntatem non agendi cum peccatore pro ejus merito, ſed redeundi cum eo in gratiam; quâ remiſſione reatus intercedente avertit ab eo pœnam promeritam propter ſponſionem aut ſatisfactionem Chriſti. In Legato fœderis dicit voluntatis clementiam, quâ ſuſcipit in ſe patrocinium interceſſionis apud patrem pro homine naturâ Dei gratiâ indigno, ſed propter electionem tamen cum Deo conciliando.

Agnoſcunt autem pii nexum inter ſupplicationem per ſponſorem ad Deum debitâ humilitate delatam, & acquiſitionem gratiæ: ſupponentes Deum nunquam fruſtrà quæri, ſi ad modum præſcriptum quæratur. *Jeſ.* 45: 19.

§. 7. Neceſſitatem iſtius poſtulati (modum interceſſionis pro populo ad præſcriptam normam corrigant *Sacerdotes* rogantis) ſubjungunt pii, proximè divinam coarguitionem juſtificantes, cum dicunt: *Ex veſtrâ manu ſit hoc*; aut *factum eſt hoc*. In voce זאת emphaſis eſt: & cum relativa ſit particula reſpicit crimen in accuſatione Dei objectum; quod ſimul exaggerat; quaſi dicerent, *tantum ſcelus*! quod vos munere iſto ſanctiore planè facit indignos, *ex manu veſtrâ profectum eſt*. Hoc cum ſtupore pronunciant. Quare neceſſitas poſtulat, ut non pergant in opere iſto, quin in anteceſſum crimen profitendo reatum illum deprecari non ceſſent.

§. 8. Ratio connexionis eſt; quia Deus aliàs non exhiberet ſe *gratioſum* ergà eorum oblationes, propter eorum perſonas haud gratas: quid enim ſibi vult aliàs interrogatio adhærens. *An accipiet ullius inter vos faciem?* quam quod negationem includendo aſſerat, *tales ſacerdotes*, niſi reatum, ex tali crimine contra-

ctum,

ctum, ſupplicando deprecati fuerint, *non admiſſurum Deum*, ut iis quicquam gratificetur. De phraſi vide ad verſum præcedentem.

§. 9. Confirmant autem ſententiam ex dictis Dei: *dixit* (inquiunt) id eſt, jam mentem ſuam expoſuit *Jehovah* Deus *exercituum*; cumque ejus ſententiá ſtandum ſit, oportet, ut juxta dictum illud Jehovæ vitia veſtra corrigatis.

Verſ. 10. *Quis eſt inter vos? & claudat potiùs portas, ne accendant altare meum fruſtrà: non eſt mihi voluptas in vobis, dixit Jehovah Deus exercituum, & ſacrificium non ſuſcipiam de manu veſtrá.*

§. 1. Tranſit jam ſermo (quem Deus repræſentatur reaſſumpſiſſe) à convictione ad judicium, per modum comminationis propoſitum: incipiens à declaratione diſplicentiæ ſuæ in eorum ſacrificiis, ita præter finem legis tractatis.

§. 2. Verſio vulgata textum pauló aliter reddens ita ſe habet. *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito?* quaſi Sacerdotum culpa exaggeraret Deus ab ingratitudine, eo quod lautè ex altari viventes tantò turpius res divinas deſpicatiſſimè tractarent. Verum, hoc parum cum ſequentibus cohæret; quæ *ſcopum ſermonis Dei* eſſe *rejectionem ſacrificiorum*, eo modo oblatorum, evincunt. Inter *Sacerdotes*, & *Levitas* erant diviſa templi munia: *janitores*, qui portas curabant; & *focicuratores*, qui ignem altaris fovebant, ne unquam extinguatur. *Claudere portas* eſt arcere ſacerdotes, omneſque alios ab ingreſ-

 ſu,

ſu, quorum erat cultum in ſacrificiis perpetuare. Revocemus ad animum atrium Iſraëlis & Sacerdotum peculiari muro, variis ædificiis inſtructo, fuiſſe incluſum: in quo atrio altare holocaumatum erat ſub dio; & templum ipſum huic ab occidente. Hinc ingreſſus non patebat niſi per portas, orientalem, meridionales, & ſeptentrionales, quibus clauſis fiebat excluſio. *Incendere altare* erat primum requiſitum ad ſacrificia, imo etiam ad thurificationem, quæ etiam non fiebat, niſi per prunas, ex altari holocaumatum ſumptas, & ad altare aureum delatas: adeo ut ſublato aut non accenſo igne in altari holocaumatum nulla ſacra ritualia, ad ſacrificia ſpectantia, fieri poſſent.

Claudere portas hic concipitur ut opus, quo impedimentum poneretur, ne foci ſacri curatores ignem alant in altari perpetuum. Ita *vau* à nobis vertitur ut *vau* conſecutivum. Procul dubio *talis portarum occluſio* concipi debet vigente lege moſaicâ, ut opus haud pium. Hinc rectè accipiunt dicta, qui Deum loqui de potiore exiſtimant: quaſi dicat, ita deteſtor veſtra ſacra, eum in modum polluta, ut malim nulla adduci ſacrificia, quam iſta polluta, & tam perperam factitata; & velim potius aliquem reperiri, qui templi valvas ac atriorum portas perpetuis obſeret repagulis, ne ulli Sacerdoti unquam pateret aditus; quam ut pergant iſtis ſacrificiis polluere altare meum: vel eſſe, qui ignem extinguant, ſaltem non foveant in uſum iſtorum ſacrificiorum, quàm ut profanare altare non ceſſent. Magnum erat crimen filiorum Aharonis, Nadab & Abihu, qui ſuâ inertiâ paſſi fuerant ignem cælitùs delapſum alimoniæ defectu periri. Sed id jam minùs cenſetur & optabiliùs, quam eo abuti ad oblationes profanas.

§. 3. Additur vocula חנם, quæ vertitur *fruſtrà*,

ſine

Digitized by Google

ſine cauſâ, ut excludat omnem fructum & effectum deſideratum. Conf. *Iob.* 1: 9. 2: 3. *Prov.* 1: 11. 17. 3: 20. 24: 28. 26: 2. *Ezech.* 6: 10. 14: 23. Hæc vocula jungi poteſt cum accenſione altaris; atque ità ſenſus eſſet, in *claudente portas* Deum approbaturum opus aliàs horridum, ſi ex Zelo excludendi ſacrificia fruſtranea id faceret; attendens ad dictum *Ieſ.* 1: 13. *Ne adducatis ultrâ ſacrificium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi.* Verum etiam abſtrahi poteſt hæc vocula, quæ per accentum diſtinctivum *tipcha* à præcedentibus quadantenùs divelli videtur in textu: atque ita illud *fruſtrà* erit pars ſententiæ Dei, quæ declarat fruſtrà eos agere: ſicuti declaravit facientes mandata hominum *fruſtrà ſe colere.* *Ieſ.* 29: 13. 14. Coll. *Matth.* 15: 9.

Septuaginta optativum in indicativum reſolvunt: legunt enim; *διότι καὶ ἐν ὑμῖν συνκλεισθήσονται θύραι, καὶ ἐκ ἀνάψεται τὸ θυσιαστήριον μοῦ δωρεὰν.* Sanè in optativo dicendi genere tacitè includitur prædictio comminatoria, quæ decretum Dei præſupponit de claudendis aliquandò portis atrii divini, & extinguendo igne altaris, ne ampliùs profanorum iſtorum hominum ſacrificia excipiat.

§. 4. Ratio dictorum eſt in iis, quæ adduntur: *non eſt* enim *mihi voluptas in vobis.* Vox חפץ cum præpoſitione ב notat *voluptatem* ſeu *delectionem*, quam quis capit in re aliquâ, dum eam approbat, & gratam habet: Eccleſia N. T. vocaretur ex *Jeſ.* 62: 4. חפצי בה *Voluptas mea eſt in eâ.* Nunc cum negat ſe *delectari illis*; phraſin adhibet Davidis 2 *Sam.* 15: 26. ac includit Dei diſplicentiam. Cum ſacrificia externa per ſe grata non ſint Deo, omnem ſuam gratiam accipere debent à perſonis offerentibus: quæ fide placent tantummodò. *Ita Habel majorem præ Caino oblatio-*

nem fide obtulit Hebr. 11: 4. 6. & *ſacrificium improbi Deo eſt abominationi. Prov.* 15: 8. 21: 27. Quæ Deo placent cum excluſione ſacrificiorum ſunt probitas: *Hoſ.* 6: 6. & ſacrificia ſpiritualia. *Pſal.* 51: 18. 20.

§. 5. Hujus conſequens ſubjungitur, *& ſacrificium non ſuſcipiam de manu veſtrâ.* Hoc enunciatum exponit conſilium Dei, de non accipiendo ampliùs ſacrificio è manu ſacerdotum ordinis Aharonici, ut ex ſequenti verſu conſtat, ubi alterius ordinis ſacerdotium & ſacrificia monet ſubſtituenda. Cum tempore N. T. Deus non admitteret ampliùs ſacrificia legalia, atque eum in finem tolleret omnia cultus iſtius inſtrumenta & adminicula: nam abdicaret *ſacerdotes Mal.* 3: 12. *ceſſare faceret ſacrificium & munus*, *Dan.* 9: 27. & relinqueret populum, *ſine ſacrificio & ſine altari Hoſ.* 3: 4. quod argumento eſſet, *Deum non ſuſcipere* velle *ſacrificia de manu ſacerdotum iſtorum*, & quidem eo uſque, ut ſacrificia ſacerdotum iſtius ordinis ne quidem ut grata haberet, ſed tolleret.

Verſ. 11. *Quandò ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum erit nomen meum inter gentes; tunc & in omni loco ſuffitus offerendus erit nomini meo & munus purum; quia magnum erit nomen meum inter gentes: dixit Jehovah Deus exercituum.*

§. 1. Exponit poſt rejectionem cultus Levitici alium cultum, inter gentes frequentandum, quem abhinc mutato loco acceptum haberet: eundemque differt in tempus paullò poſt futurum; cujus temporis nota eſt particula

cula כי, quam primo loco in ſignificatione temporali, altero in ſenſu ætiologico accipio. In priori loco ei reſpondet *Vau*, ſenſu etiam temporali; ſignificans *tunc*.

§. 2. Tempus deſcribitur à notâ, quæ eſt *magnitudo nominis Dei inter gentes ampliſſima.* In præcedenti pericopâ ſpem ſuam teſtati fuerant fideles verſ. 5. *magnificabitur Jehovah ultra* terminum ſeu *territorium Iſraëlis.* Nunc, cum tacitâ relatione ad illud dictum ait; *magnum erit nomen meum inter gentes*, & quidem *ab ortu ſolis uſque ad occaſum:* id eſt, ampliſſimè, per totum orbem. Monuimus jam ante ad verſ. 6. *nomen Dei* denotare Deum ipſum, ſed cum connotatione profeſſionis & cultus, in quibus celebratur à virtutibus & decentiis viarum ſuarum. *Magnum nomen Dei* eſt laus Dei in confeſſionibus, ob magnalia in viis quibuſdam ſingularibus manifeſtata. *Pſal.* 76: 2. 99: 3. *Jer.* 10: 6. *Magnum* dicitur fore *nomen Dei*, quoniam omnia maxima ſeu μεγαλεῖα τȢ͂ θεȢ͂ prædicarentur de Deo, quæ ei maximam conciliarent laudem & auctoritatem. Hanc famæ prædicationem exſpectabant ab *evangelio regni Chriſti*, cujus expoſitio laudem gloriæ gratiæ Dei in Chriſto, quam in regni iſtius fundatione præparaſſet, inque ejuſdem adminiſtratione diſpenſaret, ſummoperè extolleret: atque tantâ cum evidentiâ & demonſtratione manifeſtaret, ut ubique inveniret credentes, ſeſeque regno illo Dei *magno* numere ſubjicientes.

Quandò id futurum *inter gentes* dicitur, hoc cum contradiſtinctione ad *Judæos* affirmari putandum eſt: ſcilicet *Nomen Dei contempſerant Sacerdotes*, ei debitam laudem detrahentes. Nunc monemur Deum, nominis ſui vindicem, ad aſſertionem gloriæ ſuæ, hoc ipſum

ipſum nomen ſuum, inter Judæos violatum & prophanatum, patefacturum cum ſummæ magnitudinis illuſtratione *inter gentes.* Ita verbum euangelii, celebrans magnalia Dei, foret verbum vocationis gentium, inter gentes propagandum, & plurium adductione ad fidem accipiendum.

Amplitudo manifeſtandæ magnitudinis Dei porrò definitur *ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus*, id eſt per orbem univerſum, quam latè patet; ab oriente ſole, uſque ad occidentem. Hanc ſpem firmant quoque alia dicta prophetica: *Pſal.* 8: 2. *Jehovah, Domine noſter, quam ingens eſt nomen tuum in totâ terrâ; propter* τὸ *ponere majeſtatem tuam ſupra cœlos.* & *Pſal.* 113: 2. 3 4. *Sit nomen Jehovæ benedictum à nunc uſque in ſeculum. Ab ortu ſolis ad occaſum ejus celebratur nomen Dei. Excelſus ſupra omnes gentes eſt Iehovah: ſupra cœlum eſt gloria ejus.* Phraſis alludere videtur ad urbem ſanctam, undè exiret lex Chriſti ad gentes in orientem & occidentem. Sic pomæria regni Chriſti forent *à mari uſque ad mare, & à fluvio uſque ad terminos terræ.* Conf. *Pſal.* 72: 8-11.

§. 3. Cultus iſtius temporis ponitur *in incenſo & munere puro: nomini Dei omni in loco offerendis.* Tenendum hic loci cultum N. T. apud prophetas exprimi vocibus, à cultu rituali V. T. deſumptis, ſed ſpiritualiter intelligendis & exponendis; dum nomen umbræ transfertur ad rem ſignificatam. Conf. *Ieſ.* 19: 29. 66: 23. *Zach.* 14: 16. *Mal.* 3: 4. quâ de re Judæi erudiuntur, ſi oculos aperiant, iis in locis, ubi aliàs ſacrificia ab œconomiâ N. T. excluduntur.

Primo loco ponit מקטר מגש muctar muggaſch, *incenſum adducendum.* Vox קטר de quolibet fumo & vapore, ſurſum adſcendente, dicitur. *Gen.* 19: 25.

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. 148: 8. Hinc fit tranſlatio ad omne id, quod mediante igne in fumum reſolvitur: ſive ſit victima cum adipe, quandò Deo adoletur: ſive ſuffitus ex thure aliiſve aromatibus. קטרת Semper de ſuffitu aromatum accipitur. In textu eſt participium Hophal, quod quaſi nominaſcit: notatque id, *quod adolendo in fumum reſolvendum* eſt, atque huic rei deſtinatum erat. Ita latiſſimè & victimam adolendam, & ſuffitum aromatum notare poteſt in literâ. Verum, cum iſta adolenda & incenſa typi fuerint rerum ſpiritualium, quales ſunt *laudes* & *preces*, ut monemur ex *Pſal.* 141: 2. coll. cum *Apoc.* 5: 8. 8: 3. hoc loco prædicitur fore, ut gratiarum actiones & preces ſub N. T. loco ſuffitus & rerum adolendarum ſint *adducendæ* ad Deum.

Altero loco ponit Deus מנחה טהורה *munus purum*. Vocem מנחה ad verſ. 10. expendimus; atque hîc loci ad oblationem panum ex ſimilâ & oleo confectorum alluditur, qui etiam in ſacrificio jugi agnis mactatis addebantur quotidiè. Hinc aliquandò ſtrictiſſimè ſacrificium juge veſpertinum *mincha veſpertina* vocatur: ut *Dan.* 9: 21. *Pſal.* 141: 2. In cultu ſpirituali *munus ex panibus* ſpiritualibus ad Deum adducendum eſt hominum per fidem & converſionem ex quâcunque gente ſanctificatorum præparatio, quos miniſtri Dei ad Deum adducunt, eique in cibum gratum ſiſtunt. Hanc rem egregiè illuſtrat locus *Jeſ.* 66: 20. 21. *& indicabunt gloriam meam in gentibus: & adducent gentes fratres veſtros ex omnibus gentibus* NB. munus *Jehovæ . . . quemadmodum afferebant filii Iſraëlis munus in vaſe puro ad domum Jehovæ:* ubi nota homines ipſos adducendos vocari *munus Jehovæ*. Ita converſio gentium ad Chriſtum, per prædicationem euangelii promota, Apoſtolo dicitur *oblatio accepta*, cujus ſe dicit eſſe λει-

τεργὸν ἱερεργῦντα τὸ ἐυαγγέλιον. *Rom* 15: 16. Confer etiam *Phil.* 2: 17. *Purum* autem dicitur illud *munus*; quia illi omnes *cor* haberent *purificatum fide*, & conſcientiam emundatam ſanguine Chriſti.

§. 4. *Nomini ſuo* dicit hæc adducenda, in gloriam nominis ſui, & cum invocatione nominis ſui ſuper illos, quippe in nomine Dei obſignandi in communione fœderis: fieri enim non poſſet, quin Deus nomen *gratioſi* & *ſancti* referret, quandò tales in gratum ſibi cibum acceptaret. Imò ipſa *magnificatio nominis Dei* foret ſacrificium ſpirituale תודה pecuinis multo gratius. *Pſal.* 66: 2. & 4. 69: 31. 32. Col. *Pſal.* 50: 23.

§. 5. Quod in iſto cultu meliori etiam tanquam peculiare quid notatur, eſt: quod *omni* ſeu *quocunque in loco* fieret iſta oblatio. Sacrificia externa ritualia in V. T. alligata erant civitati ſanctæ, ſeu templo externo manu facto. Verum ſub œconomiâ N. T. (quæ ſola ſpiritualia admitteret) cultus ille ſpiritualis non foret certo loco adſtrictus: ſed contra quibuſcunque in locis fieret, & Deo foret acceptus. Hoc eſt ſingulare beneficium N. T. ſeu *libertatis Chriſtianæ*, ſolutum eſſe à lege adeundi altare manufactum; atque ita à ſacrificiis externis, Deum per ſe non placantibus, quieſcere. Hinc gentes ſpectantur, ut dandæ in filios ex alio fœdere. *Ezech.* 16: 61.

§. 6. Additur etiam ratio, cur in toto orbe ita frequens foret cultus iſtius obſervantia; *quia magnum erit nomen meum inter gentes*. Hæc dictorum repetitio hîc non eſt inanis, aut ſine emphaſi: in capite hujus commatis allegatum fuit hoc, ut ſignum temporis & nexum temporalem indicaret. Hic verò nexum cauſalem notat, monetque euangelium regni (quo *magnitudo nominis Dei* innoteſceret *inter gentes*) vim habiturum efficaciſſimæ rationis, gentes permoventis & ad fidem

Digitized by Google

dem, quâ ex ſtatu peccati in ſtatum gratiæ transferantur, pertrahentis. Conſiſtit ſanè præconium euangelii in *notificatione nominis Dei*, *Pſal.* 22: 23. neque fieri poſſet, ut illa notificatio orbem pervaderet, & Deus à gentibus euangelium aüdientibus non cognoſcatur ſecundum magnitudinem nominis ſui: & cum derelictione idolorum fide agnoſcatur: qui agnoſcentes ſe lubenter traderent adducendos cum precibus & gratiarum actionibus ad Deum.

§. 7. Propheta etiam hæc referens ad dicta *Jehovæ* Dei *exercituum*, quæ in viſione audierat; ſimul rei convenientiam innuit. *Jehovah*, quo nomine ſe characterizat Deus Abrahami, cum ſit *Deus exercituum*, conſilio ejus conſentaneum eſt, ut aliquando celebretur inter gentes, & illæ quoquè numerentur in exercitu ſuo. Imò ſubinnuit ſe tempeſtivè id monuiſſe, ut ita præoccupet objectionem; dicat enim aliquis; ſi atrium claudatur inter nos, ut nemo accendat altare, aut cum munere te adeat, ceſſabit etiam omnis cultus nominis tui. Cui cogitationi occurrit, monens ſe per Zelum pro gloriâ nominis ſui gentes ſurrogaturum, quas legati ejus per orbem egreſſi adducerent ſibi in verum cibum & munus acceptum. Ita ſcriptura prophetica prædixit rejectionem Judæorum anſam daturam vocationi gentium. Confer quæ diximus ad *Deut.* 32: 21. Nec tantùm hoc monemur, verum etiam, gentes, Chriſto ſeſe per fidem ſubjicientes, non laturas jugum, quod Judæi tam moleſtè tulerant; ſed ſtatim cum fide uſuras libertate Chriſtianâ, ſpiritualia ſolùm in cultu curantes, ſine obſervantiâ rituum legis; quo cultu ſpirituali ſolo Deus erit contentus, atque illi placerent affatim.

Digitized by Google

Verſ. 12. 13. *At vos, profanantes illud, dum dicitis, menſa Jehovæ polluta eſt, & germen ejus quod attinet, vilis eſt cibus ejus: etiam porrò dicetis: ecce, quid eſt defatigatio? ut faciatis eum animam efflare: dixit Jehovah, Deus exercituum.*

§. 1. Monet nunc porrò illos Sacerdotes piorum monita non audituros, ſed perrecturos in pejora: fore enim, ut radix illa infidelitatis excreſcat in omnia amara. *Vau* hìc accipimus ſenſu adverſativo, ut fiat oppoſitio inter ſacerdotes Vet. & Nov. fœderis.

§. 2. Compellat vehementiori quaſi animi affectu Sacerdotes iterum, dicens *at vos*, ubi accentus diſtinctivus elocutionem aliquantiſper ſuſpenſam relinquit. Dein crimen denuò includit in denominatione accuſatoriâ, illos vocans *profanantes illud*, quid aliud? quam nomen Dei, magnificè ſub N. Teſt. prædicandum & puro munère glorificandum.

§. 3. Exponit autem iterum illam profanationem nominis inveniri in illorum dicto, quo ajunt *menſam Jehovæ pollutam eſſe*. Reperuntur hæc ex verſ. 7. ſed cum aliquâ amplificatione. Ibi tribuitur hiſce profanis quod dixerint, *menſam Jehovæ contemptibilem* eſſe, quæ ibi expoſuimus. Nunc illis adſcribit dictum, *menſam Jehovæ pollutam eſſe*. Non putandum eſt eò impudentiæ progreſſos fuiſſe unquam Sacerdotes, ut blaſphemas adeò voces palam protulerint; cum illud omni careat exemplo. Quare hoc interpretativè dici de iis cenſendum eſt: ſolet enim ſcriptura impiis dicta tribuere, quæ dictis eorum inclu-

includebantur, ſi legitimè evolverentur. Quod ſi tamen cuiquam id dictum duriùs videatur, deliberandum, an non potius vertenda ſint verba textus, *dum dicitis, menſa Jehovæ eſſe, illud pollutum.* Hæc vocum diſtinctio non malè cum textus accentuatione convenit, ſenſumque præbet longè molliorem. Sermo Dei tunc concipiendus eſt cum indigitatione ad altare, quod Deus quaſi manu ad illud protenſâ appellat מגאל הוא *Illud pollutum*, ut Dei hæc ſit declaratio. Sacerdotum verò crimen erit, illud, quod Deus pollutum declarat, adhuc habere pro *menſâ Iehovæ*, cujus cibum Deus gratum habet, & ut ſuum accipit. Subjectum de quo malè dixiſſe dicuntur Sacerdotes eſt altare, quod Deus hic ut pudendum in modum *pollutum* reſpici jubet, propter admiſſionem hominum pollutorum. Prædicatum, quod non niſi cum injuriâ erga nomen Dei, ejuſdemque cum profanatione, adeò polluto altari tribui poterat, & tamen tribuebatur à Sacerdotibus, erat titulus *menſæ Iehovæ:* nam, huic dicto includitur aliquid, quod erat contra decentiam Dei: adducere enim *fide deſtitutos* ad Deum, eoſque commendare Deo, ut legitimè communionem ejus quærentes, & iis gratiam remiſſionis peccatorum ſpondere nomine Dei, eſt abnegare Chriſtum finem legis, altare ſacrificiis inſtructum facere medium conciliationis peccatorum inter & Deum; imò menſam, apud quam Deus communionem ineat cum hominibus, Chriſtum nequicquam in ſacrificiis reſpicientibus. In iſtis autem ſuppoſitionibus profanatur nomen Dei, quaſi fieret Deus peccatoris ſine digniore ſacrificio: quod ſine abnegatione ſanctitatis & juſtitiæ Dei, nec non gloriæ gratiæ ejus, vim amoris Dei in conceſſione filii pro vitâ mundi commendantis, defendi nequit.

§. 4. Amplificatur porrò crimen, dum additur, *& germen ejus, cibus ejus eſt contemptibilis.* Hæc verba multam crearunt Interpretibus difficultatem. Lxx vertunt, καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα ἐξουδένωται βρώματα αὐτοῦ. *Et qui ſuper imponuntur cibi ejus deſpecti ſunt* Concipiunt ſacrificia altari impoſita, ut cibum, menſæ Jehovæ impoſitum; ſed nullius pretii & nullâ æſtimatione dignum. Id vero fieri, quando manca & mutila offeruntur. Hieronymus, *& quod ſuper ponitur, contemptibile eſt cum igne, qui illud devorat:* qui vocem אֹכֶל (quam Lxx *cibum* reddiderunt) mutato puncto *devorantem* vertit, quod igni altaris attribuit. Verum illos à textu Hebræo nimium recedere evidens eſt. Qui voces Hebraicas premunt diligentiùs, quoque different; alii enim voces ניבו & אכלו per appoſitionem jungendas, earundemque relativa ad menſam ſeu altare referenda eſſe volunt, atque locum reddunt, *& proventus ejus, cibus ejus contemptibilis eſt.* Hi ſacrificia altaris, Deo cibum quaſi præbentia, reſpici volunt, ut contemptim habita, dum truncata & ægrota offerebantur. Alii ad Deum referunt, & in verbis querelam ſacerdotum quærunt, qui in decimis & primitiis (*proventum & cibum*, quem Deus iſtis dederat ad ſuſtentationem, ſpectantes) culpabant vilitatem: quaſi pro dignitate muneris non ſatis proſpexiſſet illis Deus. Nos vero Cl. Coccei verſionem longè cæteris præferendam exiſtimamus, qui tranſtulit, *& germen ejus*, quod attinet, *vilis eſt cibus ejus.* Atque relativum in ניבו refert ad Jehovam: ut ſenſus ſit, *germen Jehovæ:* quod confert vir Doctiſſimus cum צמח יהוה *Jeſ.* 4: 2. atque hiſce denotari *filium Dei* cenſet; cujus nobilior *egreſſio* ſeu nativitas *eſt ab æterno ante dies ſeculares. Mich.* 5: 1. Radix

dix vocis eſt verbum נוב, quod provenire ſeu excreſcere ſignificat, atque propriè tribuitur rebus, quæ ex terrâ proveniunt, ut germina agri, quæ res eſt telluris quaſi partus. Sic metaphoricè de fœtificantibus adhibetur. *Pſal.* 92:15. Vox ipſa occurrit *Jeſ.* 57:19. ubi ניב שפתים *germen labiorum* eſt, quod ex labiis provenit, & generatur, ſcilicet ſermo hominum. Ita hic *germen Jehovæ* eſt, qui ex Jehovah patre provenit, & indè filius Dei audit. Sacerdotibus, Dei nomen profanantibus, tribuitur illa denominatio; non quaſi illi æternam Chriſti generationem agnoſcerent: ſed quia denominationem fidelium, ſpem patrum retinentium, repeterent, atque perſonam deſignarent ſub eo nomine, quo commendaretur à credentibus, ut de ſubjecto non eſſet lis. Quaſi dicerent; *germen Jehovæ* quod attinet, ſeu quem ſub eo titulo ita efferre ſoletis, non erit tanti: imò contra *vilis eſt ejus cibus.* Accuſatio igitur Sacerdotum eſt in eo, quod perverſè & contemptim judicent *de cibo germinis Iehovæ.* Pii exegerant, ut faciem Dei quærant & ſupplicentur inter ſacrificia: & filius Dei colendus erat in templo, quippè dominus templi, æquè ac pater. Verum Sacerdotes, monita fidelium non audientes, dicerent; *germen* ſeu filium Dei, quem in fide quærebant pii, non eſſe quærendum ad gratiam Dei impetrandam. *Cibus* eſt id, quo quis delectatur, & quocum intimè jungitur, ad delectationem. Ita *cibus germinis Dei* ſunt homines, ſalutem à redemptione Chriſti ſpirituali exſpectantes, qui ſe ei ad hanc gratiam in ejus communione inveniendam ſiſterent; quos propterea, ut ſibi gratos acciperet, ac ſecum ad intimam conjunctionem jungeret. Qui autem tales, ut à ſe diſſentientes, ſpernebant, eos reverà ut *viles* judicabant: & qui eorum deſiderium non admittebant,

Digitized by Google

bant, reverâ eorum perſonas contemnebant, ut nullius pretii homines. Ita contemptus cibi germinis redundabat in contemptum germinis Jehovæ, & hic iterum in profanationem nominis Dei.

§. 5. Hæc accuſationis repetitio & amplificatio, ſimul eorundem Sacerdotum contumaciam arguunt, & haud corrigibilem pertinaciam: dum illi poſt fidelium monita depinguntur ut in dictis pergentes & monitores (qui ſanè erant gratus germinis Jehovæ cibus) cum contemptu rejicientes: nam, poſt ſeriam illam contribulium admonitionem (quæ eſt verſ. 9.) hic iterum audiunt *profanantes nomen Dei*, & dictis ſuis reatum contractum augentes; quod eſt ſignum negatæ converſionis, & obfirmati cordis.

§. 6. Poſt abſolutam accuſationem pergit Deus ad comminationem graviorum ſcelerum, in quæ proximè inciderent: quæque ita enunciantur. *Dicetis etiam: ecce! quid defatigatio?* Vide hic novum dictum, quod prædicit illos dicturos: nam, cum verbo אמר præfigatur in textu *vau* converſivum præteriti in futurum: æquum eſt, ut illud in verſione retineamus. Hoc dictum futurum notatur ut errorum augmentum: quo theologiam corrumperent ampliùs, aut ſaltem corruptam ſuam theologiam retinerent pertinaciùs: eſt enim hîc rejectio alicujus ſententiæ cum irriſione. *Ecce! quid defatigatio?* Vox מתלאה coaleſcit ex particulâ מה *quid*, & תלאה *defatigatio*, *delaſſatio.* Similis coalitionis, quam vocula מה ſubit cum aliis quoque vocibus, extant exempla *Exod.* 4: 2. *Jeſ.* 3: 15. *Ezech.* 8: 16. Vox תלאה à radice לאה *defatigari*, moleſtum atque delaſſantem notat laborem, *Exod.* 18: 8. *Num.* 20: 14. nec non ipſam delaſſationem moleſtum

ſtum laborem conſequentem. *Thren.* 3 : 5. Lxx vertunt, ταῦτα ἐκ κακοπαθείας ἐςὶν : *iſta ex affliɛtione ſunt.* Vulg. *ecce de labore.* Capellus notat Lxx legiſſe *Heena* pro *Hinne* & *Mithlaäh* pro *Mathlaäh.* Hinc quidam exponunt ut quærelam de proventu, laboribus non reſpondente. Quaſi dicant: ecce quid tandem ex tantis laboribus redit ad nos? vix accipimus, quo famem à nobis depellere poſſimus, dum alii in tribubus divitiis accumulentur. Qui ad Lxx reſpiciunt, ſenſum volunt cum Hieronymo continere prætextum avaritiæ: ſcilicet afflictiones & paſſas deprædationes in cauſâ eſſe, cur non opulentiora offerantur ſacrificia. Verum cum iſtæ interpretationes procul dubio erroneæ nitantur lectioni, non eſt cur hiſce immoremur. Textum Hebraicum ſequentes etiam in varia abeunt: & cauſa difficultatis in eo ſita eſt, quod elliptica ſit oratio & quaſi manca. Alii volunt populi dictum hic notari; qui his verbis corripiebat ſacerdotes dicendo; *ecce quanta fatigatio eſt!* ſeu quanto tædio præſtatis; quod cultui divino impenditis: quaſi tarditatem in iis culparent. Verùm omnis contextus jubet, ut Dei alloquium hic concipiamus, ad ſacerdotes directum, quorum dicta culpantur: quod qui agnoſcunt, *ſacerdotum dictum* exponunt ut *querelam* de durâ quam obeunt provinciâ, & laboribus in templo moleſtis ac delaſſantibus: atque per ellipſin ſupplendum eſſe: quod merces non reſpondeat laboribus, populo parùm ad eorum ſubſiſtentiam conferente: itaque nihil aut parum illis pro tanto labore rependi. Alii ut ſacerdotalem cohortationem plebis ad liberalitatem exponunt, quâ ad inſpectionem laboris invitant, quos ad ampliores remunerationes excitatos cupiunt. Verùm dura mihi videtur iſta ellipſis; cum nihil ſit in contextu, quod tale quid poſtulet. Veriſſimum erat, opus

Digitized by Google

templi fuiſſe moleſtum & laborioſum : ut in ejus aſſeveratione non videam tantum crimen. Cl. Coccejus, nihil intrudendum ratus, & crimen, in dictis obſervandum, atrocius innui animadvertens, rectè notat, particulam מה *quid* in contentione eſſe notam oppoſitionis contradicentium, quâ cauſam requirunt, cur res hâc vel illâ definitione afficiatur? Adeò ut propoſitio ſacerdotum neget *delaſſationem* in cultu ceremoniali, quaſi eo titulo *requies* eſſet quærenda. Supponitur caſus futurus proximè, quo Chriſtus adeſſet, oblaturus *requiem à delaſſatione*, juxta vaticinia, *Jeſ.* 28:12. 55: 1-4. nunc prædicitur illos hoc dicto Chriſto contradicturos, atque reſponſuros, *quid eſt defatigatio?* quaſi dicerent, quid tu cultum legalem vocas *delaſſationem* & laborem defatigantem, ut eo titulo Iſraëlitas à ritibus Moſaicis ad te vocare audeas? Qui quoſcunque fideles, *germen Jehovæ* ut ſalutis & juſtitiæ unicum auctorem & adductorem profitentes, & ritus Moſaicos tanquam umbras ad coporis præſentiam diſpellandas ſpectantes, deſpectui habebant: ſanè legitimè colliguntur ex iſtâ hypotheſi dicturi (quandò *germen illud Jehovæ* audirent ſuis commendare requiem ſuam, à laboribus & delaſſationibus legis quoslibet credentes liberantem) *ecce! quid eſt delaſſatio?* Sequitur enim ex illorum profanorum hypotheſi, quod aliter incedere non poſſint: qui enim à Meſſiâ venturo nil niſi corporalia exſpectabant beneficia, ſpiritualem verò redemptionem à peccato per eum præſtandam negabant, in expiationibus legalibus neceſſariò acquieſcebant, exindè ſolatium omne derivantes: proin ſacrificia potiùs ut animos tranquillantia reſpicienda eſſe, quam quod delaſſarent, juxta illam eorum hypotheſin ſtatuere debuerunt. Vocula *ecce!* mihi ergo eſt deridentium, & cum amarore animi aliquid rejicientium.

Ita

Ita adſtantes invitarent, ut notent *abſurdum:* quod quærunt in doctrinâ *de delaſſatione*, per requiem auferendâ. Q. dicerent: ecce! *quid ſit* huic præconi *delaſſatio?* quid audeat pronunciare *defatigationem* & laborem abrogandum. Notemus proin contineri in hoc effato. 1. Doctrinam de lege ceremoniali, ut ſuâ naturâ conſcientiam à reatu non liberante, ſed ſperantes in operibus legis ritualis *delaſſante*; eſſe talem ex mente ejus, qui legem illam dederat, & rei conſonam: quia ea lex (præterquam quod umbratica eſſet, & rem ipſam non conferret) ex conſilio Dei *jugum* impoſuit populo, non niſi multâ cum difficultate portandum. 2. Abnegationem iſtius doctrinæ eſſe conſequens ignorantiæ circa finem legis, quæ propter tranſgreſſiones introducta, debebat pœdagogum agere ad Chriſtum: imò continere hæreſin abominandam, quæ totum illum cultum qui debebat tendere ad ſanctificationem nominis Dei, in profanationem nominis mutaret. 3. Fore, ut eam doctrinam rejicientes eandem imputent doctori in blaſphemiam, idque populo perſuadere velint: ut omnium animos, quâ pote, ab eo avertant: quorſum tendit modus contradicendi, qui ſummum animi amarorem includit. *Ecce! quid ſit fatigatio?*

§. 7. Finis iſtius acerbitatis in modo ità rejiciendi doctrinam conſpicuæ, quam expoſuimus, ſubjungitur, quandò additur, *ut faciatis eum animam efflare.* Fateor, multum diſcedere ab hâc verſione Judæos, & qui eos ſequuntur interpretes. Lxx vertunt ὐξεφύσησα ἀυτὰ *exſufflavi ea:* quæ Hieronymus in commentario exponit, *exſufflatione digna reddidiſtis:* qui *efflationem*, ut ritum contemnendi reſpiciunt, dum flatu diſpelluntur levia. Ita ſacrificia, quæ ut rem gravem jactabant, multo labore peractam, Deus ponitur ſpernere ut *rem levem* & flatu

Digitized by Google

tu oris facile diſſipandam. Sed hi *vau* copulam omittunt, & perſonam pluralis numeri ſecundam in primam ſingularis numeri mutant: quod non ſolum eſt contra puncta, ſed etiam contra conſonas textus originalis. Vulg. *& exſufflaſtis illud*, vel ut Hieronymus vertit *exſuffletis illud.* Kimchi & Abarbanel hic ridiculè mimeſin ſtatuunt hominum, macilentas pecudes ſed inflatas, ut pingues viderentur, humeris impoſitas afferentium, & ex portatione laſſitudinem ſimulantium. Verbum נפח notat *flare*, & *efflare*, undè moriens dicitur *efflare animam Jer.* 15: 9. In Hiphil *efflare* vel *efflari facere*; nunquam verò difflare: vide *Job.* 31: 39. Nullibi ergò relationem habet ad rei levitatem, ob quam facile difflari poſſit. Fruſtra igitur ſunt, qui *ſufflationem* ut geſtum faſtidientium & contemnentium deprædicant. Nequè inter ſe conveniunt, ſacerdotes ſacriſicia ſua, ut opus moleſti laboris commendare, & ſimul ea ſufflatione contemnere, aut ut rem levem ſpernere. Nos agnoſcimus Deum hic in explicatione ſcelerum, quæ Sacerdotes perpetrarent, pergere: & relativum אותו non eſſe referendum ad ſacrificia, ſed ad *germen Jehovæ*, de quo vidimus §. 4. Ità crimen erit *efficere, ut germen Jehovæ efflet*, ſc. animam: belgice dicas, *de geeſt geve.* Correctio Scribarum lectione ſuâ marginali legit אותי *faciunt me efflare*, manifeſte etiam ad *Deum* referentes, ſed Deum filium tunc ut loquentem conſiderantes. Notandum porrò, eſſe in textu *vau* converſivum præteriti in futurum; atque ita commodè accipi, ut *vau* conſecutivum, exponens finem dicendorum à Sacerdotibus: ſcilicet allegationem objectæ blaſphemiæ fore, ut curent *germen Dei* rapi ad mortem. Hunc ergo finem fuiſſe acerbioris rejectionis doctrinæ de lege delaſſante; ut crimen ſimul inveniant, cujus prætextu poſtea

Digitized by Google

poſtea auctorem ejus doctrinæ (germen ſcilicet Jehovæ) ad necem rapiant. Ex ſcripturâ propheticâ notum eſt. 1. Meſſiam morte violentâ moriturum, agentibus hoc ſacerdotibus cum Judæis ſuarum partium, ut cogatur animam efflare. Conf. *Deut.* 32: 15. & quæ ibi notavimus. 2. Crimen, quod illi verterent in cauſſam mortis, ob quod eum condemnarent, ac morti traderent, inter alia arrepturos ſacerdotes ex doctrinâ de lege rituali delaſſante, ac proptereà cum admiſſione requiei omittendâ. Hoc dogma illi imputarent in crimen blaſphemiæ, morte dignum. Hanc expoſitionem quoque urgebant ex lectione marginali contra Judæos *Galatinus* de arcanis libr. 1: c. 8. *Adrianus Finus* in flagello Jud. libr. 3. *Porchetus* victoriæ adverſus Jud. part. 1: cap. 15. cujus ipſiſſima verba cum auctoris laudatione recitat *Sixt Senenſis.* Bibliothecæ libr. 8.

§. 7. Subjicitur iterum illud jam ſæpiùs auditum, *dixit Jehovah* Deus *exercituum:* oſtendens, Deum jam ante prænoviſſe, quis futurus eſſet ſcenæ iſtius exitus: adeo ut iſtæ perverſæ de regno Dei cogitationes tandem terminarent in iſto molimine, quo unctum Ducem ex terrâ viventium exſcinderent.

Verſ. 13. *Tunc adducetis raptum, claudum & ægrotum, & adducetis munus: an acceptabo illud ex manu veſtrâ? dixit Jehovah.*

§. 1. In his verbis eſt judicium Dei de ſacrificiis Judæorum, quæ poſt ſpretum germen, ejuſque exciſionem afferrent. *Vau* copula hic ſenſu temporali accipio, vertendo *tunc*; ſc. à quo filius Dei à vobis morti fuerit traditus, *tunc* ſacrificia veſtra erunt mihi inſtar *rapti, claudi;*

di, *& ægroti.* Porrò agnoſcimus iterum in textu eſſe *vau* converſivum præteriti in futurum: quo notatur, hîc ſtatui de ſacrificiis, poſt mortem Chriſti offerendis (quæ tunc de jure eſſent abrogata) quod *nullius* non tantum forent *valoris*: ſed etiam in ſe includerent *abnegationem ſacrificii Chriſti*, & *germinis Iehovæ contemptum*, ſacerdotium ejus ſecundum ordinem Melchizedeci non admittendum pronunciantem.

§. 2. Putamus quoque hîc loci collationem inſtitui inter ſacrificia, à gentilibus (ſed credentibus) omni in loco offerenda, & ſacrificia Judæorum. Dixerat verſ. 11. gentium ſuffitum & munus dona fore, nomini Jehovæ conſecrata & munda. Aſt hîc contra indicat Judæorum ſacrificia eodem tempore fore impura & rem abominandam. Conf. *Jeſ.* 66: 3. *Raptum* vocat id, quod adducerent; quatenus forent hominibus potiùs extorta (lege non ampliùs ſacrificia exigente) quam piâ ſpontaneitate adducta. *Claudum* vocat *& ægrotum*; quia jam deërat offerendi ratio, quâ ablatâ, cenſenda erant defectuoſa; non enim poſſent in fide mortis Chriſti offerri poſt ejus mortem, adeoque offerentem non magis commendare Deo, ac ſi eſſent mutila & languida.

§. 3. *Et adducetis munus*, ſcilicet ex panibus in ſacrificio jugi. Notat hoc pertinaciam, quâ vellent pergere in oblationibus quotidianis; non ceſſaturi ab iis eo tempore, quo non ampliùs obligaret lex illa: in quâ perſeverantiâ ſtudii ſui perverſi oſtenderent, ſe opus legis delaſſans permutare cum requie Chriſti nolle.

§. 4. Nunc rogat Deus: *an illud acceptabo ex manu veſtrâ?* Interrogatio hæc iterum æquivalet negationi. *Illorum manus* reſpiciuntur ut pollutæ ſanguine Chriſti, à quo effecerunt, ut germen Jehovæ animam efflaret:

ret: undè ſequitur donum aut munus, quod ex eorum manibus provenit, eopſe non poſſe Deo placere. Conf. *Jeſ.* 1: 11-15. Idem hic concluditur, quod eſt in propoſitione. verſ. 10. Neque hoc Deus faceret ex opinione Prophetæ, ſed ex dicto ſuo in foro; undè additur, *dixit Jehova.*

Verſ. 14. *Imò maledictus erit fraudulentus, cui in grege ejus eſt maſculus, & vovet ac ſacrificat corruptum Domino: quoniam Rex magnus ego ſum, dixit Jehovah Deus exercituum, & quia nomen meum verendum erit inter gentes.*

§. 1. Aſſurgit judicium Dei altiùs: quare *vau* hìc fungitur munere particulæ exaggerantis: quaſi dicat, illud non tantùm non placebit mihi; ſed ille homo erit maledictus, qui talia peragit.

§. 2. Vox ארור ultimam notat exſecrationem, quâ quis ex omni ſpe gratiæ Dei excluditur, atque inter objecta ſeveritatis iræ Dei collocatur. Qui ergo hìc denunciatur *maledictus*, omni benedictione divinâ ponitur non ſolum deſtitutus, ſed etiam rigidiſſimo Dei judicio puniendus, cum in hâc, tum in futura vitâ.

§. 3. Homo ita *exſecratus* deſignatur nomine *fraudulenti.* Vox נוכל à radice נכל hominem notat, qui dolo malo & hypocriticè agit: volens videri nominis Dei cultor, dum nomen Dei profanando conculcat, & crimen læſæ majeſtatis in corde committit.

§. 4. Deſcribitur porro ille hypocrita, *ut cui in grege eſt maſculus.* Phraſis legalis hìc à typo ſeu umbrâ tranſ-

Digitized by Google

tranſferri debet ad rem ipſam. זכר Seu *maſculus* hic illum ſignificat, qui ſolus populo eſſe poterat in ſacrificium pro reatu. Reſpicit *Chriſtum*, qui id erat in populo, quod *maſculus* integer in grege. Ita etiam Hieronymus exponit. *Poſſimus*, inquit ille, *maledictum & doloſum accipere populum, qui cum haberet in grege maſculum (dominum ſalvatorem, agnum immaculatum, qui tollit peccata mundi) & omnium prophetarum vaticinatione commonitus ut immolaret, atque ſuſciperet arietem, qui hærebat ex cornubus in virgulto Sabec, hoc facere noluit.*

§. 5. Factum vituperandum addit, *& vovet & ſacrificat* ſcilicet ejus loco *corruptum Domino*. Monet de *votis*, quæ facit iſte hypocrita. Solent homines rebus in extremum diſcrimen adductis & pœnè deſperatis, ubi humana remedia non ſuppetunt, conceptis votis divinam implorare opem: undè rectè Plinius L. 8: 16. *tum præcipuus votorum locus eſt, cum ſpei nullus eſt.* Ita ſupponitur tempora fore anguſta, quibus illi fraudulenti vota voverent, & inter vovendum *ſacrificarent*: ſed id vocatur *corruptum Domino* eodem ſenſu, ut verſ. 13. *raptum, claudum, & ægrotum.*

§. 6. Rationem daturus, *cur ille foret maledictus?* addit, *quia Rex magnus ego ſum.* Ita hic loci Deus ſe declarat *Regem magnum* (confer *Pſal.* 47: 3. 95: 3.) id eſt ſanctitate & majeſtate præſtantem, & omnibus ſuperiorem; quippe qui foret Rex Regum, & Dominns dominantium. In rebus humanis Regum potentia altiſſimum obtinet faſtigium: verùm longè ſuperior eſt *Rex* noſter, per quem Reges regnant. *Prov.* 8: 25. *Dan.* 2: 21. *Job.* 12: 18. Imo *Rex magnus* dicitur; quia regnum moliebatur quoque latiſſimum, quod ab ortu ſolis ad occaſum ejus ſe protenderet inter gentes.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ratio probat *Deum* non poſſe abnegare regiam ſuam dignitatem, aut ferre nominis ſui contemptum: quo enim Rex major eſt, eo minùs ferre majeſtatis ſuæ læſionem poteſt: aut admittere exemplum indulgentiæ. Ergò *maledictus* erit, ſeu exemplum ſeveriſſimi ſupplicii ſtatuendus, qui per cuniculos ita doloſè peccat contra majeſtatem regis.

§. 7. Huic addit, *& nomen meum verendum erit inter gentes.* Vel ſi *vau* ſumatur conſecutivè, *ut nomen meum verendum ſit inter gentes.* Hìc iterum *nomen Jehovæ* allegatur; ut cognitum & fide acceptum *inter gentes*, quo denuò credant; gentes ad regnum Chriſti eſſe adducendas. Verum plus dicit, quandò ait *nomen Dei* fore נורא *verendum inter gentes.* Vox נורא variè vertitur; aliquando notat id, quod *horribile* ſeu *horrendum* eſt. Ita connotat, *judicia Dei*, illi quoque conciliare *nomen juſti & rigidi Judicis*; qui contemptoribus nominis ſui horrenda infligit ſupplicia, aliis in timorem, ne in ſimile crimen & judicium incidant. Deus *gentes* vocatas continere in officio & timore cupiens, terrorem atque ſtuporem incutere hominum animis ſolet, quo abhinc irritare numen metuant: ex maledictione Judæorum, judiciis ſuis horrendis manifeſtandâ, ſibi horrendum ac *verendum nomen* acquiſivit: quod ſcilicet ſit ſtrenuus gloriæ ſuæ vindex, Deus fortis & *Zelotes*, qui ne quidem populum ſuum pepercit; ſed gentem illam perfidam propoſuit ſeveritatis ſuæ *exemplum*; etiam *inter gentes*, ut & illæ diſcant vereri, atque cautiùs agere, majeſtatem regis iſtius maximi diligentiùs in veneratione habere, atque profundâ animi demiſſione colere: ne in ſimile cum Judæis crimen incidentes, eandem iram Dei & judicium in ſe provocent.

Digitized by Google

VIS RATIOCINII DEMONSTRATA.

§. 1. CLavis ad elenchi, quo Deus hìc utitur, intellectum reſerandum, eſt animadvertere, quod magnitudo nominis Dei non niſi in Chriſto agnoſcatur, quodque ſacrificia ſine fide in unicum Chriſti ſacrificium ad peccatorem cum Deo conciliandum nihil valeant. Ex hâc hypotheſi ſtatus controverſiæ facilè eruitur, qui eſt. Num ſacerdotes, externos legis ritus in ſacrificiis obſervantes, cæterum de futuro Chriſti ſacrificio hylaſtico nihil cogitantes, imò illam ſpem eludentes, muneri ſuo fecerint ſatis? an verò contrà finem legis non aſſequentes, & expiationem populi à ſanguine pecuino exſpectantes, gloriæ nominis Dei non turpiter detrahant? In hujus cauſſæ diſceptatione negatur priùs, & aſſeritur poſteriùs.

§. 2. Accuſatio de contemptu nominis Dei eleganti procedit methodo, dum crimen occultum in lucem protrahendo pedetentim demonſtrat (contra ac videtur accuſatis) quòd Sacerdotes, muneri ſuo non ſatisfecerint, Deumque non, ut illos decebat, glorificaverint.

1. Quia non reſpondebant fini legis generali; qui eſt *honor Dei*, per ſanctificationem & celebrationem nominis Dei promovendus: profitebantur enim Deum propter benevolam gratiæ ſuæ œconomiam *patrem*, & propter

propter vocationem ſuam, quâ illos fecerat ſanctuarii ſui miniſtros *Dominum*: ex quibus titulis naſcebatur illis obligatio ad eum *honorandum & reverendum*, etiam in cultu rituali. Jam verò obligationi ſuæ non ſatis facit, nec conceſſo muneri reſpondet, qui in illis ipſis exercitiis legalibus *magnitudini nominis Dei detrahit*: quales ponuntur ſe exhibuiſſe Sacerdotes. Hoc cum ipſis alienum videretur gradatim eruitur. *Defectus honoris & timoris Dei*, collocatus *in contemptu nominis Dei*, probatur facto; quod *adducant ſuper altare Dei panem impurum*, ſacrificia ſcilicet hominum contaminatorum, quos externis muneribus Deo ut gratum cibum commendabant. Si quis roget, quid hoc ad Deum ejuſque nomen faciat? & quomodò ipſe eodem contemptu nominis poſſit dici pollui? ei reſpondet, illud factum implicare *contemptum menſæ Jehovæ*, quaſi res *vilis* eſſet; nam, hoc ipſo cogitabant Deum familiare commercium inire cum peccatore propter vilia iſta munera: qualis ſententia abnegat ſanctitatem & juſtitiam Dei.

2. Quia æquivalet peccatum in formâ peccato in materiâ: ſi quis Principi præſidi dedecus inferre poteſt, cæcum & claudum illi in munus offerendo? multo magis Deo Regi ejuſque gloriæ detrahit, & vilipendio dehoneſtat, qui ſacrificia mutila & lege prohibita, quippe in materiâ peccantia, offert. Quod ſi in pretio materiæ ſit teſtimonium honoris, aut vilipendii: & in materiâ nullius pretii offerendâ rem ingratam præſtare poſſint: multo magis ſi in formâ (undè maximè dependet divina gratificatio) defectus ſit. Supponitur ſacrificia, etiam quoad materiam integra, per ſe Deo grata non eſſe, non magis ac cæca & clauda: niſi ſpectentur ut umbræ, cujus corpus eſt Chriſtus: ac fides offerentium ea reſpi-

ciat ut rem ſymbolis analogam, quæ ſola cultum illum perficere poterat. Quod munus *Habelis* Deo placeret, *Caini* diſpliceret? non erat vitium in materiâ ſacrificii *Caini*, ſed in modo offerendi; eo *quod non rectè obtuliſſet:* adeò ut *fidei* ſit adſcribendum, quod Habel præſtantius ſacrificium præ fratre obtulerit. Si ergo Deus offenditur ſacrificio in materia defectuoſo? quomodo non offenderetur ſacrificio in formâ & modo deficiente? & quid ni jure cenſet illudque interpretatur vilipendium nominis ſui? Cum æquè defectus *honoris & timoris Dei* ſit, non curare formam, à quâ ſolâ dependet approbatio Dei: ac non curare materiam, lege definitam.

§. 3. *Ipſa comminatio Dei* de ſacrificiis iſtis rejiciendis, & alterius ordinis ſubſtituendis cum rebus interpoſitis probabat fore, ut ſentiant *ſacrificia* ſine fide in Chriſtum, & ſine ſpe expiationis per eum verè & unicè præſtandæ, Deo admodum diſplicere, ut nomini ſuo injurioſa. 1. Clauderet aliquandò templum per manus hoſtium, & ceſſare faceret ejus cultum; idque in teſtimonium quod ipſi non eſſet voluptas in offerentibus filiis Aharonis, adeo ut non acciperet à manu illorum ſacrificia. Quo probaret ſacrificia per ſe ei non placere, multò minùs faciem ejus placare. Imò inſtituta eorum eſſe placita, ſine quibus Deus aliquandò coleretur; atque per ſe cultum Dei non conſtituentiâ; ſed ſolùm ad exercitium fidei in ſymbolis, conſecratis piæ meditationis, tanquam ſubſidia devotionis ſpectaſſe. Ita ad pudorem uſque experirentur quam malè cum detractione gloriæ Dei de opere ſacrificiorum ſentiiſſent olim. 2. Idem confirmat ex cultu N. T. grato, qui inter gentes converſas obtineret; illæ etenim ſui generis ſacrificia, ſed ſpiritualia, Deo ſiſterent grata, præterito etiam templo & altari, cui antea

tea miniſtraverant filii Aharonis ; quoniam *omni in loco* ea grata haberet Deus. Quod ſi cultus ille ſpiritualis ſine miniſterio Levitico ita aliquandò teſtimonium referret gratificationis divinæ ; non poterunt non ex eventu tenere *Saderdotes* Levitici ordinis, ſacrificia non commendaſſe unquam offerentes ſine iſto cultu ſpirituali. 3. Imò experientia doceret, *Sacerdotes* in ſacrificiis & precibus ſuis *Legatum faciei Dei* & in eo *faciem Dei* conciliare populo: aſt eum non quærentes, fore à gratiâ Dei excluſos; & traditos in reprobam mentem, quâ ſucceſſivè in graviora crimina inciderent; eſſe enim in eorum ſententiâ radicem, quæ felle & abſinthio pullularet; quoniam α.) Faciem Dei ſuo nomine quærere poſtulantes, idque cum omni ſtudio & benevolentia rogantes deſpectui haberent, eoſque faciem temporis lugere cogerent: hi enim ut *cibus germinis Jehovæ*, ab iis ut *res vilis* haberentur; & ut homines nullius pretii in populo. β.) Præconium evangelii cum denunciatione libertatis & liberationis à cultu delaſſante cum ultimo contemptu rejicerent, & ut doctrinam blaſphemam contra Moſen & legem ex ſuis principiis deteſtarentur: irridendo doctrinæ ejus auctorem, germen Jehovæ, quippe dicturi *Ecce! quid ſit* illi *defatigatio?* Atque ita in requiem N. Teſt. non ingrederentur, quandò ejus tempus cum regno Chriſti adeſſet. γ.) Neque ibi ſubſiſterent; ſed evaderent primaria perſecutionis inſtrumenta, dum germen Jehovæ ut pſeudo-prophetam & populum ſeducentem curarent occidi, & *cogerent animam efflare*, eum ut blaſphemum damnando, & judicem, ut eum morte plectat, urgendo. Jam cogitandum erat, eam ſententiam, quæ in tanta conjiceret Sacerdotes crimina, tot ſcelerum radicem atque matrem, non poſſe Deo placere; ac proin homines, eo animo ſacrificantes, non

poſſe non haberi, ut Dei contemptores, qui altare polluebant, & Deum in ſacrificiis nomenque ejus profanabant.

§. 4. *Sententia Judicis* eſt, quod quilibet eorum ſit *maledictus* cenſendus, excluſus ex omnibus benedictionibus Abrahami, præſertim propter *hypocriſin*, qua ſe ſimularent pro lege Dei Zelantes; dum in externâ legis obſervatione hærentes, intus eſſent pleni omni fœtore, *honorem Dei* per contemptum nominis ejus non ſolum non curantes; ſed & omni *timore Dei* deſtituti, non verentes *germen Jehovæ* vilipendere *in cibo ejus*. Imò dum *maledictos* denunciat *fore doloſos* illos hypocritas, illi ſubjiciuntur ſupplicio ultimo tam in hoc ſeculo, quam in futuro: ita ut teſtimonium maledictionis foret conſpicuum in effuſione iræ Dei, ſuper iſtos homines in tempore judicii exardentis, quandò exterminio politiæ & templi Deus iſtorum crimina & læſam ſuam majeſtatem vindicaret. Hanc *ſententiam juſtificat* ab eo, quod pertinacia in rejectione libertatis, poſt contractum reatum occiſi germinis Dei, eos magis redderet ad judicium maturos: quippe qui pergerent in ſacrificiis offerendis, quæ pro claudis & ægrotis fuerant denunciata: continuantes enim in rejectione ſacrificii Chriſti, comparandi erant cum nebulonibus, qui *maſculum habentes in grege*, id eſt, Chriſtum in populo ſuo, *corruptum vovent & ſacrificant Deo*: adeò ut cum tempora anguſtiæ accederent, vota poſtulantia, nondum reſipiſcerent à contemptu nominis Chriſti. Ita condemnatio exſecutioni demandanda ſcribitur ob pertinaciam haud corrigibilem, in graviſſimis peccatis pergentem. Nec aliter exſpectandum eſſe à decentiâ Dei oſtendit. 1. Quia *magni Regis* eſt juſtum agere judicem, & tueri jura majeſtatis. Quantò magis Deus, qui læſam videns majeſtatem ſuam ab hominibus reſipiſcere neſciis,

Ze-

Zelum pro gloriâ ſupremæ ſuæ majeſtatis induet. 2. Adde, quod non patiatur ejus œconomia inter gentes, tanti ſceleris pœnam non ſumere, iis in exemplum, ut qui ex iis nomen ejus profiterentur, timere, & verendum ejus nomen audientes abhorrere à contemptu nominis, & vilipendio germinis ejus diſcerent.

PROPHETIÆ
Hujus divinitas per
HISTORIAM
Implementi
DEMONSTRATA.

QUam accuratè omnia conveniant rebus, cum adventu Chriſti geſtis, & per hiſtoriam iſtorum temporum nobis narratis, legenti hiſtoriam ſive ſacram ſive profanam facilè conſtabit.

1. Quod ad *Sacerdotum* iſtius temporis (quo Chriſtus modò natus, aſt nondum revelatus erat) *mores & ingenium* attinet; erant iſti homines ut plurimùm aut *Sadducæorum* aut Pharizæorum factionibus implicati, quorum illi à regno Chriſti præter felicem reipublicæ ſtatum in corporalibus nihil exſpectabant, omnem ſpem vitæ

vitæ futuræ abjicientes. Hi verò ſibi tantùm glorioſum reſtauratorem & patronum cultus Levitici ſpondebant, qui Judaiſmum armis feliciter propagaret; cæterùm propriam ſuam juſtitiam erigere conantes. Verum illud ſacrificium hilaſticum, aliquandò à Chriſto præſtandum, utraque ſecta ignorabat; imò noxiis ſuis hypotheſibus ex ſuis inſtitutionibus excludebat; ſacrificia ſua pecuina habendo pro verè expiatoriis, & ſolidis placamentis, per acceptilationem à Deo ſuſcipiendis. Quare finem legis ignorantes, & umbram loco corporis ſectantes, ſacrificia ſine fide in futurum Chriſti placamentum oblata precibus ſuis Deo commendabant. Hoc notavit in Judæis ſui temporis Apoſtolus gentium Paulus *Rom* 10: 3 illud appellans *ignorantiam juſtitiæ Dei*. Hinc fuerunt *juſtitiam quærentes ex operibus legis*, *& non ex fide*, *Rom*. 9: 32. & τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες ςῆσαι τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑπετάγηται. *Rom*. 10: 3. Ita fuit in illis ignorantia officii, quâ in ſacrificiis & precibus eum ſupplicare debebant, qui eſt *facies Dei*, & legatus interceſſor ſeu Mediator inter Deum & homines, ignorantes gratiam Chriſti. Hinc etiam nomen Jehovæ in ore habebant, cui nihilominùs in morem gentium inſervierunt, de Deo peccata remittente, & peccatorem juſtificante, deque Dei cultu, gentiles fovendo opiniones: in quibus opinionibus iterùm contemptui habebant nomen Dei.

2. Contra fuerunt, quibuſcum Anna locuta fuit, προσδεχόμενοι λύτρωσιν ἐν ἱερουσαλήμ, *Luc*. 2: 38. quam ab adventu Chriſti ſperabant, *Luc*. 1: 68. 69. qui eum profitebantur *germen Jehovæ*, ſeu, quod idem eſt, ἀνατολὴν ἐξ ὕψους *ex alto*, in oppoſitione germinis ex terrâ, *Luc*. 1: 78. quique in fide perſtantes optabant, ut Sacerdotes pro ſe quærerent *legatum*, qui eſt *facies Dei*, aucto-

auctorem gratiæ, & interceſſorem apud Deum. *Jeſ.* 63: 9. *Job.* 33: 23. 24. licet parùm obtinerent. Hi erant *lugentes*, quos Chriſtus *beatos* pronunciat, illis addicendo *conſolationem*, *Matth.* 5: 4.

3. Quæcunque præſaga Dei ſententia prædixit *ſecutura* ad primam illam labem & radicem mali *peccata* nova, etiam ſecuta ſunt. A. Primo loco contemptus & neglectûs lugentium, qui ipſis videbantur *cibus germinis vilis*: hinc in euangelio dicuntur turbam illam reſpexiſſe, ut quæ legem ignorabat, quam declarant maledictam. *Joh.* 7: 49. ubi dicunt. Μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπιςευσεν εἰς αὐτὸν, ἤ ἐκ τῶν Φαρισαιῶν: ἀλλ' ὁ ὄχλος, ὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικατάρατοι εἰσι. B. Dein venit Dei filius (*germen Jehovæ*) denuncians euangelium *quietis*, dicens, *Matt.* 11: 28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κωπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, καγῶ ἀναπάυσω ὑμᾶς. Ille ſæpiùs monuit tempus inſtare, quo *regnum cælorum adeſſet*; illaque externa theocratia mutaretur in ſpiritualem & cœleſtem: quandò *ne quidem orarent* veri adoratores *Hieroſolymis*, aut ſub elementis iſtis cultus externi, *ſed in ſpiritu & veritate.* *Joh.* 4: 21. 23. 24. Verum hanc doctrinam illi (*juſtitiam Dei ignorantes*) haud quaquam admiſerunt, ſed æternitatem legis ritualis (tanquam ad expiationem peccatorum facientis) defendentes, tanquam pro aris & focis ſteterunt; *delaſſationem* in illis exercitiis contineri negantes; imò doctrinam illam ut legi contradicentem damnantes. In quâ ſententiâ retinendâ conſiſtebat poſtmodum Judaica pertinacia, in ſacrificiis etiam poſt mortem Chriſti perſeverans, ac contradicentes ut blaſphemos contra templum ac legem ad necem condemnans, aut quærens. *Act.* 6: 13. 14. 18: 13. C. Ex eodem principio ſecutum eſt ſcelus ultimum, quo id egerunt,

Digitized by Google

ut Chriſtus raptus fuerit ad mortem, & coäctus etiam in cruce *animam efflare*; Johannes dicit cap. 19:30. de Jeſu παρέδωκε τὸ πνεῦμα. Cujus mortis auctores apud quatuor euangeliſtas notantur præ primis ἀρχιερεῖς; *Annas* & *Cajaphas*, & qui ex ordine Sacerdotali membra erant ſynedrii magni; hi Jeſum damnabant, ut mortis reum; populum ut eum ad crucem peterent à Pilato, concitabant, atque Præſidem Pilatum urgebant minis, ut eum juxta votum plebis traderet. Cauſa odii iſtius erat, quod diſcipulos ſuos ſub jugo legis non retineret, cùm quoque ipſe miracula faceret Sabbatho: præſentiebant enim quod ſuos abſtraheret à lege rituali. *Joh.* 5:16. Imò templum præ ipſo conſervare cupientes decreviſſe mortem ipſius dicuntur. *Joh.* 11: 48-50.

4. Poſt peccata conſummata etiam evenerunt *Sacerdotibus* iſtius ordinis judicia, à Deo hoc in loco prædicta. A) *Noluit* amplius acceptare ſacrificia à manu ipſorum; quod effecit templi ſubverſione: à quo enim civitas ſancta Titi armis expugnata unà cum ſanctuario profanata, & funditus deleta fuit; non conceſſit Deus per tot ſecula Sacerdotibus ſacrificandi poteſtatem; in teſtimonium, quod œconomia illa Levitica ſibi ab eo tempore diſplicuerit; ac ſacrificia templi excidium proximè præcedentia non aliter habuerit ac ſi *raptum & mutilum offerrent*. B.) Imò *maledictio* ita invaſit eam gentem, ut qui loco ſacrificii Chriſti aliud perrexerint quærere, nempè ex ſanguine pecuino, templo & Sacerdotio Aharonidum adhærentes, mulctati ſint *hæreditate terræ ſanctæ*, omnibuſque bonis V. T. & benedictionibus Abrahami, extorres facti & palantes inter gentes ſub ultimo comtemptu, uſque in hodiernum diem. Sentierunt autem omnes legis maledictiones in eos irruentes,

qua-

quales ſunt fames, peſtis, & gladius, ſigna ultimæ iræ, ad excidium gentis uſque ſævientia. Rereliquit eos porrò ſpiritus & gratia Dei, dum obſirmati corde, miſerè vivunt & moriuntur; *ſine ſacrificio* & *ſine Ephod*, Deo & hominibus exoſi.

5. Hoc judicium gentibus, qui euangelium audierunt, inculcatum fuit, ut agnoſcerent *verendum Dei nomen*, & diſcerent timere Deum, iram effundentem ſuper omnes, qui euangelio non obedientes, etiam Chriſtum in ſalutem credentibus miſſum non admitterent. Hic finis erat ſeveritatis Dei in Judæos incredulos, ut illi cæteris, fidem negantibus, aut non purè ſervantibus, exemplo forent *ad timorem.* Hinc jubet Paulus, ut Romani ad illam gentis *maledictionem*, quam *defractionem ramorum ex radice oleæ* vocat, attendant, atque exindè diſcant *timere*, *Rom.* 11: 30. 31. & quidem ne in ſimile exemplum ſeveritatis incidant, memores ſe fide ſtare; exigit enim ut *videant*, *ne Deus illis quoque ad Judæorum exemplum non parcat.*

6. Quod monet *de gentibus* verſ. 11. etiam factum eſt cum exitu euangelii; A.) *Gentes* enim, in Chriſtum credentes, *nomen Jehovæ*, inter Judæos *contemptum*, & quidem à Sacerdotibus, agnoverunt, & magni fecerunt: nam illi, idola & falſa ſua numina rejicientes, profeſſi ſunt *Jehovam*, Deum Abrahami, eſſe ſolum verum Deum: atque in ſemine Abrahami acceperunt benedictiones Abrahami, baptizati & obſignati ſpiritu Dei ſancto. Imò celebrarunt *magnitudinem nominis Jehovæ*, qui ſe *magnum* exhibuit, dum omnes promiſſiones ſuas in Chriſto fecit ναὶ καὶ ἀμήν. *Act.* 19: 17. de Græcis etiam credentibus dicitur, ἐπέπεσε φόβος ἐπὶ πάντας ἀυτὲς, καὶ ἐμεγαλύνετο τὸ ὄνομα τȣ̃ κυρίȣ Ἰησȣ̃. Conf. *Act.* 10: 46. B.) Adde hanc rem factam fuiſſe

in maximâ latitudine, *ab ortu ſolis ad occaſum ejus*. Paulus jam ſuo tempore dicit *verbum veritatis* (ſeu *euangelii*) *perveniſſe* ad gentes *in toto mundo*, *Col.* 1:6. nec non *Rom.* 10: 18. Μενῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος ἀυτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκυμένης τὰ ῥήματα ἀυτῶν. Solo Pauli miniſterio perrexit *ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum*; *Rom.* 15: 19. Diviſerunt inter ſe Apoſtoli totum orbem, & cum euangelio egreſſi impleverunt eum præconio Chriſti. *Juſtinus Martyr* in dialogo ſuo cum Tryphone Judæo in hunc modum ſcribit. *Nullum*, inquit, *eſt omninò genus hominum, ſive Barbarorum, ſive Græcorum: ſive eorum, qui quovis nomine appellantur, aut eorum, qui plauſtris pro domibus utuntur, aut eorum, qui domorum uſum non norunt, apud quos non Jeſu Chriſti, qui crucifixus eſt, nomine preces fiant.* C.) Nec ſolum quaquaverſum *prædicatus eſt* Chriſtus *inter gentes*, & *creditus in orbe.* 1 *Tim.* 3: 19. verum etiam *cultu puro* honoratus eſt Deus in Chriſto. Hoc effecit *adminiſtratio euangelii*, *ut gentium oblatio facta fuerit accepta, ſanctificata in Spiritu Sancto. Rom.* 15: 16. Quocunque in loco *nomini Jehovæ* exindè oblatum eſt *incenſum* ſpirituale, piæ & ardentes invocationes ad Chriſtum fuerunt adductæ, tanquam ad Pontificem noſtrum, quæ furſum elatæ, ac ultra nubes cœlos ipſos penetrantes, Deum mirificè delectabant, perinde ut nos fragranti thuris odore ſuaviter recreamur. Tale quid repræſentatur *Apoc.* 5: 8. 8: 3. Sic cultus Dei in precibus ſub N. T. *nulli loco* eſt adſtrictus, ut *omni in loco* nunc fiant. 1 *Cor.* 1: 2. Idque ex præſcripto Chriſti *Ioh.* 4: 20-24. & mandato Pauli 1 *Tim.* 2: 8. Præter iſtas ſuffumigii ſpiritualis oblationes fuit quoque *munus purum*: hominibus, fide jam à mundo ſeparatis,

&

& cor purificatum habentibus, ſemet Deo ad omne officium promptos cum firmo obedientiæ propoſito ſiſtentibus, qui ſemet unà cum rebus ſuis (ex quibus ad pauperum neceſſitates, & cultus externi ac doctorum ſuſtentationem ſpontanea danda erant munera, in uſus ſacros impendenda) Deo conſecrârunt. Hæc fuerunt ſacrificia eucharistica, gratitudinem animi ob adductum per Chriſtum ἱλασμὸν teſtantia. Qualia Chriſtiani ex gentibus æque ac Chriſtianis præ primis præſtabant, quandò ad communionem corporis Chriſti celebrandam accedebant. Eam ob cauſam veteres cœnam Domini ἐυχαριςίαν vocabant, partim quia ut inquit *Irenæus* ſemet in ſententiâ purâ, fide non hypocriticâ, in ſpe firmâ & dilectione ferventi Deo ſiſtebant: hoc quærentes, ut Dei ſint, & ſe Deo novo obedientiæ propoſito proponerent: partim quia ex opibus ſuis quaſi primitias & decimas, partem benedictionis divinæ, ſecum adferebant, menſæque alicui in uſus ſacros, in agapas, & pauperum refectionem impendendam, imponebant. Solius Chriſti eſt ſacrificium hilaſticum; eccleſiæ vero euchariſticum. Imò aliquandò etiam holocauſticum in martyriis.

D.) Hæc gentium ſacrificia ſpiritualia erant *munda*, & Deo placentia; quæ loco ſacrificiorum externorum legalium ſubſtituit Deus, hiſce poſterioribus abrogatis. Hinc Petrus Chriſtianos, Deum eum in modum colentes appellat ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας, ἐυπροσδέκτυς τῷ θεῷ διὰ Ἰησῦ Χριςῦ. 1 *Petr.* 2: 5. In hâc ſubſtitutione erat conceſſio quietis à jugo *delaſſante*, & difficulter portatili; quam introduxit Deus, quandò *Cornelium* in præputio ſpiritu baptizavit, oſtendens ſibi nunc placere homines in fide Deum precibus & eleëmoſynis colentes, ſine ullâ aliâ rituum legalium obſervatione. Hinc in conſilio Hieroſolymitano

Digitized by Google

decretum eſt, gentes non circumcidendas, nec onere illo moleſto legis onerandas. *Act.* 15: 5-11. 28. 29. quod poſtea quoque confirmavit Deus, quandò ſuſtulit illud templum & altare manufactum & tanquam rem profanatam anathemate percuſſit, Romanis tradendo, ut funditùs evertant: quo opere ipſi Judæi coacti ſunt *ſine ſacrificiis ſedere* uſque in hodiernum diem.

E.) Adhæc gentes ſpectatæ fuerunt, ut Judæorum pertinacium loco adoptatæ, illiſque in ſupplicium ſubſtitutæ; quò illum defectum ſuppleat Deus; ita ut Judæorum pertinacia anſam dederit vocationi gentium. *Act.* 13: 46. 47. De ſubſtitutione iſtâ gentium pluribus loquitur Paulus *Rom.* 11: 11 12. 15.

F.) Imò eædem gentes conſiderantur, tanquam per illud abjectionis & punitionis exemplum, in Judæis erectum, ita retinendæ in officio timoris & metus Dei, ut electi earum non audeant modum cultus Dei ſpiritualis immutare, atque teneant eum mutantes ad exemplum Judæorum aliquandò eâdem cum ſeveritate eſſe abjiciendos & puniendos. Quod confirmatum eſt in iis, qui primis temporibus ſimplicitatem cultus Dei ſtrictè retinuerunt, atque in aliis, Antichriſtianos conatus abhorrentibus, & introductioni rituum Judaicorum, cum evanatione crucis Chriſti præſcriptorum; obloquentibus.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS SECUNDUS:

Reatum

Corruptæ doctrinæ fœderis Sacerdotibus & Levitis imputans.

§. 1. QUos reos egit Deus & damnavit ob nomen Dei in ſacrificiis non ſanctificatum, ſed pollutum: eos nunc porrò accuſat, iiſquè minatur, ob munus Doctorum, non ritè adminiſtratum; quibus objicit, quod *fœdus pacis corruperint*, dum mentem Dei cùm in fœderis iſtius promiſſionibus, tùm in ejuſdem ſtipulationibus non intemeratam tradiderint.

§. 2. Videas in hâc ſcenâ *Deum* adhuc *Judicem* agentem, & partes Judicis in foro partìm comminationibus, partìm accuſationibus adimplentem; ut nexum inter pœnam & reatum manifeſtet; quò teneant Sacerdotes viarum ſuarum, ſi pertinaciter in propoſito pergant, deplorandum exitum. Deo etiam quaſi adſtat *Legatus ejus*, qui accuſationem divinam poſtea ulterius proſequitur, & confirmat, atque à generali accuſatione ad unum & alterum corruptæ doctrinæ deſcendit ſpecimen: non quod illi plures non committere errores cenſeantur, ſed quia in iſtis ſpeciminibus adeo manife-

ſtas

ſtas committant legis detorſiones falſaſque interpretationes, ut indè nata ſint graviora in republicâ Judaicâ incommoda.

§. 3. Judicandi & convincendi hìc ſpectantur, ut ad Dei tribunal adducti; *Sacerdotes* nempe, ſeu *Levitæ Sacerdotibus* juncti, iiſque ſubordinati, quatenus fuerunt doctores in populo, & obligati ad orthodoxiam in populo ſartam tectam ſervandam; qui adeòquè ad rationes tenebantur, quotieſcunque ſana doctrina non prodiret in publicum. Hi *Levitæ* etiam obligati erant *doctores* agere *in populo* ut (quibus *verbum fœderis* fuerat commendatum, *Deut.* 31: 9-12. 19.) vide *Levit.* 10: 11. 2 *Chron.* 17: 7-9 *Ezræ.* 7: 10. *Neh.* 8: 3. 4. 7. 8. etenim viſum fuit Deo tribum illam Leviticam hæreditate deſtituere inter fratres, jubens ut ex decimis vivant, et ita ſacris vacarent ad omnem nominis Dei gloriam promulgandam conſecrati. Non putandum eſt eos muneri ſuo ſatisfeciſſe, quandò ſuam in atriis adimplebant ephemeriam, quæ non niſi ad quartam et vigeſimam recurrebat hebdomadam: quaſi reliquas viginti tres ſeptimanas in otio tranſigere illis conceſſum fuiſſet. Decebat ſanè illos omne vitæ tempus in opere Dei impendere; et rerum ſacrarum cognitioni ac meditationi quotidiè incumbere, ut teneant quæ illis in atriis pertractanda erant, & ut ſtudio acquiſitam in ſacris ſapientiam cum populo ad gloriæ divinæ aſſertionem communicarent. Prius ſi negligerent, non forent adimplendo muneri priori; quoniam illud in fide erat peragendum, omniaque legis revocanda ad finem ſuum. Sin illud poſterius non curarent, *gloria nominis Dei* illis non ſatis erat curæ & cordi, cui tamen erant à miniſterio. Cur quæſo Rex David ex eorum numero Cantores inſtituit pſalmis (ſpei et fidei veræ com-

Digitized by Google

commentariis) inſtructos, quam ut in iis ſe exercerent, non ſolum quo ad artem Muſicam, ſed etiam quo ad legitimam eorundem ad omnem oportunitatem applicationem: quæ res ſine ſtudio mentis & ſcopi Spiritus Sancti feliciter abſolvi haud potuit.

Iſti ex ordine levitico doctores ac Sacerdotes eorundem inſpectores nunc ſiſtuntur, ut peſſimi doctrinæ fidei corruptores. Atquè hi ob contractum tanti criminis reatum hìc ſpectanrur, ut qui ſententiâ, è tribunali Dei quaſi prolatâ, ad graviora ſupplicia damnantur.

§. 4. Prudentiſſimè corruptio illa in doctrinâ ad unum aliquod caput ſéu argumentum generale revocatur. Scilicet ad corruptionem *doctrinæ de fœdere pacis & vitæ*, tam in promiſſionibus ſuis quàm in ſtipulatione divinâ non integrè expoſito. Hoc fœdus Deo auctore olim publicatum ad *dandam nomini Dei gloriam* totum fuerat compoſitum: qui exindè ut glorioſus pacis & vitæ largitor ac ſanctiſſimæ legis lator agnoſci cupiens, per doctrinæ iſtius corruptionem gloriam nominis ſui violatam fuiſſe cum indignatione teſtatur.

§. 5. Quod *Sacerdotibus imputetur* omnis illa *culpa*, ratio eſt; quia Sacerdotum erat munus Levitas in officio continere, atque inter illos agere doctores non ſolum primarios, verum etiam totius eccleſiæ Inſpectores, ex quibus doctrina purior erat haurienda, & omnis corruptionis reformatio atque correctio exſpectanda, *Mal.* 2: 7.

§. 6. Totus hic elenchus duplici abſolvitur ſermone; cujus prior eſt *Dei judicis*, generalem accuſationem proferentis, atque reatum corrupti fœderis objicientis. Alter eſt *Legati populi*, accuſationem Dei uno & altero ſpecimine confirmantis.

Digitized by Google

ELENCHUS DEI

Reatum corrupti fœderis

OBJICIENTIS.

§. 1. OCcurrit hic diſceptatio cauſſæ generalis, in quâ inſtituitur *receſſionis ab officio boni doctoris demonſtratio*; quam fieri collatione inter obligationem Levitarum à piis ſtudioſè olim ſolutam, & eandem his temporibus turpiter à ſucceſſoribus neglectam, inſpicienti patet.

§. 2. In hâc diſceptatione Propheta *Deum* deſcribit, ut, qui perpetuo *ad Sacerdotes alloquio* uſus, eos neglecti officii reos arguere laboraverat; & pertinacibus in iſto agendi modo ſeveriſſimum excidii judicium præparaverat.

§. 3. Methodus hâc in diſceptatione obſervata incipit *à comminationibus*, ad terrorem incutiendum compoſitis, & ex præambulis Dei caſtigationibus mala non niſi maturâ reſipiſcentiâ evadenda, præmonentibus. Undè pergit *ad juſtificationem judicii futuri*, per indicationem criminis, tanto ſupplicio digni, peractam.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS

Partis primæ Elenchi Secundi. *Mal.* 2: 1-9.

ELenchus ille Dei, ut Sacerdotes damnantis, exhibet.

I. Normam judicii, in præcepto, exſecrationis comminatione ſancito & promulgato, cognitam. *Nunc igitur ad vos præceptum hoc ſpectat, ô Sacerdotes* verſ. 1. *Si non audiveritis, & ſi non revocabitis ad animum, ut detis gloriam nomini meo (dixit Jehovah Deus exercituum) tum mittam in vos maledictionem, & exſecrabor benedictiones veſtras.* verſ. 2. a.

II. Sententiam præſentem, juxta normam illam formatam; cujus hic cernitur

A. Compendioſa denunciatio, quoad

1. Pœnam. *Imò etiam exſecror eas.*

2. Reatum. *Quia vos non revocatis ad animum.* verſ. 2. b.

B. Studioſior amplificatio, per ſpecialiorem expoſitionem

1. Judiciorum, ſub iſtâ exſecratione contentorum; quæ notantur proximè ſecutura. *Ecce ego increpo vobis ſementem, & ſpargam ſtercus in faciem veſtram, ſtercus feſtorum veſtrorum: & auferet vos cum eo.* verſ. 3. *Tunc ſcietis, quod miſerim ad vos præceptum hoc: & eſſet pactum meum apud Levi. Dixit Jehovah Deus exercituum.* verſ. 4.

2. Criminum, ad judiciorum iſtorum juſtificationem facientium: quæ ut receſſio ab obligatione muneris notantur. Quod ad evidentiorem tur-

pitudinis illuſtrationem per collationem abſolvitur, notando

α. Hinc typum officii

,. In normâ. *Pactum meum apud ipſum fuit, vitæ & pacis, & dedi ea ipſi in timorem.* verſ. 5. a.

,,. In exemplo anteriorum laudato; ubi eorum via commendatur cum enarratione ſtudiorum, quibuſcum munus ſuum adimplerunt. *Atque timuit me, & propter nomen meum conſternabatur ipſe.* verſ. 5. b. *Lex veritatis erat in ore ipſius, & injuſtitia non inveniebatur in labiis ejus. In pace & in plano ambulavit mecum, & multos convertit à pravitate.* verſ. 6.

,,,. In ratione commendati muneris. *Etenim labia Sacerdotis cuſtodire debent ſcientiam, ut legem requirant ex ore ejus: nam Legatus Jehovæ Dei exercituum eſt.* verſ. 7.

β. Illinc deviationem à typo, quæ exponitur in ſequentibus defectibus. *Sed vos diſceſſiſtis à viâ, & multos feciſtis impingere in lege, corrupiſtis fœdus Levi, dixit Jehovah* Deus *exercituum.* verſ. 8.

III. Judicii præparationem ex juſto ordinis contemptu facile notandam. *Etiam ego feci vos ſpretos & humiles toti populo; pro eo, quod vos non ſervatis vias meas, & accipitis faciem in lege.* verſ. 9.

EX-

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTUALIS.

Verſ. 1. *Nunc igitur ad vos præceptum hoc ſpectat, ò Sacerdotes!*

2. *Si non audiveritis, & ſi non revocabitis ad animum, ut detis gloriam nomini meo (dixit Jehovah Deus exercituum) tum immitam in vos exſecrationem, & exſecrabor benedictiones veſtras.*

§. 1. Tranſitionem ad novum elenchum facit vocibus *& nunc*, vel nunc igitur. Notum eſt voculam עתה *nunc* non ſemper temporis notionem induere, ſed ſæpè vim ejus eſſe illativam; ut *Gen.* 4: 11. 21: 23. *Jud.* 9: 16. *Pſal.* 2: 10. Nexus eſt inter malam ſacrificiorum adminiſtrationem & doctrinæ corruptionem: ita ut poſterius ſit fons prioris. Quod impuros cum donis ſuis commendarent Deo, non erat ex merâ ſupinitate, ſed ex doctrinæ corruptione, quâ ipſi polluerant populi ſententiam & animos: undè crimen aggravatur, ut majus.

§. 2. Exploraturus eos ad normam judicii ſui Judex, revocat eis in memoriam *præceptum* aliquod, olim exſecrationis comminatione ſancitum. Cum dicit *præceptum*, notat obligationem cum impoſitione muneris ſuſceptam, & à ſe impoſitam, in ipſo muneris exercitio ſolvendam. Quandò addit המצוה הזאת *præceptum hoc*, dubium forte alicui videbitur, quorſum illud relativum ſit referendum, ad anteriora ne? num verò ad

ſequens enunciatum? Licet ſint qui dicta anteriora reſpici putent, ut ſignificet præceptum Dei de cultu rituali, in ſacrificiis meliùs obſervando. Nos tamen potiorem eſſe eorum ſententiam exiſtimanus, qui ad verſum ſequentem hæc referenda eſſe judicant: quoniam Spiritus Sanctus ipſe verſ. 4. rem ita exponit.

§. 3. Definit perſonas, quas tangit hoc, quod repeteret, præceptum, dicendo, *ad vos*, nempe ſpectat, aut ſimile: eſt enim ellipſis ſupplenda. Ad quos igitur pertinet dictum? *Ad vos* inquit *ò Sacerdotes*: quibus conceſſum eſt me adire, & in regno meo agere apparitores: quorum eſt cauſſam meam agere in populo. Hinc omnis neglectus non ſolum in cultu, ſed etiam error in doctrinâ illis vitio vertitur. *Ad vos* inquit, pervenit *præceptum*. Hæc definitio propterea allegatur, ne ullâ prophaſi putent ſe culpam à ſeſe amoliri poſſe; ac defendere, quod illa cura ſervandi puritatem doctrinæ non ad ſe, ſed ad alios ſpectaret. Contra provocat ad antiquum inſtitutum in lege ſuâ.

§. 4. Normam iſtius judicii indicaturus, totum argumentum præcepti exponit, indicando, quid poſtulet præceptum hoc; & quem nexum indicet inter ejus tranſgreſſionem ac pœnam comminatam Poſtulatum eſt. *Dare gloriam nomini Dei.* Quid ſit *nomen Dei?* indicavimus ad cap. 1: 6. *Gloria* autem *nominis Dei* notat præſtantiam laudis, ei debitæ, pro præcellentiâ virtutum, quas poſſidet. Ita vocem כבוד etiam explicuimus cap. 1: 6. Sacerdotum autem officium dicitur *dare* Deo *gloriam*: non quaſi ab illis aliqua ad Deum accedere poſſet nova aut major perfectio. Abſit (vide *Job.* 22: 2. 3. 35: 7.) ſed venit illa vox ſenſu forenſi, ut *dare* hic ſit *adjudicare*, & attribuere: dum quis pronunciat ad *Deum* pertinere id, ex quo gloria

gloria ejus cognoſcitur, aut *Deum* in certo opere facere vel feciſſe, quod decentia ejus exigebat. Oppoſitum ejus eſt *Deo abſurdum quid*, quod eſt contra decentiam ejus, *adſcribere. Job.* 1 : 22. Hinc frequens eſt illa phraſis in ſacris, *Dei nomini gloriam dare:* pro *Deum glorificare*, ſeu Dei gloriam in omnibus ut finem ultimum quærere. *Pſal.* 29: 2. Præſertim *nomini Dei gloria datur* per doctrinam & profeſſionem orthodoxæ fidei. Contra verò per ejuſdem doctrinæ corruptionem gloriæ Dei fit detractio & aliqualis abnegatio. Præſcribit igitur doctoribus; ut nihil de Deo ejuſque viis tradant, aut tradi ſinant; quod contra *gloriam*, ſeu decentiam ejus inſurgat: aut glorioſæ ejus majeſtati abſurdum tribuat.

Modus autem, quo ſolvi eam obligationem præcipit, eſt *audire & ad cor revocare* rem lege iſtâ demandatam. *Audire* hìc notat verbum obligationis admittere, & officium ex præcepto Dei debitum agnoſcere, ut ſibi incumbens, Conf. *Deut.* 28: 15. *Levit.* 26: 14. 1 *Sam.* 3: 7. *Ad cor revocare*, ſive ut phraſis hebraica ſonat, *ſuper cor ponere* eſt nunquam non memorem eſſe iſtius obligationis, & curam ſolvendi id debitum ſemper facere primam animi occupationem, quotieſcunque de rebus divinis deliberatur. Ita ſpectat non modò ad intelligentiam, ſed etiam ad affectum, quo rem cum curâ perpendimus, & cum ſtudio perficere conamur. Vide phraſin *Dan.* 1: 8. Nec multum abludit phraſis *ligandi legem ſupra cor. Prov.* 6: 21. & *inſcribendi tabulæ cordis. Prov.* 3: 3. 7: 3. Officium igitur, quod præceptum hoc ab iis exigit, eſt, ut cauſſam Dei (quæ gloriam nominis ejus tangit) curent per ſanam doctrinam aſſeri & defendi, & eam rem ſollicito animo in timore Dei continuis conſiliis promoveant.

§. 5.

§. 5. Verùm, ut intelligant, haud levem eſſe reatum, quem neglectu iſtius rei contraherent, hypotheticâ ſub enunciatione nexum docet, qui inter neglectum iſtius curæ, & pœnam decretam intercedit; dicit Deus, *ſi non audiveritis*, *& ſi non revocabitis ad animum*, *ut detis nomini meo gloriam*, *tum immittam in vos exſecrationem.* Crimen ergò eſt, tam parum attendere ad obligationem de dandâ nomini Dei gloriâ; ut auſit quis de eâ ſolvendâ non ſolùm non deliberare; ſed & gloriam eam tam ſerio commendatam certis dogmatibus obſcurare, & conculcare.

§. 6. Pœna comminata, quâ Deus teſtatur ſe illud crimen neglectæ gloriæ ejus velle *punire*, & præcepti tranſgreſſores plectere, eſt *immiſſio exſecrationis in eos.* המארה vox heëmantica eſt, à verbo ארר, quod mox ſequitur. Vulgatus *egeſtatem* vertit, ſed nimis reſtrictè; latioris ſignificationis eſt vox *exſecratio*, denotans quæcunque mala, ab irâ Dei profluentia, & cum excluſione à gratiâ Dei conjuncta: quæ teſtantur voluntatem juſti judicis, de perdendis ſceleſtis hominibus. *Ego* dicit *exſecrationem immittam*: quiâ omnia illa mala triſtia ſint ventura Deo jubente, & mittente, ſeu potenti manu providente, ut in tales irruant. *Amoſ.* 3: 6. *Jeſ.* 45: 7. *Job.* 5: 6. Hanc maledictionem immittit pertinaciter peccantibus, & verbò Dei non auſcultantibus. *Lev.* 26: 14-17. & verſ. 27.32. *Deut.* 28: 15. Hìc ad cauſſam facit ſpeciatim *maledictio* comminata Judæis hujus temporis *Zach.* 5: 3. *Pſal.* 109: 17-19. Nexus inter illa extrema eleganter illuſtratur ex 1 *Sam.* 2: 30. Nota quoque *vau* copulam videri poſſe ſuperfluam, niſi dicamus rei futuræ feſtinationem & celeritatem indicare, ut verti poſſit *mox.* Sic ſenſus erit *mox immittam in vos exſecrationem.*

§. 7.

Digitized by Google

§. 7. Nec contentus hoc dixiſſe, malum comminatum ulteriùs exaggerat, ſubjungendo: *& exſecrabor benedictiones veſtras.* Vox ברכה *benedictio* notat aliquandò apprecationem omnis boni: aliquandò metonymicè *bona*, ex benefico Dei favore profluentia. Hinc variant interpretes: aliis hìc agi de *benedictionibus ſacerdotum* putantibus, qui omnia fauſta apprecari ſolebant populo, juxta legem *Num.* 6: 23. atque tunc mens comminationis foret; *ego benedictiones veſtras commutabo in maledictiones*, ut cum alicui bene precati fueritis, non benedictiones, ſed imprecationes & diræ recidant in caput ejus: pro pace bella, pro copiâ inopiam, pro felicitate miſeriam, pro vitâ mortem. Hunc ſenſum ſequitur *Chaldæus*, qui Deum interminari vult, ſe non reſponſurum eorum votis, ſed populo omnia contraria immiſſurum. Alii per *benedictiones* bona & beneficia externa intelligentes, bona ipſa hìc conſiderari volunt, ut vertenda ipſis in malum, partim per ablationem gratiæ, ut ipſis concedantur ſicuti felicior ſors improbis, in malum, dum iis abutuntur in peccatum: partim per gubernationem ſuam arcanam, quâ efficeret, ut externa illa bona in ſpeciem illis ſint oneri & perditioni. Conf. *Pſal.* 69: 23. *Fiat ipſis menſa illorum in laqueum; & in univerſum in decipulam.* Inter ſigna temporis adventus Chriſti notantur iſtiuſmodi benedictiones ſeculares, quæ terræ poſſeſſionem gratam facerent inquilinis; verùm iſtarum rerum amor ſi non ad Chriſtum adducit, ſed abducit, & animos inflammat ad perverſam quæſtionem libertatis, vel armis quærendam, implicare poteſt tales rebus, judicium eorum feſtinantibus. Quod hìc loci intendere videtur Deus, elenchum hunc pronuntians. Probè notandum hoc accedere ad priorem prædictionem; ita ut his dictis

 male-

Digitized by Google

maledictionem extendat ad benedictiones eorum.

Verſ. 2. B. *Imò etiam exſecror eas ; quia non revocaſtis ad animum.*

§. 1. A normâ judicii pergit ad ſententiam ; juſtæ rationi innitentem. Sententia dicit *exſecrationem* (quæ erat in comminatione) juxta veritatem Dei jam adeſſe ſuis initiis. Imo videtur hunc ipſum forenſem actum vocare verbo *exſecrandi :* ut *exſecrari* hìc ſit juſſio ipſa Judicis, in condemnatione præcipientis, ut inſtrumenta pœnæ ſe ad ſententiæ exſecutionem componant. Ne ſemet falſâ illâ ſpe decipiant, quaſi lege definita maledictio ſuſpenderetur, & non veniret ; monet ſententiam jam latam, & irrevocabili verbo denunciatam eſſe. Non igitur ſpectanda erat illa interminatio præcepti ut vana & caſſâ ; quaſi ſolum ad metum incutiendum addita, ſed ut jam in condemnationis ſententiam tranſlata.

§ 2. Affixum ſingulare, ad præcedens nomen plurale relativè poſitum, partitivè exponendum eſt ; *exſecror eam*, pro *eas*, id eſt, ego jam præcepi ut ſingulæ earum malè cedant. Intellige *benedictiones eorum*, quas illis in maledictiones ceſſuras minatus fuerat : & nunc initialiter ſe in maledictionem eorum vertere pronunciat.

§ 3. Crimen, ob quod (convenienter allegatæ judicii normæ) exſecrationi ſubjiciuntur, eſt, *quia non revocaſtis ad animum*, dicit Deus. Phraſin eandem nunc adhibet Deus in elocutione ſententiæ, quâ uſus fuerat in præcepto : in textu Hebræo enim eſt, *quiâ non poſuiſtis ſuper cor ; ſcilicet nomini meo gloriam dare.*

Ne-

Digitized by Google

Neglectus orthodoxæ confeſſionis, quæ compoſita ſit ad nomen Dei glorificandum; & introductio fœdorum errorum, decentiam ejus abnegantium, ponuntur ut crimen, non ampliùs impunitum dimittendum: ſed à pronunciatione hujus ſententiæ rigidè puniendum.

Verſ. 3. 4. *Ecce ego increpo vobis ſementem & ſpargam ſtercus in faciem veſtram, ſtercus feſtorum veſtrorum, & auferet vos cum eo. Tunc Scietis, quod miſerim ad vos præceptum hoc: ut eſſet pactum meum apud Levi: dixit Jehovah Deus exercituum.*

§. 1. *Sermo Dei* à compendioſâ ſententiæ ſuæ denunciatione *progreditur ad ſupplicii denotati amplificationem:* ac primo loco exhibet, ut ſupplicii initium, *annonæ penuriam*, quæ famem importat.

§. 2. Verbum גער *increpandi* notionem continet, & *cohibendi*, in quantum increpatione aliquem, ne in opere pergat, cohibere ſolemus. Deus in ſacris dicitur ſolo juſſu & imperio agere, quæ agit, *Pſal.* 33: 9. *vocare*, quæ adeſſe vult, *Jeſ.* 40: 26. *increpare*, quæ abire & recedere jubet; non aliter ac ſi præpoſterè adeſſent: *Pſal.* 9: 6. 68: 31. *Jeſ.* 54: 9. Nota ejus effectum, *aufugere Pſal.* 104: 7. atque ita recedere. Sic exhibet ſe, quaſi in exercitio iræ terram *increpantem*, cum indignatione, ne bonum ſuum adducant ampliùs populo pervicaci: prohibitio ergò cum ſigno indignationis eſt *increpatio*, efficaci voluntate cohibens, ne terra quicquam pergat in bono cum populo iſto communicando.

§. 3. Quod eo modo avertit ab iis, eſt *proventus agri* ad annonam. Lxx., quos ſecutus eſt *Hieronymus*, vicinitate vocum זרוע & זרע decepti, longe à verâ mente loci recedunt, vertentes ἀφορίζω ὑμῖν τὸν ὦμον. Vulg. *Ecce ego projicio vobis brachium*; quæ Hieronymus de parte illâ victimæ exponit, quæ Sacerdoti cedebat quaſi in mercedem. Hunc *armum* vult ſeparatum & projectum iri in faciem ſacerdotum. Sunt alii, qui per *brachium* robur eorum & potentiam politicam intelligunt, aut dignitatem Sacerdotalem, cum priori junctam: quod amputaret divina ſeveritas, & amputatum projiceret. Aſt, quoniam iſtæ expoſitiones lectionem textus originalis mutent; nos iis non immoramur. Vox זרע *ſemen* & *ſementem* ſignificat; ſeu id quod ſerendo terræ commiſſum eſt. Inter benedictiones populi in terrà recenſetur annonæ ubertas: atque ex teſtamento primo benevolentiæ Dei ſignum & effectum erat, agros terræ ſanctæ fœcundare, quò populum Dei liberaliter ſuſtentent. *Sementem increpare* ergò eſt præcipere, ne ſata apud Judæos feliciter proveniant, aut ſaltem in proventu corrumpantur: quæ *ſterilitatis* pœna eſt. Pronomen לכם hic eſt *dativus incommodi*; adeoque increpatio hæc eo tenderet, ut ſatum quod erat, recedendo iis eſſet iniquum & parum utile.

§. 4. Alterum ſupplicium *annonæ caritati* adjicit *extremam ignominiam*, quæ proxime ſequeretur, & cujus ante-ambulo foret annonæ penuria. *Supplicium* autem illud conſecuturum ita definit Judex; *& ſpargam ſtercus in faciem veſtram.* Procul dubio *ſtercus* hìc notatur victimarum, poſt mactationem à ſpurcitie inteſtinorum eluendarum: cum enim Judæi ex variis locis ſua adducerent ſacrificia, fieri non potuit, quin magna eſſet ſtercoris congeries, quæ tamen juxta legem erat ex-

pur-

purganda & efferenda, ſicuti & area atrii à ſordibus iſtis & excrementis liquidioribus erat eluenda. Iſta ſpurcities, etiam ut pollutum quid cenſeri debet. Jam *ſpargere illud alicui in faciem* res erat ultimæ ignominiæ, declarationem involvens eos habendos eſſe pro pollutis & fœtore inviſis hominibus: id eſt exoſis & nauſeabundis. Confer phraſin, quæ tales *fœtidos* appellat. *Gen.* 34: 30. 1 *Sam.* 13: 4.

§. 5. Hæc cum *Deus* in alloquio *ad Sacerdotes* dixiſſe feratur, pœnam contemptus, à Deo honoratiſſimo ordini irrogandam, dicunt. Maxima erat ſacerdotalis ordinis inter Judæos authoritas, dignitas, atque gratia, quoniam ex muneris ratione quotidiè cum Deo agebant, atque pro populo intercedebant; quo ſanctius nihil excogitari poterat: neque minùs ad muneris iſtius decus faciebat, quod eorum munus ex inſtitutione divinâ ortum habuerit. Ita viſus eſt Deus, qui eos ſanctioribus ædis ſuæ veſtibus induerat, ipſe eos honoraſſe. Verùm pœnæ iſtius effectus foret totum illum ordinem conſpurcare, & faciem eorum impudicam, quâ ſe coram Deo ſiſtebant quotidiè, ex adſperſâ iſtâ labe ac ſpurcitie ad pudorem ultimæ confuſionis uſque proſtituere.

§. 6. *Stercus feſtorum veſtrorum.* חגיכם Vocantur *feſtivitates* Judæorum *ſolennes*, magno cum gaudio tranſigendæ, cujus ſpeciei feſta tria erant primaria, paſchatis, pentecoſtes, & tabernaculorum. *Exod.* 23: 14-19. Sed quandoquidem etiam *victimæ feſtivæ* ita appellantur, quæ ob feſtorum ſolemnitates mactari ſolebant; prout ex locis, *Pſal.* 118: 27. *Jeſ.* 29: 1. 33: 18. colligere licet. Quæſo dijudicent viri docti, an non potiùs vertendus ſit textus? *ſtercus victimarum ſolennium.* Nunquam major erat & victimarum & ſter-

Digitized by Google

coris abundantia, quam cum ad feſtiva gaudia affluerer totus Iſraël; neque unquàm major miniſtrorum aderat copia; quia omnis Sacerdotum & Levitarum ordo iſtis diebus in atriis comparebat. Quandò hi, ut *ſtercore victimarum ſolennium* conſpurcandi veniunt; hoc per appoſitionem additur, ut téneant quomodò in publico Deus illos ignominiâ notaret, etiam coram oculis totiùs populi: nam, feſtivis iſtis diebus omnis maſculus ex inquilinis terræ intererat, ut ſacrificia comparitionis per Sacerdotes unà cum pacificis offerri curet: quare ad majus exemplum Judices quoquè circa tales feſtivitates judicia maximè capitalia exſecutioni demandabant.

§. 7. Sub ſymbolo *ſtercoris* notatur Deum *totum cultum ceremonialem*, ſine relatione ad Chriſtum celebratum, habere *pro cultu ſtercoreo*, qui *fœtorem* concitat in ſuis naribus: quicquid etiam in Sabbathis, Noviluniis & Feſtis faciant Sacerdotes. Eodem ſenſu Paulo omnia Judaica extra Chriſtum σκύβαλα dicuntur *Phil.* 3: 8. ubi fortè ad hunc locum reſpicit. Ita Deus ſacrificia, decentiam nominis ſui non ſervantia, tanquam rem abominabilem & deteſtandam, cujus conſpectum & fœtorem ferre nequit, rejicit & damnat. *Aſperſio* iſtius ſtercoris, conjiciendi in ſacerdotes, loco conſperſionis rerum ſacrarum, notat eleganter imputationem iſtius defectus & pravitatis, quâ iſtius criminis rei cenſentur *Sacerdotes*, doctrinæ de juſtitiâ fidei corruptores, & aliarum putidarum ſententiarum auctores. *Sparſio in faciem eorundem* notat imputationis modum; fore ſcilicet ut ob iſta eis rubor faciei publicè incutiatur.

§. 8. Additur porrò, *& auferet vos cum eo*, ſcilicet ſtercore. Verba iſta imperſonaliter ſunt accipienda, quod belgicè eleganter exprimas: **ende men ſal**

uwlie=

uitwlieden met deſelve wegnemen. Aut hic ellipſis ſtatuenda eſt, ſupplenda voculâ *aliquis:* atque tunc ſenſus erit, *& aliquis auferet vos cum eo.* Res eodem redit. Duplex hic ponitur *ablatio*, quæ proximè ſequeretur: una ſtercoris, ſeu cultus ſtercorei, cum ablatione templi & inſtrumentorum ejus exſpectanda. Ubi alluſio fit (ut notavimus) ad *ſtercoris* victimarum ablationem, & omnis conſpurcationis elutionem: moris enim erat, ſtercora efferre extra caſtra & locum ſanctuarii. Proin iſta feſta quoque à facie Dei ita aliquandò auferenda eſſe notat, ut nunquam celebrarentur poſthac. Ablatio altera erat *Sacerdotum*, unâ cum cultu illo à dignitate iſta removendorum, & extra eccleſiæ communionem conſtituendorum. Ita ut quemadmodum cum ſordibus ejici ſolet domo id quod ſordibus inquinatum eſt, & ablui non poteſt, ita etiam ex terrâ Dei ſint exturbandi & ejiciendi, qui illam contaminationem contraxerunt: ſeu in mundo diſſipandi, in ſignum, quod per conſequens in tenebras exteriores projicicìendi eſſent. Conf. *Amos.* 8: 10. Inſeritur etiam tacitè *inſtrumentum aliquod* fore, cujus operam Deus ad duplicem illam ablationem perficiendam adhiberet, quodque hâc in parte conſilio Dei miniſtraret. Illudque inſtrumentum propediem eſſe excitandum, quo templum cum omni cultu & miniſtris ita tollat à populo, ut non compareret amplius. Relinquitur quidem iſtius judicii Dei miniſter innominatus; ſed ſupponitur ferè ut aliundè cognitus: apud Danielem enim nominatur *populus principis advenæ*, cui illud opus tribuitur. *Dan.* 9: 26.

§. 9. Conſequens iſtius horrendi judicii apponitur in verbis. *Tunc ſcietis* (ſeu cognoſcetis) *quod ego miſerim ad vos præceptum hoc.* Conf. *Zach.* 2: 9. *Vau* copula hìc commodè ſenſu temporali redditur: notatque,

que, quandò *raptor ille* veniet, ut omnia illa impura averrat: tunc cognituros ſacerdotes, id eſt, *expertu-ros*, quod non vana fuerit comminatio, præcepto allegato contenta; ſed Deum habuiſſe auctorem, eorum impietatem quærentem. *Miſerat Deus hoc præceptum ad ipſos*, quandò illis legis depoſitum ſervandum commendaverat. *Legatus* iſtius miſſionis fuerat Moſes.

§. 8. Cauſa commiſſionis legis, quæ Sacerdotum cuſtodiæ tradita fuit, dicitur, quod illud præceptum eſſet *pactum Dei cum Levi*. Ita vulgò interpretes locum hunc vertunt; putantes hic reſpici, quod legitur, *Num.* 25: 12, ubi hiſtoria Phinehaſi narratur, & mentio fit fœderis Dei, ut *fœderis pacis & ſalis*; id eſt perpetui: atque tunc mens dictorum eſſet, præcepti, jam memorati argumentum eſſe, *ut pactum cum Levi* de ſacerdotio obeundo *ſervarent*, & quidem in ſempiternum. Verùm nos exiſtimamus rem aliter expediendam eſſe. *Levi* hìc venit pro Levitis, ut Juda pro Judæis. Fatemur quidem particulam את conſtructam cum verbo *pangendi* aut *ſecandi* ſignificare partem fœderatam & ad fœdus adſcitam. Sed quandò verbum, היה intercedit, præpoſitio את verti poteſt *apud*, ut ſæpius fieri conſtat, vide *Gen.* 30: 29. 31: 7. *Deut.* 15: 3. Proin non putem hìc agi de fœdere, aut pacto aliquo ſingulari, de Sacerdotio, familiæ Aharonis adſtringendo: ſed de fœdere gratiæ, ceu pacto cum univerſo populo inito, verùm Levitis, ut cuſtodiant apud ſe, tradito. Reſpicit textus, me judice, locum *Deut.* 30: 31., ubi ſub ultimis Moſis fœdus toto cum populo, poſteris etiam incluſis, non ſolum initum ratùmque fuit; verùm etiam filiis Levi eâ cum commendatione traditum, ut ejus contenta populo inculcarent, omnique ſtudio exponerent: quod fœdus Judæos obligabat

gabat ad ſuſceptionem Meſſiæ, & admiſſionem ſatietatis: vel, ut eſt in cantico Moſis, ut rupi ſalutis in tempore ſuo magnitudinem cedant: ratio etiam videtur evidens, quoniam ab hujus fœderis obſervatione *vita* pendebat & *pax* totius populi: ab ejuſdem rejectione vero maledictio & omne malum. Jam verò ex Moſe conſtat, virum illum optimum munus ſuum clauſiſſe cum omnium iſtarum benedictionum, tum maledictionum intimatione, cœlum & terram contra eos obteſtans. *Deut.* 30: 19. Vertamus ergò, *ut fœdus meum eſſet apud Levi*, id eſt, in cuſtodiâ Levitarum, ſub curâ filiorum ejus. Exponit igitur finem miſſionis iſtius, quâ ad Sacerdotes direxerat præceptum illud, ſub tali comminatione ſancitum: ut fœdus ſuum cum populo ſartum tectum eſſet apud Levitas; illique per timorem Dei continerentur in officio, illud fœdus conſervandi & rectè exponendi.

Verſ. 5. *Pactum (aut fœdus) meum apud ipſum fuit, vitæ & pacis; & dedi ea ipſi in timorem.*

§. 1. Tranſit elenchus Dei ab amplificatione judiciorum ad amplificationem criminum, ut ſententiæ ampliatæ fiat juſtificatio. Oſtendere molitur elenchus Levitas poſterioris temporis receſſiſſe à typo & normâ officii: quare iſtam normam præmittit, quæ eos reatus convinceret, & quidem receſſionis à fœdere. Allegat illud *fœdus ſuum* conſcriptum *apud* iſtam tribum *Levi* depoſitum fuiſſe depoſitum magni momenti; fuiſſe enim *fœdus vitæ & pacis.*

§. 2. Vox ברית notat *fœdus*; & uſurpatur, ubi eſt mutua ſtipulatio: quandò una pars poſcit & promittit:

 altera

altera poſtulata admittit, & promiſſa viciſſim repetit. Quandò Deus dicit *fœdus meum*, indicat ſe fœdus pepigiſſe cum populo ſuo de pace & amicitiâ, exponendo ei viam perveniendi ad fruitionem gratiæ ſuæ: & repetendo adſtipulationem, legi ejus faciendam à populo: quæ haud malè conveniunt iis, quæ Deus tranſegit cum Iſraële in campo Moäbitico: vide *Deut.* 29: 9-15.

§. 3. Repetit iterum *illud fœdus fuiſſe apud ipſum*, ſcilicet apud *Levi*, ſeu Leviticam tribum; ut ejus poſteri fuerint depoſitarii tanti pignoris, quorum erat illud in ſcripto conſervare, exemplaria deſcribere, & veram mentem Dei coram populo exponere. Conf. *Deut.* 31: 25-27.

§. 4. Vocat autem porrò illud fœdus, *fœdus vitæ & pacis*, nam ita vox בריה *ἀπὸ τῦ κοίνυ* repetenda videtur. Qui *fœdus Sacerdotii* hic intelligunt, *vitam* explicant per diuturnitatem, & *pacem* per omnia fauſta, ſeu felicitatem temporalem. Verum ſatis frigidè: quod nos ampliùs movet ad noſtram applicationem, ut nobiliorem ſenſum gignentem, ſervandam; atque hæc de fœdere gratiæ, prout ſub finem vitæ Moſis ratum fuit, eſſe intelligenda. *Vita* hìc eſt inter bona fœderis, à Deo promiſſa, atque in emphaſi accipienda, ſicuti apud Moſen, *Deut.* 30: 19, pro vitâ ſanctitatis & gloriæ, ne morte quidem extinguendâ. *Fœdus pacis* mihi dicitur, ſicuti *conſilium pacis*, *Zach.* 6: 13. & *fœdus pacis. Jeſ.* 54: 10. quatenus Deus per confœderationem iſtam pacem inire voluit cum peccatoribus: undè adſtipulatio fœderis audit *pacem facere cum Deo; Jeſ.* 27: 5. quæ *pax* eſt aliud bonum, fœdere gratiæ oblatum, & per fidem in mediatore Chriſto cum Deo quærendum.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. Additur autem porrò ; *& dedi ea ipſi in timorem.* Intellige Levitis ea data fuiſſe, quæ ad fœdus illud ſpectabant : niſi fortè hæc potius referre velis ad *vitam & pacem*, quæ dona gratiæ ſunt, atque etiam Levitis æque ac cæteris oblata fuerant, per fidem amplectenda. Finem oblationis dicit *in timorem.* Ita finis legis & fœderis dicitur *timere Jehovam Deum noſtrum*, *Deut.* 31 : 12. 13. ſicut & finis gratiæ remiſſionis peccatorum, *Pſal.* 130 : 4. quo enim major eſt gratia Dei oblata, eo majorem affert *amorem Dei*, & propter imbecillitatem carnis noſtræ, cujus nobis ſumus conſcii, *timorem.* De timore Dei egimus ad cap. 1 : 6.

Verſ. 5. 6. *Atque timuit me, & propter nomen meum conſternabatur ipſe. Lex veritatis erat in ore ipſius, & injuſtitia non inveniebatur in labiis ejus. In pace et in plano ambulavit mecum, et multos convertit à pravitate.*

§. 1. Ut teneant Sacerdotes & Levitæ, quantoperè ab exemplo proparentum receſſerint poſteri ; utque ex collatione viarum utrorumque id magis pateat ; Deus præmittit deſcriptionem laudatiſſimi exempli in patribus, quibus attribuit, quod Levi *timuerit ſe*, dicens : *atque timuit me*, id eſt, nomen meum & vertutes meas reverenter habuit ; atque ex illo affectu ab omni re prohibitâ ſe cohibuit.

§. 2. *Et propter nomen meum conſternabatur ipſe* ; Verbum נחת à radice חתת *conſternari* notat, tam in *Niphal*, quam in *Kal* : ut ſit major gradus timoris, cui ſuperaddit animi dejectionem : quam ob rem duo illa verba pluries junguntur, uti *Deut.* 1 : 21. Proin ita

timuiſſe dicitur, ut etiam in certis caſibus paveret, & contremiſceret totus: idque, dicit Deus, מפני שמי *propter nomen meum.* Conf. quoad phraſin *Jer.* 1: 17. *Ezech.* 2: 6. 3: 4. Poſuerat Deus *nomen ſuum* in tabernaculo; quæ poſitio, quotieſcunque ut Pontifex ſanctuarium ingrederetur, illi cauſa erat *conſternationis* & *tremoris*, quibuſcum cogitabat de præſentiâ numinis, ſanctificandi à miniſtris ſuis. Ad quam conſternationem augendam faciebat memoria ſeveritatis divinæ in eos, qui vel minimum in munere ſuo defecerant, ut in exemplo filiorum Aharonis *Nadab & Abihu*, qui igne cœleſti non conſervato ignem privatum attulerant ſuper altare, edocti erant. Adde exemplum ſeditionis, quam moverant *Corach*, *Datham & Abiram*, rigidiſſimè punitæ; dum tota cohors obloquentium abſorpta fuit à terrâ, & vivi deſcenderunt ad inferos.

Hinc non auſi ſunt vel hilum deflectere à lege, & ejus ſanâ interpretatione; à quo didicerunt Deum ita velle ſanctificari in iis, qui ad eum haud purè accedunt.

§. 3. Alterum antiquæ fidelitatis ſpecimen eſt, quandò de anteceſſoribus dicitur. *Lex veritatis fuit in ore ejus.* Recenſet oraculum Dei nobiliſſimos timoris illius & reverentiæ ergâ nomen ſuum fructus; quorum alii ſpectandi ſunt *in dictis*, alii *in factis*. Primum, quod *in dictis* ejus laudatur eſt ejus fidelitas in traditione *doctrinæ veritatis*. Notiſſimum eſt, vocem תורה ſæpius notare doctrinam eccleſiæ; quatenus continet *indicationem viæ*, peccatorem ad ſalutem ducentis, aut ſaltem de decenti ſoſpitationis modo erudientis: oritur enim illa vox à verbo הורה, quod *viam commonſtrare* notat *Pſal.* 25: 8. Neque alia eſt ratio, ob quam *legem* ſignificat; quoniam *præcepta legis* ſub eo formali,

quod

Digitized by Google

quod commonſtrationem viæ ad vitam contineant, ſunt concipienda. Hinc vox legis Moſaicæ ſæpiſſimè pro omni eo, quod Moſes Iſraëlem edocuit, ad fidem æque, ac ad mores faciens, accipienda eſt.

Lex veritatis igitur per Hebraiſmum ſatis frequentem dicitur *doctrina vera & orthodoxa*; quæ veram atque infallibilem viam vitæ ex Deo per miniſterium Moſis edoctam, ad fidem & pietatem peccatorum animis ſuadendam commonſtrat. *Veritas* iſtius doctrinæ nititur authoritate Dei, veracis, mentiri neſcii, & legislatoriâ poteſtate ſummo jure pollentis; qui ſolus eſt *conſilii ſui* infallibilis interpres, in quo fides acquieſcat. Hoc additur; ut teneamus ſpem, ei innixam, nunquam fallere ſperantem: nec eludendam in die ultimo. *Pſal.* 119: 142.

Ergâ eam *doctrinam veritatis* dicitur *Levi* ita fuiſſe animatus, ut *extiterit in ore ejus*. Id eſt, in ſermonibus ejus, ad inſtitutionem populi ſpectantibus, *pura* & mera. In hiſce datur ei teſtimonium de munere doctoris ritè obito & fideliter curato, quippe qui veritatem non conticuit, ſed docuit apertè, & inculcavit ſincerè, ſine admixtione falſi.

Hic fructus eſt *timoris Dei* & piæ conſternationis in doctore eccleſiæ, quod eum faciat in veritatis inquiſitione prudentem, inque ejus promulgatione ſedulum & fidelem: ut non audeat verbis Dei quicquam addere, aut detrahere, vel quicquam dicere, quod non eſſet ex mente Dei.

§. 4. Huic adjicit & aliud, quod in dictis ejus laudatur, atque ſucceſſoribus debebat eſſe exemplo, dicens: *Et injuſtitia non inveniebatur in labiis ejus.* Vox עולה notat *injuſtitiam* ſeu *injuriam*, nempe quicquid eſt contra jura legis: ac cauſa foret proximum contra

tra jus & fas opprimendi. Notatur aliquandò ut vitium hominum violentorum, qui appellantur *filii injuſtitiæ* id eſt virii injurii. 2 *Sam.* 3: 34. 7: 10. 1 *Chron.* 17: 9. aliquandò ut vitium fori, pio judici fugiendum. *Lev.* 19: 15. ac removetur à Deo, rupe ſalutis, *Deut.* 32: 4 *In conſiliario*, qui in controverſiis de ſenſu legis rogandus eſt, notat *juris perverſionem & depravationem*, quâ ſiniſtrâ mentis expoſitione author eſt, ut judex in conſeſſu juſtum condemnet, ſive in rebus fidei, ſive in caſu morum. Ita Pontificis & Sacerdotum erat, rogati à judice, ſenſum legis aperire, ut ex verſ. ſequente conſtabat. Hoc vitium in prædicato removetur à Levi, dum refert teſtimonium, quod talis *injuſtitia non inveniebatur in labiis ejus*. Id eſt, *non fuerit* penes eum; quandò, quid decernendum eſſet juxta legem, indicaret. Conf. quoad phraſin *Eſth.* 1: 5. *Jeſ.* 53: 9. *Os* & *labia* cum ſint organa ſermonis, hic connotant eloquia; & hic loci definitionem de ſenſu legis. Ita judicibus in cauſſâ controverſâ fidelis erat conſiliarius: qui novus erat fructus *timoris Dei*, ne judex juſtitiæ offendatur juris perverſione, ſollicitè curantis.

§. 5. A dictis tranſit *ad facta* laudanda, quorum reſpectu huic teſtimonium dedit Deus, primò, *quod ſecum in pace & plano ambulaverit.* Phraſis illa (*ambulare cum Deo*) antiquiſſima eſt, ac tribuitur illud ſtudium in ſacris *Henocho*, *Gen.* 5: 22. 24. & *Noacho*, *Gen.* 6: 9. Nec tantum ſignificat *piè vivere*, ut Deum in omnibus actionibus tuis ſtatuas tibi præſentem, eumque eligas operum tuorum inſpectorem & teſtem; verùm quod amplius eſt, Deo auctore cauſſam Dei agere ac defendere: in publicis diſſidiis ſtare à partibus Dei, & adverſus opponentes magno animo, Deo in cauſſâ ſuâ

duce

duce, progredi: Apoſtoli enim ex eâdem phraſi colligunt *Henochum* & *Noachum* inter contradicentes peſſimis iſtis temporibus non ſolum fide placuiſſe Deo, verùm etiam *præcones* egiſſe *juſtitiæ*, atque primi ſeculi defectoribus ſemet ſtrenuè oppoſuiſſe. Proin hoc teſtimonium aſſerit, & pios fuiſſe primi temporis Sacerdotes ac pontifices, & pro fœdere Dei, illis commiſſo, cum declinantibus ingenuè decertaſſe.

Quandò additur *in pace*, notatur eos pacem coluiſſe cum Deo, *Jeſ.* 27: 5. Deo non rebellaſſe, nec cum eo litigaſſe; ſed in tranquillitate bonæ conſcientiæ, & gratiſſimo amicitiæ cum Deo cultæ ſenſu munus concreditum fideliter obiiſſe. Huic proximè cohæret, *& in recto*, ſeu in plano: vox enim מישור propriè *planitiem* notat, *Deut.* 3: 10. *Jer.* 48: 8. 1 *Reg.* 20: 23. *Jeſ.* 40: 4. *Zach.* 4: 7. *Ambulare* autem *in plano*, ſeu per viam planam, eſt non modo *incedere ſine offenſione*, ſed etiam ſine deflectione *ad anfractus Pſal.* 125: 5. aut proſecutione rerum ſibi præaltarum. *Pſal.* 130: 1. animo ſincero & humili curando, quæ erant muneris ſui.

§. 6. Alterum, quod in factis ejus laudatur, ſic exponitur. *Et multos reduxit à pravitate.* Hic notantur *multi*, qui ſupponuntur ut deflexi à viâ planâ, & ſecuti vias curvas, recedentes à normâ: quæ aberratio appellatur *pravitas*, Hebr. עון, notans id, quod *recto* opponitur; quod curvum & detortum eſt, ac à normâ deflectit. *Reductio* hìc eſt ſtudium laboris ad hominum *converſionem* cum ſucceſſu, ſeu effectu ejus quod quæritur. Dignum hoc opus eſt homine, gloriam nominis Dei amplificare ſtudente, peccatores in viam reducere, ut peccaminoſo vivendi genere omiſſo, ad Deum redeant, atque in fide & à ſtudio bonorum operum ſe illi ut probatos ſiſtant.

Verſ. 7.

Verſ. 7. *Etenim labia Sacerdotis cuſtodire* debent *ſcientiam, ut legem requirant ex ore ejus: nam legatus Jehovæ* Dei *exercituum eſt.*

§. 1. Ab exemplo progreditur ad normam officii; quæ dicit, *labia Sacerdotis cuſtodire* debent *ſcientiam.* Vox *Sacerdos*, partitivè accipienda eſt, pro quocunque ſacerdote; qui hìc concipitur, ut cui depoſitum & theſaurus aliquis divinitùs fuit commiſſus; atque obligatus erat ad rationes rei commendatæ: quippe voluntatis divinæ conſtitutus in populo interpres.

§. 2. In tali viro requiritur *ſcientia* divinæ legis fœderis Dei, non ſolùm quoad literam, ſed etiam quoad mentem & ſenſum: ex quâ excludi nequit cognitio finis legis, & conſilii divini in datione rituum legalium. Hinc *Lev.* 10: 10. ab iis exigitur, *ut habeant ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceantque filios Iſraël omnia jura Dei.* Sic inſcitia rerum divinarum erat vitium, eos ineptos faciens ad legitimam muneris exſecutionem.

§. 3. Nec illi tantùm *ſcire* debebant res fidei & morum, cum omni ambitu legis: ſed in commune bonum ſcientiam illam *cuſtodire* debebant *labiis ſuis.* Verbum ישמרו alii vertunt *cuſtodient*, non quaſi eſſet promiſſio perpetuæ fidelitatis, ac ſi ſacerdotes nunquam deëſſent hàc in parte ſuo muneri: huic enim contradicit præſens elenchus, in quo poſteri jam arguuntur, ut qui *clavem ſcientiæ occultaverant* & amiſerant. Contrarium quoque conſtat ex tot exemplis & querelis prophetarum, eos ſæpiùs à ſcopo aberraſſe probantibus. *Joh.* 7: 48. 49. *Jer.* 8: 8. 18: 18. Cl. *Coccejus* accipit

cipit ut dictum de vero & genuino ſacerdote. Verùm cum futura aliquandò imperativè ſignificent, & obligationem notificent; hìc tenendum non indicari privilegium adeò eorundem, quàm officium cujuslibet Sacerdotis: quare vertimus *cuſtodire debent*, ſeu tenentur.

In verbo *cuſtodiendi* emphaſis eſt; concipitur enim ſcientia legis & fœderis Dei (ſeu doctrina orthodoxa, ex ſenſu verbi Dei tradita) ut theſaurus & depoſitum, à Deo Sacerdotibus commendatum; quorum erat curare, ut illa doctrina ſarta tecta, & ab omni corruptione illæſa, maneat. Cumque hoc opus deſcribat ut *opus labiorum cujuſcunque Sacerdotis*, poſtulat à quolibet eorum; ut non ſolùm docendo veritatem orthodoxè inculcent; verùm etiàm acri virium contentione ſe iis diſputando opponant, qui veritatem ſuis corruptelis inficere aut depravare molirentur. Huic obligationi reſponderunt, qui *cum Deo in pacè & plano ambulârunt.*

§. 4. Ratio, ſeu finis iſtius cuſtodiæ demandatæ dicitur; *ut legem requirant ex ore ejus. Vau* hìc nobis iterum conſecutivum eſt: & vox *legis* (ut verſ. 6.) pro omni doctrinâ ſeu commonſtratione viæ accipienda: ibi legebamus, *legem veritatis fuiſſe in ore ejus:* hìc *ex ore ejus* debere exire; id eſt, ex ejus inſtitutione & reſponſo; quippe qui doctrinæ ſcientiam debebat in promptu habere ad reſponſum & communicationem cum eccleſiâ. Sic *os Sacerdotis*, legis expoſitionem loquentis, proponitur ut *fons ſcaturiens* eruditionem, *Prov.* 10: 11.

Officium Judæorum ponitur *in requiſitione* legis; verbum בקש *in pihel* pluries venit pro rei ignoratæ indagatione, ſeu ſtudio adipiſcendi cognitionem 1 *Chron.* 4: 39. *Eſth.* 2: 23. Ita ſe gerent, ut *ſacerdotum* decet diſcipulos.

§. 5. Ratio autem, cur ad ſanæ doctrinæ conſervationem ſacerdos conſulendus erat? adjicitur verbis, *Nam legatus Jehovæ* Dei *exercituum eſt:* alii legunt *angelus Jehovæ eſt:* quod à variâ acceptione vocabuli מלאך dependet; cujus ſignificationem in noſtrâ ad hunc prophetam introductione diſcuſſimus. Etiam vulgatus alibi vertit *nuncius*, ut *Job.* 1: 14. *Gen.* 32: 3. *Deut.* 2: 26. Etiam plerique Patres, ut *Hilarius* l. 5. de Trinitate. *Gregorius* libr. 32. Moral. c. 18. & *Iſidorus* l. 1. Sentent. c. 11. *angeli* nomen non eſſe nomen naturæ, ſed officii obſervarunt. Vocatur itaque Sacerdos, & præ primis Pontifex *nuncius*, *legatus*, ſeu *internuncius*, quia Dei & hominum quaſi ſequeſter eſt, per quem Deum compellabat populus, & cujus miniſterio rurſus voluntatem ſuam cum populo communicabat *Jehovah*, Deus *exercituum.* * Reſolvitur ergò ejus authoritas in *Jehovam*, qui ſolus eſt verus Deus; quique eſt *Deus exercituum*, qui colitur ab angelis, & aliquandò coleretur ab exercitibus gentium. Ita per hunc internuncium populo res erat cum vero Deo, quem coluerant Patres ipſorum Abraham, Iſaäc, & Jacob. Hujus rei ſignum fuit in pectorali Pontificis, *Exod.* 28: 30. *Et pones in pectorali judicii Urim & Thummim, quæ erunt ſupra pectus Aharonis, quandò ingredietur coram Deo.* Conf. *Lev.* 8: 7. 8. atque uſus eorundem erat in caſu dubio reſponſum petere à Deo, *Deut.* 17: 8. Conf. 2 *Chron.* 19: 10. *Hag.* 2: 12. Hæc erat Theocratiæ antiquæ ratio; quod Pontifex cum ſacerdotibus haberentur ut intimæ admiſſionis homines, in palatio Dei ad Regem proximè accedentes, & quandò res poſtulabat nomine populi reſponſa divina petentes: undè ut *internuncii*, ad populum regre-

Digitized by Google

regredientes, planè ſpeciem referebant Legatorum Dei. Hæc facies muneris eorum involvebat etiam obligationem audiendi eos, quibus Deus cuſtodiam hanc legis, curam veritatis unà cum poteſtate in cauſſâ dubiâ (eos ad definitionem rei controverſæ proximè conveniendi) commendaverat.

Notandum interim in eâ populi antiqui ab ore ſacerdotis dependentiâ fuiſſe aliquid, quod œconomiæ prioris teſtamenti fuit peculiare; haud quaquam ad œconomiam N. T. quæ liberata eſt à ſervitute legis, transferendum, & ſolùm tempori conveniens, quo hæres infans erat, ac ſub pœdagogiâ laborabat; de quâ re videndus eſt Cl. Coccejus in hunc locum.

Hoc ſolum adjicio, quod quo major fuerit populi dependentia ab ore Sacerdotis, eo major incumbebat hominibus iſtius ordinis cura, ad cuſtodiendam ſcientiam integram: & non occultandam clavem ſcientiæ, cujus ope ænigmata in ſacris recludant, finem legis aperiant, & omnem errorem, contra myſteria fidei pullulantem, radicitùs extirpent. Undè gravius quoquè committebant crimen, qui hanc legationem divinam non in timore Dei obeuntes, conſilium Dei perverſis ſuis opinionibus nec rectè, nec convenienter decentiis divinis exponebant.

Verſ. 8. *Sed vos diſceſſiſtis à viâ, & multos impingere feciſtis in lege, corrupiſtis fœdus Levi, dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

§. 1. Tranſit nunc elenchus ad accuſationis amplificationem, demonſtrando, ut poſteri ab exemplis anteceſſorum laudatis, & normâ in lege ſacerdotii præſcriptâ receſſerint: quamque diſſimiles patribus ſuis facti

 ſint,

ſint, in ordine ad munus doctorum, & curam pro ſervandâ orthodoxiâ ipſis commendatam.

§. 2. Prima accuſatio eſt, *vos diſceſſiſtis à viâ.* In textu eſt הדרך cum articulo, quaſi dicas *ab illâ viâ. Via* in ſacris notat definitum agendi modum, qui ad certum terminum deducit; cui reſpondet *ambulare*, ut notans iſtius in agendo modi obſervantiam, atque illum ductum ſequi. Non omnis *via* ſeu conceptus agendi modus probatur à Deo; ſed ille ſolus, quem *lex*, quæ eſt viæ à Deo præſcriptæ commonſtratio, poſtulat; quemque viri à Deo laudati calcarunt, quorum veſtigia, quia in exemplum commendata ſunt, ſequi decet. Articulus indicat hic reſpici *viam*, quam ante laudati ſacerdotes tenuerunt, qui dicebantur *cum Deo ambulaſſe in pace & plano.* Hoc eſt, non ſolum legem veritatis habuiſſe in ore, ſed etiam ſecutos fuiſſe in praxi, quæ erat commonſtratio *viæ* ad juſtitiam, pacem, & vitam. *Diſcedere à viâ* eſt opus apoſtaſiæ, quâ homines in praxi, veritatem abnegantes ore & opere, fiunt heterodoxi & ſcandaloſi. Confer *Dan.* 9: 5. Quod vitium exaggeratur voce *Vos*: ſcilicet Sacerdotes. Veſtri anteceſſores docebant veritatem & tuebantur eam ſtrenuè: Vos contra varias doctrinæ corruptelas in eccleſiam invehitis. Illi erant integri, & pacem cum Deo colentes per fidem, atque fidei fructus proferentes. Vos fide deſtituti pluribus ſceleribus licet hypocriſi obvelatis contaminati eſtis. Illi ſe populo præbebant duces laudato exemplo: vos cæci duces, prava populo exempla, auctores eſtis peſſimæ ſeductionis. Ita æſtu cupiditatum per devia abrepti ad lubrica præcipitia deflexiſtis. *Vos*, inquam, quos iſto honore condecoravi, contra decus muneris & contra obligationem indè profluentem, infideles facti in opere legationis, primi fuiſtis in deviatione *à viâ.*

§. 3.

§. 3. Altera accuſatio eſt, quod non ſolum ipſi ſe fecerint ineptos ad ingreſſum in regnum cœlorum: verùm etiam objicitur illis, quod & alios multos in devia ſecum pertraxerint: pergit enim elenchus dicens; *& multos impingere feciſtis in lege.* Hic *lex* concipitur in ſe continere omne officium hominis fœderati, ut lex fidei & reſipiſcentiæ ab omni peccato. *In iſtâ lege impingere* eſt in iſtius legis obſervantiâ & agendi modo non rectè procedere: ſed in lapidem impingendo incidere in peccatum, atque ita legem tranſgredi. Qui finem legis ceremonialis non agnoſcunt eſſe Chriſtum, illi in ſacrificiis pecuinis quærunt expiationem, & in operibus juſtitiam, atque ita ad finem viæ Dei non perveniunt: illiſquè Chriſtus ipſe fit lapis offendiculi, quem ſuſcipere debebant ut rupem ſalutis. *Jeſ.* 8: 14. 15. Qui autem officium pietatis juxta mentem legis ſpiritualem non perpendunt, illis quoquè concupiſcentia carnis ſæpè eſt lapis offendiculi, efficiens, ut prolapſi non pergant in officio. Extenditur hoc ad *multitudinem*, ſeu maximam Judæorum partem. Ita ſcriptura prophetica docet, maximam partem Judaiſmum profitentium, & in literâ legis ambulantium, cum Chriſtus ſe in carne manifeſtaret, fore apoſtaticam, & in peccatis cubantem, rerum divinarum ignaram. *Jeſ.* 3: 12. 5: 13. 48: 8. *Jer.* 3: 20. 23: 14. Statum populi ſeducti etiam deplorare pingitur Chriſtus. *Mich.* 7: 12.

Auctores iſtius mali declarantur *Sacerdotes*, ipſi diſcedentes à viâ; dicit enim elenchus *vos feciſtis multos impingere:* verbum enim הכשיל *in hiphil* tranſitivam habens ſignificationem indicat *ſe alicui ruinæ & lapſus cauſam præbere.* Conf. *Jer.* 18: 15. quod fieri ſolet pravâ doctrinæ legis traditione, & nonnunquam etiam peſſimo vitæ exemplo. Utrumque hìc obtinere & intendi

tendi conſtat; quia conſiderantur Sacerdotes, ut ſcientiam non cuſtodientes, & ipſi à viâ deflectentes.

Notanda porrò tacita oppoſitio, inter *Levitas* anteriores & poſteriores: de Levi, ut pietatis & laudandi ſtudii exemplo dixerat; *& multos reduxit à pravitate.* Nunc de poſteris contra dicitur, *at vos multos feciſtis impingere in lege*, atque ita cauſa fuiſtis multimodæ corruptelæ in populo. Nec ſatis erat dixiſſe, ut præconium pœnitentiæ ad reſipiſcentiam (inſignem faciens muneris Levitici partem) turpiter neglexerint: verum quod majus eſt, illis objicit; quod ipſi ſiniſtrâ & violentâ legis interpretatione, moribuſque depravatis, plurimos poſt ſe pertrahendo, in ruinam impulerint. Quod ſanè graviſſimum crimen in ſe eſt, *Matth.* 18:6. & graviùs, ſi id faciant duces gregis, ipſi in ſeductores mutati, *Jeſ.* 3:12. *Jer.* 10:21. *Ezech.* 13:10. Hinc illis derogatur omnis auctoritas: præcipuè ſub tempore Chriſti ob Sacerdotum inſcitiam & impietatem illis neganda, licet id opinioni vulgi contrarium ſit, *Jer.* 18: 18. In quem finem conferamus, *Jer.* 3:15. *Jeſ.* 28:7. *Ezech.* 7:26.

§. 4. Tertia accuſatio eſt in his verbis: *corrupiſtis fœdus Levi.* Hìc vulgò de fœdere particulari, cum tribu Leviticâ ſancito, cogitant Interpretes, quod *pactum ſalis* dicitur, *Num.* 18:19. Aſt, quidni *fœdus Levi* dicitur fœdus (in campo Moabitico cum toto populo ratum) tribui *Levi* ad conſervationem traditum, atquè ab eâdem tribu ſtudioſiſſimè aliis in exemplum obſervatum, Conf. verſ. 5. Adeò ut Levitarum in iſto fœdere prima pars fuerit, cui *Jehovah erat portio & ſors hæreditatis unica.* Hoc *fœdus* dicuntur *corrupiſſe*, non ſolùm perverſâ contentorum expoſitione, ſed præ primis peſſimæ interpretationis effectu,

ctu, dum auctores quoque fuerint diſcipulis neglectus fœderis iſtius, & violationis ejuſdem; adeò ut ad finem à Deo intentum haud aptum remanſerit inſtrumentum: quoniam illud tranſgrediendo, ſe exſortes & exhæredes fecerant teſtamenti, & legem ſibi inutilem reddiderant ad ſalutem. Hujus temporis eſt perfidia, quâ fœdus Dei tranſgreſſuri dicuntur ad exemplum Adami, *Hoſ.* 6: 7. *Ezech.* 16: 59.

§. 5. Hæc etiam in foro *dixiſſe Jehovam* Deum *exercituum* aſſerit Propheta: ſeu ex iſtis criminibus ſententiam ſuam juſtificaſſe, quam adverſus ſacerdotes pronunciavit, hìc affirmatur.

Verſ. 9. *Etiam ego vos deſpectos & humiles dedi toti huic populo: pro eo, quod vos non ſervatis vias meas, & accipitis faciem in lege.*

§. 1. Concludit hìc elenchus divinus in patefactione judicii, jam modò incipientis: ut contemptum & depreſſionem ordinis Sacerdotalis apud populum jam modo præſentem proponat ut ſignum rejectionis divinæ, & initium judicii mox conſummandi.

§. 2. *Spreti* dicuntur *populo*, qui non ampliùs ſunt in honore, dignitati muneris reſpondente: addit & *humiles*, שְׁפָלִים *depreſſos*, & ex altiori conditione dejectos. Tales dicuntur *toti huic populo*; ut notandus ſit articulus; qui deſignare videtur turmam piorum in viſione oblatam, & corruptionem temporis lugentem; ad quam alloquium ſuum direxerat Deus in ſcenæ initio: quamque ibi ſolatio ſuo erexerat.

Quandò dicit Deus *ego vos ita dedi*, verbum נָתַן hic poteſtatem habet *faciendi*, & coram aliis proſtituendi:

ut

Digitized by Google

ut *Deus* ſe declaret iſtius contemptus auctorem, juſto judicio ſuo illos hâc pœnâ afficientem.

§. 3. Juſtitia iſtius judicii initialis oſtenditur ex turpitudine factorum; quæ allegantur. Primum factum in hunc modum objicitur. *Pro eo*, inquit Deus, *quod non obſervatis vias meas.* Vocantur hìc *viæ Dei* vel ratio agendi, quam Deus ſervat in adminiſtratione iſtius Theocratiæ, omnia præparando ad introductionem filii ſui in munus ſuum, & ad excitationem regni cœlorum, fide & reſipiſcentiâ excipiendi, *Jeſ.* 55: 8. vel ratio agendi noſtra, quam Deus præſcripſit, ut cum ipſo ambulemus, & regnum ejus etiam noſtrâ coöperatione promoveamus, *Ieſ.* 2: 3. Dixerat verſ. 8. *At vos receſſiſtis à viâ:* nunc vocat eam viam *vias ſuas*.

Culpa autem allegata eſt *non obſervare* aut *non cuſtodire illas vias Dei*: id eſt non retinere eas per oblivionem ſcripturarum, eas delineantium. Neſcire regnum cœlorum, & ſigna temporum, ac modum regnum illud erigendi: imò neſcire officium circa illud, aut quo modo deceat nos in regnum illud ingredi, effecit, ut non ſervârint & obſervaverint vias illas Dei.

§. 4. Accedit & alia culpa, quæ ſic denunciatur, *& accipitis faciem in lege.* Crimen eſt *accipere faciem*, & quidem] crimen proſopolepſiæ; quandò quis in judicio aut conſilio majorem perſonarum quam veri et recti habet rationem; pro ſuo in perſonas favore de cauſſis ſtatuentes: quod eſt contra legem, *Lev.* 19: 15. *Deut.* 1: 17. *Prov.* 18: 5. atque hujus temporis Judicibus etiam imputatur, *Pſal.* 82: 2. *Ieſ.* 10: 2. *In lege* dicit; intellige *in negotio legis*, ſive agant legis interpretes, ſive Judices. Priori in caſu, quandò *in legis interpretatione* pluris faciebant authoritatem humanam, quam demonſtrationem hermeneuticam; non inquiren-

quirentes in mentem legiſlatoris; ſed quid homines prælecti ad magiſterii honorem dicerent, audientes. In altero caſu id crimen committere dicuntur, quandò verſabantur *in judiciis* ſecundum legem pronunciandis, juſtificantes quos amabant, quos verò contra odio habebant condemnantes, idque contra jus & fas. Ita eorum proſopolepſia notatur *Jeſ.* 3: 9. 5: 23. Eſt in hiſce quoque notanda antitheſis. Anteceſſores verſ. 6. exindè laudantur, quod *non inveniebatur injuſtitia in labiis eorum:* aſt hi culpantur, quod è contra ut juſtum condemnent legem invertant.

§. 5. Hæc facta adducuntur ut *conſpicua*, & à populo lugente ſatis obſervata: qui proindè non potuit non eos ob tam indigna crimina *ſpernere*, ſeu honore illo indignos cenſere. Notetur hìc lex talionis, juxta quam per pari refert Deus. Qui in ſublimi ſacerdotalis dignitatis faſtigio collocati, & ſupra cæteros mortales evecti fuerant; nunc ſuis criminibus contemptores Dei facti rurſus in odium & contemptum populi Dei incurrunt: ſtat enim rata illa Dei ſententia in ſacerdotem tranſgreſſorem, & ſatis ſeverè pronunciata, 1 *Sam.* 2: 30. מכבדי אכבד ובזי יקלו *Honorantes me honorabo & ſpernentes me pro levibus cenſebuntur.* Huc refer ſententiam Dei, quam annotavit Propheta *Ezechiel*, cap. 16: 59. *Faciam tecum, quemadmodum feciſti, tu, quæ ſprevisti adjurationem* factam in nomine meo, *ut irritum faceres fœdus.*

Digitized by Google

DEMONSTRATIO

Efficaciæ quæ eſt in

ARGUMENTIS.

§. 1. QUoniam hìc Judex ſermonem inſtituit ad juſtificationem ſententiæ ſuæ, quam cum præcepto ſuo ut norma juſtitiæ componit: legis æquitas in anteceſſum expendenda eſt. Præceptum hìc occurrit comminatione exſecrationis ſancitum: quo docemur nexum eſſe à Deo revelatum inter neglectum Doctoris, ut nomini Dei gloria tribuatur haud curantis, et inter exſecrationem, negligentes extra gratiam ſub graviſſimis pœnis conſtituentem. Hujus nexus æquitas conſiſtit in gravitate criminis, finem omnium operum et viarum Dei non curantis. Notiſſimum eſt finem operum Dei eſſe, ut Deus in confeſſionibus et gratiarum actionibus nominetur cum celebratione gloriæ ſuæ, quam poſſidet, et in viis ſuis patefacit: ut nihil magis Dei dignitati ſit contrarium, quàm in cauſſâ eſſe, cur debitam laudem non accipiat. Finis operis eſt ratio operis, qui alius in operibus Dei eſſe non poteſt, quam gloria Dei, quippe qui extra ſe cauſam agendi habere non potuit, quæ eum liberrimum actorem ad agendum determinaret. Cumque ens infinitè perfectum aliundè nihil accipere poſſit, quod non ante in ſe habebat: nihil illi accedere potuit, præter glorioſæ ſuæ perfectionis manifeſtationem, certis argumentis pro-

Digitized by Google

probandam. Nec negari poteſt opera ejus omnia ritè perpenſa nobis ſuppeditare argumenta, varias Dei virtutes ſolidè probantia: ita opera creationis et providentiæ manifeſta exhibent ſpecimina æternæ potentiæ, ſtupendæ ſapientiæ, et liberrimæ bonitatis Dei: mente enim perpenſa ita obſervamus in iis inviſibiles ejus perfectiones. Opera Dei judicialia probant ejus ſanctitatem et juſtitiam non pati, ut ſe fruendum præbeat pertinacibus, in peccato protervè pergentibus. Opera gratiæ in filio probant ejus gratiam et miſericordiam, nec non ſufficientiam ad earum exercitium, ſalvâ omni ſuâ decentiâ, juſtitiâ nempe et ſanctitate præſtandum. Ad harum virtutum et perfectionum agnitionem nulla præter hominem creatura in terrâ condita eſt, quippe qui ſolus mente inſtructus eſt, ut poſſit Deum cognoſcere in corde et ore glorificare. Quare cum per eum ſolum finem operum ſuorum conſequi poſſit, ille naturâ obligatus eſt eam rem diligenter curare; atque ſedulò illi cavendum ab incurſu in Deum, ut unquam ſe opponat fini Dei. Hanc gloriam nominis ſui cum Deus unicè & ante omnia amet: illi maximè diſſimilis & contrarius eſt, qui eam negligit, & non amando non quærit nec curat. Multò magis quandò neglectus curæ iſtius patitur, ut abnegatione veritatis circa vias Dei Deo abſurdum tribuatur, in quo lateat aut abnegatio aut detractio gloriæ Dei. Jam ſi *exſecrationis* naturam intueamur, quæ eſt benedictionis privatio & ablatio, facilè erit conceptu rem æquiſſimam eſſe, ut qui gloriam Dei ita agnoſcere & conſervare neglexit, non conſtituatur *benedictionis hæres*, ſed exſecrationis. Omnibus inſita eſt idea, *benedictiones* Dei habere in ſe rationem laudis divinæ, ſeu teſtimonii rei bene geſtæ: proin ſi tales per exſecrationem non excluderentur *à benedictionibus*,

per earundem collationem laudarentur, & rei benè geſtæ teſtimonium referrent: quo agendi modò Deus & mendacium committeret, malum titulo boni inſigniendo, ac ſe ipſum abnegaret, abnegatorem virtutum ſuarum coronando. Proin ſi Deus gloriam ſuam amet ante omnia, neceſſe eſt ut ſe Zelotem pro nominis ſui gloriâ commonſtret, ubicunque læditur, aut ubi circa lædentes indulgent, quibus præ aliis ea cura à Deo demandata fuerat.

§. 2 Norma judicandi cum ſit æqua, idque ita manifeſtum ſit apud omnium hominum conſcientiam; certum erit judicium illud etiam æquum eſſe, quod juxta æquitatis regulam pronunciatur. Quare nihil inquirendum erit nunc aliud, quàm ut palam faciamus ſententiam divinam contra Sacerdotes in viſione legis pronunciatam hunc legis nexum ritè obſervaſſe. Examinemus ergò primò malum, quod ſententia Dei forenſis Sacerdotibus pertinaciter immorigeris irrogandum pronunciat; & notiſſimum erit illud malum gravitate ſuâ malum tranſgreſſori comminatum non excedere, ſed exactè ſatis ſub notione *exſecrationis, ad quaslibet eorum benedictiones* extenſæ, contineri. Juxta hanc comminationem legis hujus violatores excludendi ſunt ab omnibus benedictionibus, morigeris ſancitis, & ſub fœderibus Dei cum populo comprehenſis, atque cum in Veteri, tum in Æterno Teſtamento comprehenſis. Ita inter promiſſiones Vet. Teſt. cum eſſet annonæ abundantia, inter exſecrationes erat annonæ penuria: quare ejus inflictio erat pars exſecrationis legalis vera, & ſupplicium ſub comminatione verè comprehenſum. Inter benedictiones fœderales erat cultus & ordinis Levitici conſervatio & defenſio, ut ſub libertate Theocratiæ ſine impedimento humano exerceretur: inter exſecrationes autem erat, fore ut indignum

Digitized by Google

dignum in modum hoſtium furore cum contemptu, & omnium inſtrumentorum ablatione projiciatur: quod cum fieret ſupplicium, non exceſſit malum, ſub comminatione latiſſimæ exſecrationis comprehenſum.

§. 3. Reſtat ut videamus judicii iſtius juſtificationem, allegatione criminum ſolidè fuiſſe inſtitutam: ubi notandum, num crimina allegata eadem ſint, quæ in iſto præcepto fuerant prohibita, quæ quæſtio juris eſt: dein an verè ſint commiſſa, quæ quæſtio facti eſt. Prius probatur per ſequentes articulos. Ubi nota

1. Doctrinæ curam eſſe demandatam Sacerdotibus, ut ſarta tecta conſervetur, prout à Deo in fœderis inſtrumento & libro legis tradita fuerat: quod oſtenditur ex ſtudio Levitarum antiquorum, qui eam curam in timore Dei in ſe ſuſceperunt, & cum laude abſolverunt: quorum veſtigia calcare debebant eorum in iſto munere ſucceſſores: habent enim laudata exempla vim legis: nec laudarentur ſi extra cancellos ſuæ obligationis in aliorum munus involaſſent. Quid autem illi circa doctrinæ orthodoxæ conſervationem fecerint, quaſi facto ſtudiorum catalogo oſtenditur in textu, atque iis omnes partes bonorum doctorum & inſpectorum impleviſſe ipſa inductione rerum demonſtratur. Dein obligatio ex ratione œconomiæ Dei eruitur, qui ad decus muneris ſacerdotalis ſacerdotem fecerat *legatum ſuum*. Ita enim populo propoſitus eſt, ut *internuncium Dei* apud homines agat, atque ita populus ablegatus eſt ad eum, *ut legem ex ore ejus requirat*, ac in caſu dubio Deum per Urim & Thummim diſtinctiùs de voluntate ſuâ roget: quare illi viciſſim obligati erant *ſcientiam cuſtodire labiis ſuis*: ſeu quod idem eſt, doctrinâ & reſponſo labiorum ſuorum curare, ut cognitio veræ doctrinæ tam fidei quam morum non intereat.

 2. Sub-

2. Subinnuit porrò *nomini Deo gloriam dare*, eſſe opus confeſſionis, à ſanâ doctrinâ dependentis: non enim glorificat nomen Dei, qui ejus gloriam neſcit: nec tenet eam ſcientiam, qui ex doctrinâ legis eam non didicit. Ac proin qui pro munere ſuo non docet, aut doceri curat ſcientiam, ſine quâ nemo *nomini Dei gloriam dat*; is non ſatis attendit ad gloriam nominis Dei, neque eam pro obligatione ſuâ promovet. Præprimis pendet *glorioſi nominis Dei profeſſio* à doctrinâ fœderis pacis & vitæ, ejuſque ſtipulatione ſeu lege: qui enim hanc corrumpit, omnem rationem ſalutis (peccatori ad ſpem vitæ proponendam) invertit, quod ſine detrectatione gloriæ divinæ fieri non poteſt: omnis etiam alia ratio, extra revelationem ab homine efficta, & Chriſtum ut redemptorem non agnoſcens, doctrinam tradit gloriæ Dei (in Chriſto manifeſtandæ) injurioſam: quæ nec ſanctitatem nec juſtitiam Dei pro dignitate agnoſcit: nec profunditatem amoris Dei ſatis penetrat. Qui proin auctores ſunt, ut tales fidei profeſſiones, quæ glorioſas Dei virtutes abnegant, dominentur in populo: illi non curarunt *dare gloriam nomini Jehovæ*; imò contra nomini ejus gloriam detraxerunt.

3. Sacerdotum crimina allegata ſunt tria. 1. Quod *ipſi diſceſſerint à lege*: & ſic apoſtaſiæ exempla facti fuerint; quæ ſi vera ſunt, ne ipſi quidem *nomini Dei gloriam dederunt*: aſt hoc ipſum erat peccatum, quod in præcepto (judicii normâ) ſub pœnâ exſecrationis legitur prohibitum: quibus enim gloria Dei curæ eſt, illi haudquaquam à viâ ad debitam Deo gloriam dandam comparatâ recedunt. 2. Quandò illis objicitur, ut *multos fecerint in lege impingere*, crimen illud aggravatur, quod ſcilicet multitudini populi Dei, quam in ſuam pertraxerant ſententiam, auctores fuerint ejuſdem apoſtaſiæ, in quam ipſi

ipſi inciderant: dum contra debuiſſent errantes in viam reducere: quod reverà eſt factionem facere contra nominis Dei gloriam, atque ita aperto marte ſe gloriæ Dei opponere. 3. Ubi vides illis imputari *corruptionem fœderis Levi*, quâ etiam promiſſiones Dei fœderales immutaſſe & imminuiſſe, eas quæ maxime ſpirituales ſunt ex fœdere Dei tollendo, dicuntur; factum quoque ponitur, directe præcepto prohibitum: talis enim doctrina & doctrinæ profeſſio maximè nomini Jehovæ detrahit gloriam gratiæ, quæ potiſſimam gratiam in ſpiritualibus abnegat. Hiſce omnibus ritè perpenſis tenendum eſt iſtorum criminum reos, etiam ex allegato præcepto, violatæ nominis Dei gloriæ reos eſſe, ad pœnam ibi comminatâm damnandos.

§ 4. Verum ſi quis putet hic *quæſtionem facti* moveri poſſe, nec credibile eſſe *Sacerdotes* ſe tam atrocibus criminibus commaculaſſe, quippe qui videri volebant ſtudioſiſſimi traditionum conſervatores, loquentes ut magiſtri in nomine antiquorum magiſtrorum. In hujus rei gratiam teſtem adſciſcit totum populum, apud quem totus ferè ordo, propterea inviſus factus, incidit in contemptum, & odium: quippe qui quam evidentiſſimè fuerat expertus, illos *non ſervaſſe vias Dei*, regnum cœlorum & ſigna temporum neſcientes, nec ullo modo ſe ad ingreſſum in regnum Dei compoſuiſſe. Sed contra quotidiè *faciem accipere in lege*; legem invertendo, ut ſuarum partium homines non condemnent. Quod autem inter tot teſtes conſtat, quodquè lippis & tonſoribus notum & à piis ſuo luctu & damno expertum eſt; adeò ut exinde totus ordo incurrat in contemptum; id etiam quoad facta negari nequit: & oſtendit eos homines ad plenarium ſupplicium illis inferendum jam maturos eſſe.

§. 5.

§. 5. Concludendum itaque juſto ſupplicio cum templo & omni cultus apparatu projiciendos, & ex omni favore & gratiâ Dei excludendos, imò ex hiſce malis corporalibus poſtea in ulteriores, tenebras projiciendos fuiſſe; qui ſe ita *violatæ gloriæ nominis Dei* reos fecerant, et tot aggravantibus circumſtantiis reatum auxerant: qui enim fœdus Dei, omnigenis ſancitum maledictionibus, tam apertè corrumpunt, violant & calcant, gloriam Dei nil penſi habentes, illi jure merito extra omnem Dei favorem collocati cenſentur, & ob neglectum muneris ad maledictionem iſtam ſubeundam obligati.

DEMONSTRATIO

Divinitatis hujus vaticinii per

INDICATIONEM

Implementi ejus

HISTORICI.

§. 1. NOs, memores ſcenam viſionis hujus propheticæ totam compoſitam fuiſſe ad ſtatum populi (proximè ante miſſionem Johannis Baptiſtæ & Chriſti futurum) delineandum; quem depingit ut variis corruptelis infectum: eundem ex hiſtoriâ iſtius temporis cum accuſationibus & judiciis, in præſenti pericopâ comprehenſis, con-

conferemus; ut utriuſque cum vaticinii, tum hiſtoriæ convenientia palam fiat.

§. 2. Notiſſimum eſt eo tempore Judæos in tres diviſos fuiſſe hæreſes; *Sadducæorum*, *Pharizæorum*, & *Eſſenorum:* quarum deſcriptionem nobis reliquit *Joſephus*, homo Judæus *Ant. l.* 18: 2. Hiſt. *de bello Jud.* l. 2: 7. *Philo Judæus Eſſenos* deſcripſit, quos hiſtoria Novi Teſtamenti præterit. Certum eſt poſt initia monarchiæ Græcorum natas eſſe duas priores hæreſes. *Sadducæi* ſaltem ante tempora *Antigoni Sochæi*, qui *Simeoni Juſto* ſucceſſit, non fuerunt, quippe ex perverſâ dicti iſtius viri interpretatione orti. Sub Aſſamonæis utraque hæreſis tam Sadducæorum, quam Pharizæorum inclaruit. *Joſepho* auctore jam ante *Hyrcanum Jonathæ* coævæ fuerunt, & ſingulæ partes ſuas tuebantur, ut patet ex *Ant.* l. 13: 9. Corrupta autem ab omnibus fuit doctrina fœderis, *Sadducæis* ſpem omnem futuri ſeculi tollentibus, qui poſteà à Prophetâ noſtro notantur. *Pharizæis* & *Eſſenis* (ſub rigidiori vitæ externæ inſtituto degentibus) ſtipulationem fidei in Chriſtum venturum ad juſtitiam fidei non cognoſcentibus, & propriam erigere juſtitiam unà cum propriis ſatisfactionibus pro peccatis ſuſtinentibus. Undè veræ & orthodoxæ doctrinæ de fine legis, de cauſâ adventus Chriſti futuri, de ejus perſonâ, & regni naturâ peſſima introducta eſt corruptio. Quid multi eorum de myſteriis templi & cultus Levitici ſentierint, ex commentariis *Philonis* Judæi colligere licet, quem in templo nil præter cœli ſtelliferi effigiem ſymbolicam quæſiviſſe legenti conſtat. Quàm ſegnes adhæc fuerint *Pontifices* & *Sacerdotes* (ipſi in iſtas hæreſes ſciſſi, ut quidam eorum etiam fuerint Sadducæi *Act.* 5: 17.) vel indè patet; quod iſtæ hæreſes inter ipſos prævaluerint, & cathe-

dram Moſis invaſerint: adeò ut Synedrium ipſum compoſitum fuerit ex utriuſque ſectæ partibus, *Act.* 22: 6-9. Hi nihil minùs curabant, quam antiquæ doctrinæ reſtaurationem, & ab hæreſibus introductis repurgationem: quaſi illa cura & inſpectio ad illos nil quicquam pertineret. Contra ac Levitæ olim feciſſe pluribus in textu noſtro prophetico notantur. *Scientiam* cum ignorantiâ commutaverant, atque ita perdiderant dogmatum ſtatim allegatorum cognitionem.

§. 3. *Vita* iſtorum hominum ipſa, *fide in Chriſtum venturum ad juſtitiam deſtituta*, *declinabat à viâ*, nihil ſpirans niſi in Sadducæis licentiam Epicuri, in Pharizæis ſceleſtiſſimam hypocriſin, peſſima crimina probitatis larvâ obvelantem, quam Chriſtus multis in locis eis detrahit, *Matth.* 6: 1 5. coll. 5: 20. 12: 34-37. 15: 1-9. Præſertim notanda eſt tota ejus concio increpatoria in Scribas & Pharizæos, varias eorum artes detegens, *Matth.* 23: 13-35.

§. 4. Cumque Pharizæi ſequacem haberent turbam, *fecerunt multitudinem impingere in lege*, quam transgrediebantur ſuis traditionibus, *Matth.* 15: 3-6. & peſſimâ legis, quæ ſpiritualis eſt, interpretatione violabant, quorum gloſſas, à pietate alienas, indicat & corrigit Dominus (*Matth.* 5: 21-48.) varia decalogi præcepta ſuo ſenſui genuino reſtituendo. Hinc dixit Dominus, *Matth.* 15: 14. *Abeant: ſunt enim cæci duces cæcorum: jam ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foſſam incidunt.* Confer etiam *Matth.* 23: 15.

§. 5. In foro ſive de doctrinâ, ſive de rebus juſtitiæ ſtatuerent, ex proſopolepſiâ ſtatuebant, contra quam etiam Chriſtus illos monet *Joh.* 7: 24. quippe experientiâ edoctus, ut ex merâ proſopolepſiâ iniquiſſimè de ſuis judicarent operibus, quæ Diabolo auctori adſcribere

re haud puduit Pharizæos. Proſopolepſia corrupit etiam eorum doctrinam, dum ſibi dicendi & definiendi magiſtros eligentes, Rabbinorum ſtarent authoritatibus, non quid ratio, ſed quid Rabbi dictaret, ſequentes: hinc factum ut Chriſtus corruptiones ex traditione natas corrigens, ab iſtis non fuerit admiſſus; quia cum doctoribus iſtis non faciebat, in quorum nomina illi juraverant. Proſopolepſia quoquè corrupit eorum judicium, quandò Chriſtum & diſcipulos ejus ob ſpeciei externæ humilitatem rejecerunt; etiamſi non haberent, quæ ejus doctrinæ opponere poſſent. Damnarunt credentes vel hoc argumento, quod *nemo ex Principibus in eum crederet*, ſed vilis turba eum tantùm ſequeretur. *Joh.* 7: 48: 49. Chriſtus illis objicit, quod in minimis legis ſcrupuloſi, in maximis ſegnes, *judicium* neglexerant. *Matth.* 23: 23.

§. 6. A criminibus ad judicia tranſeunti, occurrit primò loco; quod etiam *in contemptum plurium* inciderint, & vilem in modum habiti fuerint propter ſcelera, quibus pontificiam dignitatem commaculaverant. Notæ ſunt lites inter *Hyrcanum* & *Ariſtobulum* in initiis *Herodis* de Pontificatu. Ab eo tempore *Pontifices*, qui ſacris uſque ad mortem præeſſe ſolebant, ſæpiùs de ponte fuerunt dejecti, & ſæpè non ſine objectione criminum, propter quæ exauctorati & depoſiti leguntur. Imò aliquandò etiam homines *Sadducæi* ad eam dignitatem evecti ſunt. Quare Deus cenſendus in præludium malorum, quæ ſecuta ſunt, eam ignominiam in eos effudiſſe.

§. 7. Benedictiones mutabantur in maledictiones, quandò ablatâ populi libertate, ſervi Romanorum facti, ſeverioribus vexabantur exactionibus, ut ipſa terra, bonorum Vet. Teſt. baſis, ipſis fieret oneri, abla-

tâ libertate & quiete:hinc ipſi ſæpè ſenſierunt graviſſima bellorum civilium inter Romanos incommoda, *Cæſare* contra Pompejum, *Antonio* contra Brutum, *Auguſto* contra Antonium graviſſima bella gerentibus. Poſtea relegato *Archelao*, emungebant illos Syriæ Præſides & terræ Procuratores. Multis exaggerare hic poſſemus populi infortunia, quæ ſub jugo Romanorum paſſi ſunt, quibus intercedentibus dulcedine benedictionum terræ deſtituti fuerunt.

§. 8. Aliquoties experti ſunt annonæ caritatem, quæ magnam inter ipſos concitavit famem & inediam. Notatur una ſub Herode magno, quæ fuit graviſſima, & niſi prudentia regis diſtractis omnibus theſauris oportunè & clementer ictum iſtius mali prævertiſſet, atque in fruges emendas omnes divitias impendiſſet, maxima pars populi fame extincta fuiſſet. Altera fuit ſub initio regni Claudii, quæ non ſolùm totum pervaſit orbem, ſed etiam diu duravit, de quâ videre eſt in actis *Act.* 11: 28 30. & apud *Joſephum ant.* l. 20: 2.

§. 9. Tandem ſecuta eſt feſtorum profanatio, ut & Sacerdotum, unâ cum eorundem ablatione. Qui feſtum paſchatis exciſione Chriſti profanaverant: & feſtum Pentecoſtes irriſione donorum ſpiritus ſancti in Apoſtolis contaminaverant, in celeberrimâ totius populi panegyri Dominum & Apoſtolos ejus ignominiæ publicæ exponendo; poſt aliquot annos cognoverunt Deum pœnas repetentem, dum ipſi eodem feſto paſchatis à Romanis urbi cum totâ panegyri ſunt incluſi, & undiquâque bello circumfuſi ſubitò, ac ipſâ ſolennitate Pentecoſtali anguſtiati, tandemque armis Titi devicti, pudore ſuffuſi, ludibriiſque Romanorum expoſiti fuerunt, non aliter ac ſi *ſtercus feſtivitatum ſuarum ſuper faciem eorum fuiſſet reſperſum.* Cujus ſcenæ triſtioris exitus fuit, quod illæ ſolennitates ob deſtructam civi-

tatem

tatem cum templo & ſoli profanatione fuerint ablatæ, dum non conceſſum fuerit Judæis ab eo tempore in unum locum ad ſolennia ſacra convenire, & feſtiva ſacrificia offerre, aut de iis comedere. Idem fatum ſuſtulit Sacerdotes & totum Levitarum cœtum: qui cum ſolennibus ſacris omnes & ſinguli ex lege intereſſe debebant, etiam eodem feſto civitati incluſi, partim gladio, fame & peſte, partim Romanorum truculentiâ perierunt; adeò ut vix reliquiæ remanere potuerint: aut ſi ſuperſint, amiſſâ genealogiâ, ſub ſuis claſſibus revocari nequeant. Sic Deus Sacerdotes cum feſtorum ſolennitatibus, juxta ſententiam, quam eum tuliſſe vidit Propheta, plenariò abſtulit.

ELENCHI
SECUNDI
Pars altera:
Accuſationem anteriorem confirmans.

§. 1. HActenus *Deum* audivimus, quaſi ex tribunali *ſententiam contra Sacerdotes & Levitas* ferentem, cauſamque ſententiæ ſuæ *in corruptione doctrinæ ſanioris* conſtituentem, cui malo obicem non poſuerant. Nunc verò *ſcenam* cernimus *mutatam*, ſed cum cauſſæ continuatio-

nuatio-

nuatione. Hoc enim agitur inter partes diſſidentes, ut qui reliquias populi ſpiritualis referebant, à parte Dei Judicis ſtantes, per *præconem Sacerdotes* (cæcos cæci populi duces) ulterius corripiant, atque per criminum indicationem correptionem ſuam ſolidè juſtificent.

§. 2. *Anſa novæ ſcenæ*, in quâ diſceptatio cauſſæ recurrit, concipi debet, ut à *Sacerdotibus*, poſt ſententiam Judicis deliberantibus, & nova molientibus oblata: Ita ut ſimul *locus ſcenæ* in viſione offeratur mutatus. In priori viſione partes ſpectabantur, ut in foro Dei coram tribunali Judicis conſtitutæ, & prolationem ſententiæ Dei audientes. Nunc verò occurrunt, ut poſt reditum in ſua, in communi hujus vitæ ſtadio denuò inter ſe commiſſæ, atque controverſiæ ſerram trahentes. Pars illa populi carnalis, ſub *Sacerdotibus* militans, ut in deviis ſine ullo reformationis molimine perſtans invenitur. *Sacerdotes* ſpectantur cum cæteris primoribus populi, ut ſententiam illam Dei diſſimulantes, ſeſeque in domo Dei pro legitimis & inculpatis Dei miniſtris commendantes; partemque oppoſitam ad pacem & concordiam invitantes; & ſpeciatim ut ſecum ad conſilii alicujus novi exſecutionem cum aſſenſu tum concurſu arctius jungant.

§. 3, Inter partes iſtas *Sacerdotes* cernuntur ut *reſponſum ad* oblatam invitationem *recipientes*; quippe qui fuerant graviſſimæ iſtius tentationis auctores, florem populi multis coloribus in partes ſuas pertrahere inceſſanter molientes. Quibus in ſtudiis uti inſigne præbuerant pertinaciæ argumentum. Ita etiam provocaverant Zelantes ad reſponſum tantâ impietate dignum. *Reſponſum* autem, quod illi referunt, eſt negativum, rogatam communionem & concurſum cum indignatione recuſans, atque eâ occaſione ad renovationem accuſationis

ſationis anterioris, ejuſque confirmationem, progrediens.

Actor verò, reſponſum illud recuſantium nomine proferens, & quaſi in fronte ſuorum collocatus, profitetur ſe *genuinæ poſteritatis Abrahami* cæterorumque patriarcharam *unum*, ejuſdem ſanguinis cum fratribus, ut & fidei conſortem: qui ipſo actu ſeſe comprobat hominem fœderis Dei tenaciſſimum, & ſententiæ divinæ in degeneres iſtos Levi filios latæ memorem. Prodit ille hic in publicum tanquam ſanæ partis *Hyperaſpiſtes*, ſolidiſſimus cauſſæ Dei *Defenſor*, ſtrenuuſquè Sacerdotum *Antagoniſta*, qui reſpondendi vices lubens in ſe ſuſcepit, & egregiè abſolvit.

§. 4. *Reſponſio* hæc *apologetica* eſt, recuſationem ſuam & ſuorum, rogatam communionem rejicientium, ſolidè defendens; quod validiſſimis peragit argumentis.

I. In quâ reſponſione notandum, quod crimina Sacerdotum, quorum participationem ſe abhorrere teſtatur, ad titulum *perfidiæ* revocet: ſolideque demonſtret adverſarios *fœdus Dei*, olim cum Patribus ratum, *turpiter profanaſſe*. Hanc accuſationem ex Dei ſententiâ ſupra deſcriptâ repetit, ſeſeque ad ejus ulteriorem confirmationem accingit. Ibi videas actorem noſtrum duo allegare *perfidiæ* iſtius ſingularia ſpecimina, *fœdifragium* includentia, quæ cauſſam abſolvunt: alterum *ſcortationis ſpiritualis* cum populo Dei alieni, quò ſe adverſus Dei judicium muniant; alterum *violati fœderis conjugalis* per doctrinam *de polygamiis & divortiis* admittendis, in quibus crimen non caſtè ſervati matrimonii, quotidie perpetrabat populus, cujus ſui legis curruptione auctores erant iſti doctores & legis interpretes.

II. Ex

Digitized by Google

II. Ex hoc titulo oſtendit nunc Actor, *nullam cum perfidis contrahendam eſſe communionem*, quæ communicationem cum eorum peccatis traheret poſt ſe: Idque multo minus exſpectandum eſſe ab iis, qui latam Dei ſententiam adverſus tales intellexerant, atque ipſi criminum iſtorum teſtes in terrâ erant conſtituti. Suarum partium eſſe tuetur, peſſimos illos duces, qui multos in lege fecerant impingere, & optimos in conſilii participationem continuabant impellere, non ſequi: ſed Deo potiùs conſtanter adhærere, & quæ fœderis patrum profanationem ſapiunt toto animo abhorrere. Ita ſe eos, qui Deum habebant ſibi adverſarium, ut ſuos adverſarios declarat, & eorum conſociationem, ut perfidiæ conſortium, rejicit: imò ferè ut conjurationem in Deum cum obfirmatione cordis adverſus ſententiam Dei deteſtatur. Ita eodem argumento accuſationem Dei confirmat, quo recuſationem ſuam juſtificat.

III. Notandum porrò, ut Actor noſter, bonæ cauſſæ Patronum agens, ſe ſolido ſuo ratiocinio virum probet, à Deo ex verbo Dei edoctum, & legis Dei ſpiritualem ſenſum ex intimis pietatis principiis profundè penetrantem: dum enim legem Dei ut ſtipulationem fœderis Dei conſiderat, & ex ejus violatione profanationem iſtius fœderis infert, memor, ſibi rem eſſe cum Hypocritis, in externâ legis obſervantiâ hærentibus, atque intrinſecam pietatis rationem non tenentibus, mirâ dexteritate ea recludit pietatis principia, quæ neceſſariò adverſariis larvam detrahere poterant. In utroque ſpecimine oſtendit adverſariorum *perfidiam* in eo radicari, quod in utroque facto *Dei rationem* non habuerint. Non in primo, quo fœdus inierant intimæ aſſociationis cum gente Idololatricâ: quia nullam *Theocratiæ* rationem habentes, crimen *ſcortationis ſpiritualis* eo ipſo

ipſo contraxerant. Non in ſecundo, quo *polygamiæ* & divortiorum multiplicatorum auctores fuerant; quia ad ſanctum Dei conſilium de quærendo ſemine Dei, in lege matrimonii non reſpexerant; ex quo hic noſter utrumque crimen *malum perfidiæ* cùm in Deum tùm in conſortes conjugii continere, quàm elegantiſſime evincit.

§. 5. Quandò cauſſæ Dei & piorum Patronus duo iſta *perfidiæ* ſpecimina tantummodo allegat; non putandus eſt in ſacerdotibus eorumque ſequacibus haud plura animadvertiſſe vitia: ſed illa ſolùm pro ſcopo ſuo tetigiſſe, quibus Doctores iſtos auctoritate ſuâ turpiter abuſos fuiſſe omnibus evidentiſſimè conſtare debebat: hiſce enim præprimis hìnc rempublicam, ut Theocratiam ſpectatam, miſerè turbaſſe, periculoſis vacillationibus expoſuiſſe, & fontes peccato finis aperuiſſe ſpectantur. Illìnc familiarum (ex quibus reſpublica conſtituitur) fundamenta haud inconcuſſa reliquiſſe: dum polygamiæ & divortiorum defenſores ſuo patrocinio omnem ordinem divinum & humanum, ac ſubordinationem in ſtatu œconomico ſubvertebant, poteſtatem maritalem in meram tyrannidem convertendo: ex quo fonte etiam corruptio gentis, bonâ filiorum educatione neglectâ, longè lateque promanavit. Hæc potiſſimùm ad cauſſam ſpectabant, ubi deliberatio erat de republicâ adverſus minantia mala confirmandâ & conſervandâ: ubique demonſtrandum erat adverſarios ſe haud rectos præſtare morbidi corporis Medicos, qui haud legitimè vacillante republicâ cuſtodum munere fungi, aut à multo tempore functos fuiſſe comperti ſunt. Quippe quorum remedia potiùs crimen augendo morbum exacerbabant: dum cætera ſymptomata ſupinâ deſidiâ negligebant.

ANALYSIS

Hujus pericopæ. *Mal.* 2: 10-16.

IN ſermone hoc agoniſtico, *Sacerdotibus* aſſenſum ad eorum poſtulatum apoſtaticum negante, occurrit.

I. Præfatio cum negatione aſſenſus, cauſas negationis innectens, & poſtulatum ut ratione deſtitutum rejiciens. *Annon pater unus eſt nobis omnibus? nonne Deus unus creavit nos? quare perfidè ageremus, quiſque cum fratre ſuo, ad profanandum fœdus patrum noſtrorum?* verſ. 10.

II. Specificatio criminum, ſub titulo *perfidiæ* allegatorum, quæ duo notantur:

A. Scortatio ſpiritualis cum filiâ Dei alieni, exaggerata à gravitate reatus contracti, ſeveriori judicio abhinc luendi.

1. Crimen perfidiæ, in illâ ſcortatione ſpirituali commiſſum, in lucem protrahitur, dum dicit Antagoniſta. *Perfidè egit* cœtus *Judæ, & abominatio ſit in Iſraële & Hieroſolymis; nam profanavit Juda ſanctum Jehovæ, quod diligit, dum filiam duxit Dei peregrini.* verſ. 11.

11. Judicium talibus præparatum ſubjungitur dictis, *Exſcindet Jehovah viro qui faciet illud: Vigilem & Reſpondentem à tentoriis Jacobi, & Offerentem munus Jehovæ,* Deo *exercituum.* verſ. 12.

B. Perfidiæ conjugalis inter Judæos introductio, cum inſigni fœminarum injuria, ad Deum ſub multis ſuſpiriis delatâ. Ubi nota

1. In-

I. Indicationem pravorum effectuum, ex perfidiæ conceſſione natorum, qui ſunt

α. Doloris ex injuriâ illatâ perceptio acrior, ad Deum delata, & lachrymis altare operiens. *Et hoc ſecundò facitis: operiendo* operitis *lachrymis altare Jehovæ, fletu & ſuſpirio.* verſ. 13. a.

β. Sacrificiorum ſeu munerum conſequens fruſtratio, quippe ob contaminatam Sacerdotum manum Deo non acceptorum. *Adeò ut non ſit ampliùs reſpicere ad munus, & acceptare ſpontaneum e manu veſtrâ.* verſ. 13. b.

II. Probationem perfidiæ, rogatam & datam, definiendo

α. Perſonas lugentes, *& dixiſtis quare? propterea, quod Jehovah teſtificatus eſt inter te, & inter uxorem juventutis tuam, cum quâ tu perfidè agis, cum illa ſit ſocia tua, & uxor fœderata tua.* verſ 14.

β. Crimina, injuriam fœminino ſexui inferentia, Sacerdotum expoſitionibus tanquam res licitæ eſſent defenſa. Quæ ſunt

I. Polygamia, duplici titulo damnata, quod peccet contra ſemen ſeu finem conjugii: & contra jus uxorium. *Et annon unum fecit, cui ſupererat ſpiritus? & quid unum? quærebat ſemen Dei: & ut caveretis in ſpiritu veſtro, ne ergà uxorem juventutis tuam perfidè agat.* verſ. 15.

II. Divortium; per libellos repudii denunciatum, ob leviorem cauſſam introductum. *Cum oderit, dimittendo* dimittat, *dixit Jehovah Deus Iſraëlis, & ſuperinduat injuriam veſtimen-*

ſtimento ſuo, *dixit Jehovah* Deus *exercituum: & caveretis in ſpiritu veſtro & non ageretis perfidè.* verſ. 16.

EXPOSITIO TEXTUALIS.

Verſ. 10. *An non pater unus nobis omnibus? nonne Deus unus creavit nos? quare perfidè ageremus quiſque cum fratre ſuo, ad profanandum fœdus patrum noſtrorum?*

§. 1. Hæc ſermonis agoniſtici & apologetici præfatio *Sacerdotes* ut peſſimæ *tentationis auctores* concipit, & *adſtipulationem*, quam ſupponuntur flagitaſſe, cum deteſtatione *negat:* ſimul negationis cauſam reddens, quare omnes unanimiter conſiliorum eorum conſortes fieri abhorreant; nimirum, quia *perfidiæ* reatum includere, & *fœderis patrum ſuorum* ſceleſtiſſimam *profanationem* poſt ſe trahere clarè animadvertebant.

§. 2. Fundamentum negati conſenſus & concurſus ad peſſimi conſilii exſecutionem (quod primo loco aſſumit hìc Sacerdotum Antagoniſta) cernere licet in dictis: *an non pater unus nobis omnibus eſt?* Judaicæ gentis gloria eſt, quod *Abrahamum* habeant communem *patrem*, cui ſinguli ſuam debebant originem, & in quo gloriabantur tanquam in ſtirpe primæ nobilitatis: quippe cui non ſolùm ortum carnis, verùm etiam omnium benedictionum ſuarum hæreditatem adſcribere moris erat; eo quod ſuâ fide fœdus illud cum Deo ratificâvit, in quo Deus ſemen ejus terræ iſtius unà cum veritatis legiſque hæredem, excluſis cæteris omnibus gentibus

tibus conſtituerat. Qui in hoc uno parente, ut omnium benedictionum principio, gloriabantur, eos quoque eundem habere ut fidei & pietatis exemplum oportebat; imò ejuſdem veſtigiis proximè inſiſtere, ut ſe genuinos ejus filius probent, decebat. Aliter ſi fieret, ſe contracturos degeneris prolis labem, quæ magis viperinam referat progeniem quàm Abrahami ſemen. Uno verbo, ſi Abraham nobis omnibus *unus pater* eſt, curandum ut ipſe etiam nobis omnibus *unum exemplum* ſit, quod in rebus ſacris ſequamur.

§. 3. Alterum negati conſenſus & concurſus fundamentum eſt; *nonne Deus unus creavit nos?* In textu eſt vox אל, quæ *Deum* ſignificat, ſed ita denominatum à ſingulari *potentiâ*, quam in creatione & gubernatione mundi variis probaſſe operibus ex attentâ rerum perpenſione cuilibet homini notiſſimum eſt. Inter opera *potentiſſimi creatoris* hìc allegatur *populi Iſraëlitici creatio*, quâ gentem illam ſtupendis potentiæ ſuæ probationibus excitavit; ita ut ejus productio plus de naturâ creationis, quam generationis participet. Reſpicite admirandam Iſaäci nativitatem, ut filii ex parentibus effœtis matreque jam ante ſterili ſuſcitati, & palam erit; cui adde haud minùs mirandam populi in Ægypto conſervationem, miraculoſam ejuſdem ex eâ eductionem, & potentiſſimam in deſerto defenſionem, quæ ad formandam hanc gentem coöperatæ fuerant. Ex miraculoſâ illâ gentis ſuſcitatione & formatione *Deus ille unus* ſatis ſuperque probaverat ſe eſſe *verum Deum*, & *potentiſſimum* gentis auctorem; cujus creatio proindè eam ita vinculo obligationis obſtrictam tenebat, ut creationis iſtius ſcopo reſpondere, & Deo creatori ſuo ad cultum & gloriam ſemper præſto eſſe, eam in æternum deceat.

§. 4. In iſto exordio *Abraham* ut pater, & *Deus* ut

 crea-

Digitized by Google

creator gentis, componuntur cum relatione *ad fœdus* illud, quod inter utrumque interceſſiſſe nos docuit Moſes; ex quo & ille *amicus Dei* dictus fuit. Ne autem de hâc relatione dubites, oportet attendas hæc præmiſſa continere rationem, cur non deceat pios ſe jungere cum improbis, *profanationem fœderis patrum ſuorum* molientibus. Vi fœderis iſtius *Abraham* ſemen acceperat, ex quo tota gens propagata fuit. Vi fœderis iſtius *Deus* patres ex Ægypto eduxerat, ſibi in populum formaverat & exaltaverat: & vi fœderis iſtius omnis ſpes boni vigebat in populi parte ſincerâ; quæ in primis iſtis fœderis iſtius contrahentibus (ut partibus fœderatis) obſervabat ſe habere *exemplum viæ* in parente, & *fidelitatis* in Deo creatore ſuo, quo erudiebantur in veſtigiis Abrahami ambulantes habere communionem cum vero & verè potente Deo, debitâ cum reverentiâ colendam.

§. 5. Quibus præmiſſis, ad poſtulatum de conſilio aliquo Sacerdotum admittendo reſpondetur interrogativè; *quare perfidè ageremus?* מדוע נבגד. Verbum בגד propriè *tranſgredi pactum*, *violare fœdus*, & *fidem frangere*, ſignificat. 1 *Sam.* 14: 33. *Prov.* 2: 22. *Jeſ.* 21: 2. 48: 8. *Hoſ.* 5: 7. Eſt ergò *perfidè agere*, contra datam fidem aliquid perpetrare. Interpretatur itaque antagoniſta, concurſum illum ad exſecutionem conſilii Sacerdotum coöperantem *opus perfidiæ*, contra datam in fœderis contractione adſtipulationem & fidem nova moliens. Inter graviſſima humanæ impietatis crimina eſt *opus perfidiæ*, à quo conſcientia hominis, Deum timentis, quàm maximè abhorret: ſicuti etiam hic ſe abhorrere per advocatum ſuum teſtantur pii, tentationis poſtulatum feriò rejicientes, & ſub eo titulo damnantes. Proin declarant idem eſſe, ad conſilii iſtius communicati opus cum au-

ctoribus

Digitized by Google

ctoribus ejus concurrere, ac *perfidè agere*, & datam fidem frangendo fœdus violare. Quod ſatis eleganter ſub interrogandi formâ exprimunt, quæ rationes agendi poſtulat, ubi nullas agnoſcit. Ita ſolent, qui poſtulatum aliquod iniquum ut omni ratione deſtitutum denigrare volunt, cauſam petitionis rogare, per מדוע *quare, quam ob rem, quæ ratio eſſet*, cur in rem poſtulatam concederent? Vide phraſin iſtam æquivalere reſponſioni negativæ cum vehementiâ. 1 *Sam.* 20: 2. & adhiberi in lite & obteſtationibus. *Neh.* 13: 11. 21. *Jer.* 8: 5. Eſt ergò ac ſi dixerit Antagoniſta: nulla eſt nobis ô Sacerdotes! vobiſcum concurrendi ratio; niſi ſicuti vos contra datam in fœdere fidem agere velimus: quod crimen eſſet, nonniſi graviſſimo ſupplicio luendum.

§. 6. Addit, *quiſque cum fratre ſuo*. Hebr. איש באחיו. Certum eſt verbum בגד conſtrui cum præpoſitione ב, ad notandum *objectum* contra quod *perfidia* committitur. Vide *Jud.* 9: 23. *Jer.* 3: 20. atque ita ſignificabit hæc enunciatio prævaricationem eſſe notandam in Sacerdotum conſiliis contra fratres, ab opere ex eorum conſiliis molito, injuriâ premendos. Tunc ſenſus erit, quod accedens ad eorum partes non poterit non implicari eorum ſtudiis contra *cibum germinis*, ſeu fratres in fide & ſpe Chriſti conſtantes, atque communicare cum eorum perſecutionibus & oppreſſionibus, quibus Sacerdotes eos affligebant. Sed cogitandum; an non duæ iſtæ voces ita cohæreant, ut ב ſignificet ſocietatem & auxilium. *Quiſque cum fratre ſuo junctus*: cum in tentatione videretur argumentum ſuadendi, deſumptum à concordiâ in republicâ ſervandâ, quo vis unita fortior ſit. Sed hoc relinquimus prudentiorum examini.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Tandem aggravatur *illa perfidia*, quod ſe tendat, *ad profanandum* (inquit) *fœdus patrum noſtrorum*. Revocat peſſimis illis ſeductoribus in memoriam fœdus patrum ſuorum, & allegat, ut retinaculum, cur pii eorum partibus ſe adjungere nequeant. Qui piorum nomine agit, profitetur ſe cum ſuis agnoſcere *Patres*, quos profitentur ut *ſuos*; dum dicunt *Patres noſtros*: ergo conſiderandi ſunt Agoniſta cum ſuis ut homines ejuſdem originis inter ſe, & cum adverſariis. Per *patres* intelligit gentis fundatores, ad fœdus cum Deo faciundum vocati ex Ægypto. *Fœdus*, quod reſpicit, mihi iterum eſt illud *fœdus pacis & vitæ*, cui etiam totius poſteritatis nomine coacti ſunt adſtipulari patres eorum, quodque continet aliquid acceſſorium ultra id, quod pactum fuerat in Horeb. *Deut.* 29: 14. 15. Conf. *Deut.* 29: 25.

Profanare hoc fœdus eſt crimen, ad quod pii horrebant, & quod Sacerdotes ſtudiis ſuis *perfidè* moliebantur. *Fœdus* illud concipitur *ſanctum*; quia eſt pactum cum *Deo Sancto* propter *Sanctum Jehovæ* ſancitum. Illud *profanare* eſt illud tranſgreſſione ſtipulationis ejus ita violare, ac ſi eſſet fœdus humanum, ſive haud æquis conditionibus temerè à patribus fuiſſet admiſſum: dum prudentiæ humanæ relictum volunt, num tempeſtivum eſſet ex ejus præſcripto agere? nec ne? qui enim jugum obligationis fœderalis excutiunt, illi *fœdus Dei profanant*. Et qui ea introducunt (ac pios ad concurſum in iis rogant) quæ tendebant ad talem jugi excuſſionem, ſeu *fœderis profanationem*; illi ob rei conſequens jure rejiciebantur cum ſuo poſtulato. Quod nunc pii per cauſſæ ſuæ hyperaſpiſten facere, & quidem validas ob rationes, putandum eſt.

Digitized by Google

Verſ. 11. *Perfidè egit* cœtus *Judæ*, *& abominatio fit in Iſraële & Hieroſolymis : nam profanavit Juda Sanctum Jehovæ, quod diligit, dum filiam duxit Dei peregrini.*

§. 1. A generali accuſatione perfidiæ deſcendit ad ſpecialem indicationem facti, in quo perfidiam committi notat Antagoniſta: ut hic fiat allegatio ſpeciminis perfidiæ prioris, quam hic poni in exemplo ſcortationis ſpiritualis putamus.

§. 2. Caput accuſationis eſt *perfidè egit* cœtus *Judæ*. Notant hic Interpretes verbum בגדה in fæminino genere non poſſe cohærere cum nomine maſculini generis grammaticè: niſi vox aliqua fæminini generis concipiatur per ellipſin ſubintellecta, qualis eſt vox כנסת *cœtus*, aut ſimilis alia. Accuſatio *perfidiæ* reatum ut diximus objicit fœdifragii, & non ſimplicem injuriam: ut proindè crimen, quod poſtea exponit, ſit crimen graviſſimum. Illudque tribuitur *Judæ*, ſeu tribui congregatæ.

§. 3. Quod ut magis exaggeret, addit, *& abominatio fit in Iſraële & Hieroſolymis.* Notat rem, quam ſtatim aperiet, eſſe *rem abominandam*, quam *Deus* non ſolum extremâ animi averſione odit, verum etiam deteſtatur: adeò ut juſtam præbeat Deo Judici cauſſam illud crimen ultimo puniendi ſupplicio.

Dicitur autem id fieri *in Iſraële;* quo nomine totum illum cœtum, qui ſolutâ populi captivitate redierat, intelligit: Judæis enim multi ex decem tribubus fuerant admixti, cum in patriam reverterentur; qui cum fratribus unum iterum conſtituebant populum;

Digitized by Google

ex quâ hypotheſi reatus ille denuò aggravatur ab amplitudine criminis, ſe ad omnes tribus extendentis. Additur & civitas ſancta, *Hieroſolymæ*, gentis metropolis, in cujus medio congregata natio abominandum illud malum moliebatur. Ita prævaricationis indignitas exaggeratur etiam à ſanctitate urbis, quam tali contaminare flagitio ſaltem Iſraëlitas dedecebat.

§. 4. Hactenus ſuſpenderat hic ſermo auditorum animos, nondum ſigillatim expreſſo, quod tam acerbè inſectatur, ſcelere, ut majus quiddam concipiant. Nunc verò ad rem accedit dicens: *nam profanavit Juda Sanctum Jehovæ, quod diligit.* Quid per קדש יהוה ſit intelligendum? diligentius diſquirendum eſt. Vox קדש *Kodeſh* non ſolum *ſanctitatem* ipſam, verum etiam id, quod ſanctum eſt, ſignificat: *Ezech.* 22: 26. *Levit.* 12: 4. Ita *ſanctum Dei* dicitur *populus*, Deo à profanis gentibus ſeparatus, *Pſal.* 114: 2. Confer. *Lev.* 20: 26. *Templum*, cultui divino conſecratum, *Pſal.* 134: 2. *Thren.* 2: 7. *Pontifex Exod.* 28: 36. *altare*, *Exod.* 29: 37. *Deus ſanctus* eſt, glorioſus in ſanctitate *Exod.* 15: 11: & quælibet perſona Deitatis, *Jeſ.* 6: 3. *Nomen ejus & ſanctum* eſt, & quicquid ad cultum ejus aliquam habet relationem, *lex*, *fœdus*, & *omnia Dei inſtituta.* Iſraël populus ejus, & *templum* cum omnibus perſonis & rebus ad illud ſpectantibus: *civitas* quoque metropolitica, & *tota terra.* Hinc Interpretes admodum variant, dum alii illud *ſanctum Jehovæ profanatum* trahunt ad populum, alii ad templum & civitatem ſanctam, alii ad legem & fœdus patrum, ab ipſis certa legis violatione profanatum. Imo ſunt etiam viri Docti, qui omnia ſimul hic eſſe intelligenda volunt. *Cl. Coccejus* exiſtimat potiùs hic eſſe intelligendum eum, qui corpus eſt

umbra-

umbrarum, ipſe verus *pontifex*, *Zach.* 6:13. & verum *templum*, ſeu *ſanctuarium Ieſ.* 8:14. in cujus medio eſt nomen Dei ſanctum. *Exod.* 23:10. qui cum ſit *Legatus fœderis & faciei Dei*, ſeu *internuncius* Dei apud homines ad fœderis adſtipulationem à populo accipiendam, ſine profanatione fœderis, legis, & nominis Dei ſperni non poterat: & contra quem non niſi graviſſimè peccatur. *Exod.* 23:21. Dubium non eſt, quin hæc applicatio (ſi ſubjecta materia id patiatur) verborum pondus magis exhauriat. Huic enim præ reliquis omnibus competit denominatio *Sancti Iehovæ:* quia ipſe perſona divina eſt, & ſanctitatem divinam cum patre communem poſſidet: & in ſponſione æternâ pro peccatoribus electis ſanctificare nomen Dei ab eorum peccatis in ſe ſuſcepit; ut populum ſibi datum ad communionem cum Deo ſanctificaret, & ſalvâ Dei ſanctitate ei conciliaret, quam ob rem ſæpè in ſcripturâ propheticâ *ſanctus Iſraelis* audit. *Ieſ.* 41:16. 43:3. 14. 15. 44:6. 48:17. 55:5. Imò *aſſertor tuus eſt Sanctus Iſraelis* dicitur totidem verbis *Ieſ.* 41:14. qui idem tamen *Angelus* ſeu *Legatus Dei Gen.* 48:16. מלאך הגואל. Ipſe futurus Pontifex *Zach.* 6:13. & quidem ſecundum ordinem Melchizedeci *Pſal* 110:4. & ipſe templum, in quo deitas inhabitaret verè. *Ieſ.* 8:14.

§. 5. Imò tale dicitur *Sanctum Iehovæ*, *quod amavit*, id eſt, quod ſemper amavit, & amat etiamnum: ut *amor Dei* hic concipi debeat tanquam perpetuus, & ſummus: ita enim ponitur aliquid in objecto criminis, undè exaggeratur profanatio, & perfidia dici poteſt *rem abominandam* moliri. Quod non videtur cum juſtâ emphaſi tanquam aliquid peculiare dici poſſe de reliquis. Nam populum, & templum pro-

Digitized by Google

fanatum *non amat Deus:* nec templum & Sacerdotes amat in ſeſe, quia ſanctitas ceremonialis non eſt res per ſe placens Deo: quare ipſe aliquandò ea omnia ad tempus rejecit & Chaldæis profananda dedit. Imò poſt reditum populi in patriam ſuum שכינה in ſecundâ domo reſtituere noluit: in ſignum quod amor ejus in hiſce non acquieſceret. Proin hoc prædicatum emphaſin ſuam in nullâ re magis exercet, quam *in Filio Dei Pſal.* 2: 7. rege ſuper Sionem ungendo: qui dicitur *ſervus Dei, in quo voluptatem* habet & habuit Jehova, *Ieſ.* 42: 1. Cujus *gloriam*, quærit pater, ita ut omnia tradat in manum ejus, *Pſal.* 21: 6. 72: 1. Col. *Pſal.* 8: 7. cui proin κατ' ἐξοχὴν competit titulus *dilecti Dei. Ieſ.* 5: 1. Imò quid ni alludit ad locum *Ieſ.* 48: 14. ubi audit יהוה אהבו *is quem Iehovah diligit.*

§. 6. Crimen allegatur, in illud objectum commiſſum, ſub titulo *profanationis*, dum dicitur *profanavit Iuda ſanctum Iehovæ, quod amat.* Verbum vidimus cap. 1: 12. ubi accuſantur Sacerdotes, ut *profanantes nomen Dei.* Sicuti *profanum* opponitur *Sancto, Ezech.* 22: 26. Ita etiam *profanare ſanctum* eſt rem ſanctam habere, ut vilem, communem, & promiſcui uſus: imò aliquandò etiam ut impuram, & ita tractare. Sic reatus erat, *germen Iehovæ*, (ſeu quod idem erat *Filium Dei*) à Deo patre amatum & dilectum, ut rem vilem non pro ſuâ dignitate agnoſcere & excipere: quod etiam iis imputatur, *Cap.* 1: 12. & quo in facto dicuntur *profanaſſe nomen Dei.* In hoc crimine notatur *perfidia & res abominanda, Deo* omnibuſquè piis deteſtanda. Qui autem certo aliquo opere teſtabantur ſe *Chriſtum* habere pro homine vulgari, in peccato nato; à quo nil exſpectandum

erat,

erat, niſi quod à quocunque Rege fortunato & laudato exſpectari ſolet, illi *profanabant ſanctum Iehovæ, ab eo dilectum:* quod dicuntur feciſſe, et porro facturi.

§. 7. Accuſatur *Iuda* (ſeu tota gens, ſub eo nomine veniens) ita tamen, ut illa culpa objiciatur *Sacerdotibus*, contra tale crimen populum non ſatis munientibus, imò ad coöperationem iſtius ſceleris pios etiam (licet fruſtra) invitantibus. Adeo ut opus illud prævaricationis concipiatur ex eorum doctrinâ, conſilio, et ſuaſionibus ortum cepiſſe.

§ 8. Tandem additur, *dum Filiam duxit Dei peregrini.* Vulgò interpretes hæc exponunt de connubiis et conjugiis cum gentibus Idololatris earumque filiabus contractis; quod erat peccatum contra *Deut.* 7: 3. 4. *Exod* 34: 16. ubi omnis affinitatis contractio cum VII gentibus anathemate percuſſis, ibique enumeratis, per matrimonia cum earum filiis & filiabus ineunda prohibetur: additâ cauſâ, quod earundem filiæ eos pertraherent ſecum in crimen Idololatriæ. Notatur etiam hoc fuiſſe peccatum Salomonis. 1 *Reg.* 11: 1. & quorundam reverſorum ex captivitate in patriam, adverſus quod acriter ſe oppoſuit *Ezras*, *Ezr.* 9: 2. ubi vocatur *commixtio ſeminis ſancti cum populis iſtarum regionum* & verſ. 14. *annihilatio præceptorum Dei*, quæ provocaret *iram Dei ad conſumptionem populi uſque.* A quo peccato reformaſſe legitur Ezras populum cap. 13. & *Nehemias Neh.* 13: 23-29. Cumque hoc peccatum adeo vigeret eo tempore, atque ei duo viri optimi ſe tam ſtrenuè oppoſuerint, volunt Interpretes hiſce *Malachiam* ſeſe nunc tertium adjungere criminis iſtius ſtrenuum reprehenſorem: qui graviſſimis dictis illud exaggerat, ut fœderis violationem,

Digitized by Google

& rem abominandam, quæ tunc profanabat populum ſanctum, et ſanctuarium, et legem atque omnia ſacra. Verum, licet hæc ſpeciem habeant, non tamen nobis ſatis ſolida videntur; quia hoc peccatum non legitur poſt utramque reformationem *Ezræ & Nehemiæ* continuatum: nec toti Judæ imputari poteſt; quia illa tribus lugebat crimen illud, et lubenter acceſſit ad reformatores, ac iſti operi lætam etiam manum admovit.

Scena temporis (quæ Chriſtum cum Prodromo ſuo repræſentat, ut qui proximè mitterentur in publicum) potiùs poſtulat, ut de crimine cogitemus, quod tribus Judæ haud diu ante reipublicæ ſubverſionem commiſit: atque inter crimina numeratur, ob quæ Deus populum iſtum rejecit: quam pœnam, ut cum hoc crimine connexam, & haud diu poſt infligendam, videbimus verſu ſequenti. Adde, quod hic non *filias* dicat, ſed *filiam* in ſingulari numero, quam ut cum *Iuda* ſeu totâ tribu & gente copulatam reſpicit: eamque appellat *filiam Dei alieni*.

Deus alienus dicitur אל נכר, ſeu *Deus peregrinus*; qui planè alius ſit à Jehóvâ vero Deo, non niſi à peregrinis cultus & adoratus, tanquam potentiſſimus ſuæ gentis defenſor. Conf. *Deut*. 32: 12. *Pſal*. 81: 10

Filia Dei peregrini commodè dici poteſt gens aut natio, quæ Deum peregrinum veneratur, ut fortunæ ſuæ fabrum; & potentiſſimum ejus patrocinium multis laudibus jactat, ei *nomen patris* tribuens. Non enim à ſtylo ſacro abhorret, ut tota aliqua gens ſub *filiæ* veniat denominatione. Ita gens Judaica vocatur *filia Sionis Mich*. 1: 13. gens Tharſenſis *filia Tharſis Ieſ*. 23: 10. Sidonia *filia Sidonis*. ibid. verſ. 12. Chaldæa & Babylonica *filia Babylonis* & *Filia Chaldæorum*. *Ieſ*. 47: 1.

Digitized by Google

1. Ægyptia *Filia Ægypti. Ier.* 46: 11. imò hæc ipſa gens *Filia legionum. Mich.* 4: 13. quæ Judicem Iſraëlis virgâ percuteret: hæc *filia legionum* audit; quia legionibus munita & quaſi circumvallata cerneretur; quibus quaſi omne deberet incrementum, & originem. Vocatur hæc gens עם נגיד הבא *populus principis venturi. Dan.* 9: 26.

Quandò autem *Iuda* dicitur *eam Filiam duxiſſe in matrimonium* (quæ verbi בעל emphaſis eſt. *Deut.* 21: 13. 24: 1.) eleganter indicatur fœdus, quo ſeſe arctiſſimè junxit cum gente iſtâ, & jungi voluit in unam quaſi gentem: quod fœdus Propheta *fœdus cum morte & inferno* vocat, *Ieſ.* 28: 15. imò hoc ipſum vocatur. *Pſal.* 16: 4. *alium dotare. Hoſ.* 2: 4-7. venit ſub ſcheſi *ſcortationis ſpiritualis.* Si quis roget cur *Iuda* ut pars debilior cum gente potentiore junctus, & ei ſubjectus, ut בעל *maritus* dicatur potentiorem gentem ut uxorem aſſumpſiſſe quaſi in fœdus conjugii. Ei reſpondeo hanc eſſe rationem perverſi & inordinati amoris: ut enim vir primus eſt in amore, qui âmbit filiam, atque eam blandimentis excipit, ſed præpoſterus, quandò eam pro voto exceptam, juxta cœci amoris impetum, rebus ſuis præponit, ac ipſe invenitur in ejus poteſtate flexilis, ad plurima quæ cupit paratus, adeò ut quæ ei placere conjicit, ſtatim illi gratificetur. Ita ſe haberet *Iuda* ad gentem hanc, ut filiam Dei alieni; concipitur in hoc fœdere primus auctor, eam ad fœdus ſollicitans, eique adblandiens cum poteſtatis ſuæ traditione, atque ei nimium gratificans.

§. 9. Hanc enunciationem *vau copula* nectit cum proximè præcedente; quæ ſæpè temporali ſenſu venit, ut vertatur per particulam *dum.* Conf. *Gen.* 22: 5. *Exod.* 32: 31. *Ier.* 34: 16. *Neh.* 4: 15. Ita nos hic verti-

Digitized by Google

timus, nexum animadvertentes inter crimen anterius, et hoc connexum. Scilicet dum hoc egerant, concipiuntur anſam ſibi formaſſe ad rejectionem Chriſti: quod etiam notatur *Ieſ.* 28 : 15. 16. ubi *fœdus illud cum morte & inferno* concipitur anſam daturum Judæis *ad ſpernendum lapidem angularem* Chriſtum. Ita etiam *fœdus* illud concipitur *cum filiâ Dei alieni*, ut in ſe cauſam et anſam includens *profanandi Sanctum Iehovæ*; quia putaret ſe ita rem gratam facturum huic filiæ aſſumptæ: nec aliàs ſervare ſe poſſe gratiam et pacem cum eâ. Concipe Judæos, in hoc fœdere cum gente ſociâ, carnaliter ſecuros, et nil niſi monarchiam terreſtrem ab adventu Chriſti exſpectantes: hi cogitantes duo illa imperia ſimul conſiſtere non poſſe, eo tempore intempeſtivum cenſerent adventum Chriſti, atque tantoperè illam gentem ſociam adamarent, ut potiùs regnum Chriſti nec quærendum, nec promovendum exiſtimarent, ne filia ſocia rationem indignationis contra Judæos ex eo ſtudio ſuſciperet. Profanarunt itaque ex hàc cauſa filium Dei partim conceptu ſuo terreno de regno Chriſti temporali, eos inducente, ut non crediderint eum ſupra humanam ſortem virum fore: ſed peccatorem ex peccatoribus ortum, merum hominem, à Deo ad bene eſſe et fortunam populi tantum excitandum. Partim conſilio ſuo carnali, quo regnum illud humanum ex ratione temporis poſt initum fœdus, putarent præeligendum eſſe præ regno Chriſti, utpote quod utilius ad pacem populi periculoſo iſto tempore conſervandam ſtatuerent. *Res* ergo *abominanda* ſpectatur, ut tentata & incepta *in pudendâ illâ confœderatione*, quæ rejectionem regni Chriſti poſt ſe traheret; & ex corruptiſſimâ de regno Chriſti ideâ naſcebatur.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 12. *Exſcindet Jehovah viro, qui faciet illud, Vigilem & Reſpondentem à tentoriis Jacobi, & Offerentem munus Jehovæ* Deo *Exercituum.*

§. 1. A crimine fit tranſitus ad pœnam, haud diu poſt ſecuturam, quæ foret *pœna excidii:* ubi reus definitur איש אשר יעשנה *Vir qui faciet illud.* Eſt hic verbum עשה, quod ſæpè operis abſolutionem & conſummationem ſignificat, atque tunc haud malè verbo *perficiendi* redditur. Hoc ſi aſſumamus, *profanatio Sancti Jehovæ* in priori verſu notat tantùm opus inceptum, quod in illis initiis non perſiſteret, ſed propediem *perficeretur:* nam, qui in animi ſententiâ filium Dei Sanctum & ad opus Meſſiæ ſanctificatum *profanaret*, eum ut merum hominem in peccato & intempeſtivè natum ſtatuens; ille ad primam ejus apparitionem in munere ſuo eum ſublatum vellet, idque pro viribus non ſolùm conaretur, ſed etiam *perficeret.* Vidimus ad cap. 1: 13. ut Chriſtus juxta doctrinam propheticam foret occidendus: utque Judæi hoc *perficerent* eum rejiciendo, nec non eum tanquam reum criminis ad pœnam mortis & condemnando & rapiendo: confer quæ diximus ad *Deut.* 32: 15. ad quem articulum doctrinæ propheticæ reſpicit hic noſter, cum dicit Judam illam profanationem perfecturum. איש hìc notat quemcunque hominem: ut id non debeat tribui uni viro ſingulari, ſed toti populo Judaico, à cœtu piorum per cauſſæ hyperaſpiſten loquente, ſeparato. Hoc ſenſu videas voculam איש verti, *Gen.* 40: 5. *Num.* 25: 5. *Deut.* 1: 12. *Jeſ.* 53: 6.

§. 2. Pœna interminata eſt pœna *excidii divini.* Verbum כרת *exſcindere* notat: atque in *Hiphil* ſignificationem auget, totamque exſtirpationem & ablationem è medio ſignificat. 1 *Sam.* 28:9. *Ezech.* 21:8. *Pſal.* 101:8. 109:13. Metaphora eſt, deſumpta à rebus, quæ ferro ſecante deſtruuntur, ut arbores & animalia, quandò in fruſta ſecantur. *Deut.* 20:20. *Jer.* 34:18. atque transfertur ad judicium exciſionis, & perditionis, quod Deus aliquandò gladio hoſtium, aut judicio cœlitùs immiſſo exſequitur: prout primus mundus per diluvium exciſus eſt. *Gen.* 9:11. Notamus in hâc pœnâ vindictam fœdifragii; nam ſicuti *ſecare fœdus* dicebantur, qui ſecto vitulo per partes ejus tranſeuntes, ſolennem fœderis ratificationem faciebant, *Jer.* 34:18. ita *fœdus ſecantes* concipiuntur ſe ſub pœnâ excidii obligaſſe ad fidem firmandam: quare διχοτομια & excidium eſt pœna fœderi violato propria. Dein etiam in hâc pœnâ excidii notanda eſt *lex talionis;* ultimus enim *profanationis Chriſti* gradus foret, quod ab inimicis *exſcinderetur*: ita legitur *Dan.* 9:26. יכרת משיח *exſcindetur Chriſtus* (ubi hoc verbo exponit & illuſtrat dictum Jeſaiæ, *Jeſ.* 53:8. נגזר מארץ חיים *ſucciſus eſt ex terrâ viventium*) quâ datâ hypotheſi, Deus hic dicitur viciſſim exciſurus profanationis iſtius conſummatæ auctores; & *exciſores Chriſti* pinguntur ut *à Jehovâ exſcindendi.*

Jehovah, qui juſtus eſt Judex, & rigidus fœdifragii vindex, ſupponitur non poſſe illud crimen juxta legem fœderis & talionis impunitum dimittere, aut ſancti ſui profanationem ultimam non vendicare ad iſtum modum. Quod ſciens Antagoniſta Sacerdotibus denunciat judicium כרת ſeu excidii (quod Judæi ſolent affirmare ſolius Dei eſſe) ſc. eos non evaſuros, qui ſuâ perti-

pertinaciâ in odio Chriſti eo uſque pergunt.

Conſtructio verbi cum ל (in voce לאיש) vertitur *viro* ſeu *unicuique*, ad conſummationem ſceleris concurrenti: ita ſignificans illis eripienda eſſe omnia inſtrumenta reipublicæ & cultus. Verùm cum etiam ipſi reatum contraxerunt & in judicium inciderunt, alii in accuſativo vertunt per *unumquemque*, ut ל quaſi redundet, cujus rei multa ſunt apud *Noldium* exempla: tu inſpice modo. *Lev.* 19: 18. 2 *Sam.* 3: 20. Sed notandum alibi ſæpiùs ל eſſe incluſivum & ſignificare *cum* (vid. *Nold.* p. 446.) Ita ſenſus erit, *exſcindet Jehovah*, unà *cum homine* quocunque, *qui perficiet illud*, *Vigilem Reſpondentem & Offerentem*, ut iſtorum ordinum homines non relinquat populo ſuperſtiti: qui ſenſus planè cum eventu conſentit.

§. 3. Ut Sacerdotes teneant, quoſnam præ primis illud *judicium excidii* tangeret, pergit ad recenſionem hominum primi-ordinis, qui ne quidem ob dignitatem munerum parcerentur: ubi enumerat *Vigilem & Reſpondentem*, *atque offerentem munus Jehovæ Deo exercituum.* Primo loco ponit ער ועֹנה: quæ verba LXX prorſus alieno ſenſu reddunt ἕως ἂν ταπεινωθῇ, quaſi legiſſent עד יענה: non tantum vocalibus, ſed etiam conſonis neglectis. Haud dubium eſt, quin ער ſit *vigil*, ſeu qui vigilat, ſed cum radix etiam excitandi notionem induat, quidam vertit excitantem: quocum jungitur *reſpondens*, aut qui reſpondet. Nihilominus valdè diſſentiunt interpretes in applicatione dictorum ad ſubjecta. Vulg verſio ad ſenſum à ſe conceptum magis, quam ad voces attendens, reddit *magiſtrum & diſcipulum*, atque ita ordinem ſcholaſticum reſpiceret; ſed ille nnnquam ceſſavit inter Judæos. Alii *janitores*

tores & cantores intelligunt, ſeu quoſcunque præfectos templi, & cæteros Levitas gregales, quorum erat per obedientiam & promptam mandatorum exſecutionem mandatis ſuperiorum reſpondere diligentiùs. Vel in politicis per *excitantem* intelligunt Principem, qui ſuâ voce & imperio alios excitat, eiſque certos labores injungit; per *reſpondentem* Principibus ſubjectos, quoſcunque plebejos. Quaſi ſenſus ſit; delebit dominus ſine diſcrimine omnes, qui ſe talibus polluerunt & polluent ſceleribus, nec parcet ulli, cujuſcunquè ſit ordinis & conditionis, ſive ſit Princeps ſive plebejus, ne Sacerdotibus quidem exceptis. Verum non video cur non *Reſpondens* etiam æquè ac *Vigil* & *Offerens*, inter utrumque poſitus, inter viros primæ poteſtatis ſit collocandus, qui dat reſponſa juris. *Cl. Coccejus* per *Vigilem* intelligit Seniorem, pro reipublicæ ſalute excubantem, qui & שׁוֹמְרִים excubantes ex *Cant.* 5: 7. appellari poſſunt. Per *Reſpondentem* Legiſperitum, qui cenſebatur in ſenſu legis aperiendo exercitatus, cujus erat difficiliores in lege caſus & nodos extricare. Per *offerentem munus* Sacerdotem. Tenebat facilè Apologiſta prædictionem apud Zachariam, *Zach.* 11: 8. *de tribus paſtoribus uno menſe abſcindendis:* atque facillimè rem iſtam tali expoſitione illuſtrare potuit. Secundò notandum *Offerentem Jehovæ* Deo *exercituum munus* eſſe Sacerdotem, ſacrificium juge in templo Hieroſolymitano ad altare adducentem; qui etiam inter exſcindendos ad unum omnes ponuntur; ex cap. 1: 10. & 2: 3.

Si verum eſt, quod hoc judicium excidii ultimam reſpiciat Reipublicæ Judaicæ exciſionem, per populum Principis advenæ poſt exciſionem Chriſti infligendam? æquum eſt etiam ut voces accipiamus in eâ ſignificatione,

ne, quæ potiſſimum cum rerum eventu conſentit. Jam notum eſt, Synedrium magnum, in cujus authoritate & vigente poteſtate radicata erat reſpublica Judaica, compoſitum fuiſſe ex trium ordinum viris, *Senioribus*, *Legiſperitis & Sacerdotibus*: prout *Joſaphat Hieroſolymis* legitur forum conſtituiſſe *ex Levitis & Sacerdotibus & Primoribus paternarum familiarum Iſraëlis, ad judicia Jehovæ & ad lites.* 2 *Chron.* 19: 5. ubi *Levitæ* ob legis peritiam ex ordine doctorum videntur admiſſi. Saltem in hiſtoriâ euangelicâ notantur ex tribus iſtis ordinibus conſediſſe viros in Synedrio. Et res ipſa loquitur cum Reipublicæ Judaicæ ſubverſione etiam ablatum fuiſſe à gente iſtâ Synedrium illud magnum: adeò ut illa pari paſſu ambulent.

Ex iſto judicio excidii, quod Synedrium magnum in trium ordinum hominibus tangeret, notare licet, illud ſpectari, ut primarium abominandæ profanationis Chriſti inſtrumentum, cujus impulſu exſcinderetur Chriſtus, quodque ob eum reatum exſcinderetur juxta cum populo, qui ad illud ſcelus invitatus, operam ſuam illis jungeret.

§ 4 Reſtat ut inquiramus, quid intelligendum ſit per אהלי יעקב *tentoria Jacobi*, ex quibus exſcindendi dicuntur. Paraphraſtes Chaldæus iſta *tabernacula Jacobi* exponit per *civitates* ſeu urbes *Jacobi.* Alii ad terram inhabitatam referunt, quaſi dixerit *ex terrâ inhabitationis* poſterorum Jacobi: ut phraſis alludat ad veterum conſuetudinem, & præſertim Patriarcharum, qui *in tentoriis* degebant, terram illam pervadentes, ut *Jacob*; cujus poſteri nunc dicuntur *tentoria Jacobi*, in quorum locum ſucceſſerunt. Neque dubium eſt, quin *tentoria* ſæpius dicantur qualeſcunque habitationes. *Gen.* 9: 27. *Num.* 24: 5. *Job.* 22: 23.

Digitized by Google

1 *Reg.* 12 : 16. *Zach.* 12 : 7. *Pſal.* 84 : 11. 118 : 5. Ita notabitur excidium ex terrâ ſanctâ, quam vi teſtamenti Jacobi incoluerant. Alii per *tabernacula* intelligunt congregationes poſterorum Jacobi, ut ſit alluſio ad feſtum terbernaculorum, quo totus Iſraël, congregatus ad feſtivitatem ſolennem tertiam, in tabernaculis habitabat: cujus inſtituti ratio exponitur *Lev.* 23 : 45. *ut diſcant* (inquit legiſlator) *poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim Tribus Iſraëlis, cum educerem eos de terra Ægypti:* quandò ipſe Deus etiam in tabernaculo ſibi domicilium collocavit. Tunc ſenſus erit, populum Jacobi verum congregaturum, & apud Dominum habitaturum ſine illis ducibus cæcis, extirpandis cum ſuis tabernaculis, ut non amplius compareant. Sicuti Corachitæ relicti à reliquis vivi cum ſuis tentoriis ſunt abſorpti & deleti, ut non amplius cum ſuis, in idem malum conſpirantibus, inventi fuerint in tentoriis Jacobi. *Num.* 16 : 26-35. Res tamen ferè eodem redit.

Verſ. 13. *Et hoc ſecundò facitis: operiendo operitis lacbrymis altare Jehovæ, fletu & ſuſpirio, adeo ut non ſit amplius reſpicere ad munus, & acceptare ſpontaneum è manu veſtrâ.*

§. 1. Tranſit nunc ſermo Apologiſtæ ad alterum ſpecimen criminum, quo reos ſe fecerunt Sacerdotes doctrinâ ſuâ: quod ſpecimen exemplum producit corruptæ interpretationis legis Dei, atque probat illam ſenſus legis perverſionem magnas in populo concitaſſe injurias, fletus & gemitus: adeo ut provocaverint Deum ad avertendam faciem ſuam à ſacrificiis tam injuſtis manibus

bus oblatis. Illa legis corruptio oſtenditur in lege de connubiis commiſſa, dum polygamiæ & divortiorum praxin traderent licitam, eam pugnare cum lege negantes.

§. 2. Dum dicit, *& hoc ſecundò facitis*, monet ſe ad aliud crimen tranſire: & ſe culpam criminis iſtius conjicere in Sacerdotes, quos compellat. Vocat Hyperaſpiſtes crimen, ad cujus exaggerationem tranſit, *ſecundum*, aut ſecundo loco factum, reſpectu ordinis, quem ſibi in accuſatione perfidiæ propoſuerat, quodque ad priùs perfidiæ exemplum adjectum, probat illos Deo priùs, dein & hominibus injuriam intuliſſe. Huic crimini ſecundum locum præbet :. præ primis, quia poſt læſionem Dei, & inter crimina ſecundam legis tabulam tranſgredientia graviſſimum erat, partim jura totius ſexus & prolis cum omnis ordinis œconomici ſubverſione violans: partim genium Sacerdotum durum inclementem & pertinacem detegens: videas enim hìc *inclementiæ peccatum* ergà debiliorem ſexum commiſſum, cum inſigni injuriâ & vilipendio fœderis divini conjunctum; *oppreſſionem contra jus & fas* in ſe continens, *Deumque* ad indignationem provocans; lachrymæ enim ad eum delatæ & ſuſpiria apud altare ejus emiſſa contra fumum ſacrificiorum adſcendebant; illis cauſſam Deo vindici tradentibus, his gratiam petentibus: ita ut lachrymæ prædominarentur ſacrificiis. Adde factum illud ſecundum includere etiam *ſeveritatis pertinaciam*; dum nihil moventur piarum fœminarum lachrymis ad corrigendam per juſtam legis interpretationem iniquam illam licentiam & indulgentiam, quâ maritis durioribus & violentis relicta fuit in uxores tyrannis: utque familiis recluſus fuit putidiſſimus pravæ educationis fons, ex quo tam contorta & perverſa progenies quotidiè proveniebat, cui nullum quæſitum fuit repagulum, ut

pote-

poteſtate maritali abuti non pergant. Sacerdotes enim pinguntur nihil moveri fletu & ſuſpiriis, quibus Deus prius motus fuerat, & ad indignationem ſuam teſtificandam movebatur adhuc.

§. 3. Crimen illud exponit verbis; *operiendo operitis lachrymis altare Jehovæ fletu & ſuſpirio.* Deſignat hic *lachrymas ſub fletu & ſuſpirio* effuſas, quæ erant lachrymæ de injuriâ ad Deum querelas deferentium, aut ſaltem luctum graviorem apud altare teſtantium. Sunt Interpretes, qui has lachrymas referunt ad lugentes in populo, & obſervantes, quod Deus Sacerdotum ſacrificia pro ipſis oblata propter Sacerdotum impuritatem non accipiat; qui propterea loco ſacrificiorum fruſtra oblatorum meras lachrymas ſubſtituebant. Aſt neſcio an cum pietate lugentium convenire poſſit ſacrificia negligere, & lachrymas ſubſtituere. Dein Sacerdotes (non populum, eorum vitia lugentem) compellat. Alii Sacerdotum intelligunt lachrymas, quas hypocritæ ſub ſpecie pœnitentium fundebant, cum animadverterent ſacrificia ſua non eſſe accepta. Verùm hoc Sacerdotibus ſtante altari minùs convenit; nec ulla nota eſt in textu undè colligas hypocriſin culpari in illis lachrymis. Plurimi potiùs hic reſpiciendas eſſe fœminarum lachrymas volunt, quas fundebant de injuriâ dolentes; quæ propterea diebus & noctibus ante altare Domini provolutæ acerrimum malorum ſenſum teſtabantur. Hoc imputatur Sacerdotibus, indulgentioribus legis interpretibus, qui omnium iſtarum injuriarum erant auctores, dum ſuis interpretamentis tantis malis tot lachrymas oppreſſarum oculis extorquentibus januam aperiebant. *Altare Jehovæ* hìc concipitur ut factum planè inutile ad Deum placandum inſtrumentum? erat quidem focus ignis ſacri ex inſtitutione, qui ſacri-

ſacrificia concremanda excipiebat, ut fumus eorum, in altum adſcendens, Deo eſſet in odorem gratum. Sed nunc concipitur ut operimento obtectum & obrutum; quod verbum כסות indicat; à כסה in *pihel.* Eſt hic infinitivus cum ellipſi verbi ſui finiti, quod ſæpiùs obtinet, quare vertimus *operiendo operitis:* quæ phraſis rei frequentiam connotat; quaſi res quotidiè frequentata. *Lachrymæ* ergo ſortem ſuam inter ſuſpiria deplorantium hic conſiderantur aquarum inſtar, eouſque accreſcentium, ut tanquam inundatio ſupra latera altaris exſurgant, & ignem cum flammis ſacrificiorum extinguant, quò odor eorum perrumpere & ad cœlum penetrare haud potuerit. Ita hoc verbo *aquæ* dicuntur *obtegere mare*, *Hab.* 2: 14. & *terram*, *Gen.* 7: 19. *Pſal.* 104: 6. 9. Vel potius inundatio operimenti vicem implet, ut res obtecta à conſpectu arceatur; quod magis cum phraſi ſequenti convenit: niſi fortè utrumque admittamus, propter phraſes ſequentes copulatas.

§. 4. Additur autem, *adeò ut non ſit amplius reſpicere ad munus, & acceptare ſpontaneum e manu veſtrâ.* Qui lachrymas, altare operientes, applicant populo lugenti; illi in his verbis cauſam luctus quærunt, & vertunt *eo quod amplius non reſpicitur ad oblationem, & non ſuſcipitur beneplacitum ex manu veſtrâ.* Hi volunt præpoſitione מן additam negationi אין non facere concluſionem; ſed indicare cauſam, cur aſſiduis inundetur altare lachrymis. Verum tenendum particulam מאין ſæpius notare conſequens, & verti *ita ut non.* Conf. *Jeſ.* 5: 9. *Jer.* 7: 32. &c. Infinitivi in פנות & לקחת quaſi nominaſcunt. Deus antehàc *reſpexerat ad munera*, ſicuti ad munus Habelis; verum id non faciebat ampliùs; quaſi horum ſacra eſſent comparanda cum munere Caini, quod legitur non

Digitized by Google

reſpexiſſe, Gen 4: 4. 5. Alterum quod additur eſt לקחת רצון. Vox רצון dupliciter dici de oblatione monet vir ſummus, tum in conſideratione offerentis: qui donum ſuum affectu & conſcientiâ inoffenſâ, non invitus, ſed cum lubentiâ & fide offerebat. Cum etiam in conſideratione Dei, ut non abominantis, ſed imputantis fidem ad juſtitiam: qui tunc dicitur gratum habere ſacrificium, & quâ tale acceptare, opus ipſum reſpiciens, ut aliqualem & ſinceram (quæ per ſigna loquitur) profeſſionem fidei complectens. Hoc teſtatur etiam non ampliùs locum habuiſſe, ſicuti quidem aliis temporibus, ob cauſſam allegatam.

§. 5. Cauſa etiam ſubeſt in verbis *ex manu veſtrâ*, quippe quæ concipitur ſcelere contaminata, cum *puram* poſtulet Deus, qui *commaculatam* cenſet etiam ſacrificia & altare, ac quicquid ex rebus ſacris contrectat, contaminare. Hoc teſtabatur lex ceremonialis, ſacra illotis attingere manibus prohibens. *Exod.* 40: 30-73. ad quam alludit *Pſaltes*, *Pſal.* 26: 6. Cauſam reddit *Ariſtæas* in hiſt. tranſlat. τῶν Lxx. ὅτι πᾶσα inquit ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται: *quoniam per manus omnes externi conatus expediri ſolent.* Imo & hæc cauſa non acceptorum aliquandò ſacrificiorum alibi quoque allegatur. *Jeſ.* 1: 15. Ipſi gentiles tenebant ſanctam manum plus valere hoſtiis: quod cecinit Horatius, l. 1. Od 23.

Immunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollibit averſos Penates
Farre pio & ſaliente micâ.

Verſ.

Verſ. 14. *At dixiſtis, quare? Propterea, quod Jehovah teſtificatus eſt inter te & inter uxorem juventutis tuam, cum quâ tu perfidè agis: cum illa ſit ſocia tua, & uxor fœderata tua.*

§. 1. Introducuntur Sacerdotes iterum, ut illud crimen diſſimulantes, & rogantes, *quare* illis tale quid objiciatur? quænam eſſet lachrymarum cauſa, illis imputanda, ob quas Deus dicatur non reſpicere oblationes? quas manu ſuâ offerebant. Ita ſuâ obmurmuratione repræſentantur, ut anſam præbentes Apologiſtæ ad perfidiæ genus exponendum. Avertebat Deus (manus ſanguine & ſcelere maculatas exhorreſcens) à pollutis eorum ſacrificiis faciem; atque interim homines, omnia jura violantes & ſacra prophanaque miſcentes, necdum vias ſuas explorabant, accuſationemquè neſcio quâ cum animi indignatione audiebant.

§. 2. Reſponſio tamen in promptu eſt, *perfidè agis tu cum uxore tuâ:* fidem non præſtas conjugi tuæ. Eſt in omni matrimonio mutua perſonarum traditio, quâ alter alteri poteſtatem cedit in corpus, ad quæſtionem ſeminis: & quidem cum ſtipulatione *mutui amoris* atque auxilii. Hinc moris erat jurejurando *ſponſionem amoris* firmare etiam inter gentes; Ita apud Achillem Tatium libr. 5. de Clitophontis & Leucippes amoribus legitur. Ὀμνύομεν, ἐγὼ μὲν ἀγαπήσειν ἀδόλως, ἡ δὲ ἄνδρα ποιήσασθαι καὶ πάντων ἀποφῆναι δεσπότην. *Juravimus* utrinque, *egò quidem ſine fraude doloque me illam amaturum; illa verò me ſibi conjugem adſcituram, rerumque ſuarum omnium dominum habituram.* His

con-

conditionibus, qui adſtipulatus eſt, fidem dedit: quam rumpit, quicunque *amorem* dividit per polygamiam, aut abrumpit per libellum repudii. Quæ iſtam perfidiæ injuriam patitur vocatur *uxor juventutis ejus*; qui titulus competit *uxori primæ*, quam aliquis, adoleſcens adhuc, ducit, & cum quâ ex ſtatu adoleſcentiæ tranſit in conditionem virilem. *Prov.* 5: 18. Simili modo *Homerus* vocat talem κυριδίην ἄλοχον.

§. 3. Ne levem quis putet cauſſam; eam revocat ad Deum *Jehovam*, *teſtificatione* intercedentem, ut teneat eam rem Deo maxime curæ eſſe: dicit enim *teſtificatus eſt Jehovah inter te, & inter uxorem tuam*; primam nempe. Verbum העיד forenſe eſt; atque notat teſtificando aliquid confirmare, ſtabilire & ſancire: quod Jehovah facit, legem voluntatis ſuæ teſtem & indicem promulgando, & ne rumpatur obteſtando. Lex, quam reſpicit, eſt *Gen.* 2: 24. *Vir patrem ſuum & matrem ſuam relinquet, & uxori ſuæ adhærebit, & illi duo erunt in unam carnem.* Proin Deus ipſe quaſi lege ſuâ maritum inter & uxorem teſtificatur, dum per eam legem ab utrâque parte mutuam ſtipulatur fidem & poſtulat: ut non ſit homo, qui marem & fæminam jungit, nec ipſi tantum ſuâ voluntate jungantur inter ſe: Sed Deus ſit, qui illos fœdere ſanctiſſimo jungat: & ſe perfidiæ ultorem declaret. Sanè ſi Deus hic ſuam interpoſuit auctoritatem, & ſeveriſſimè indixit, ne quis uxoris (quam adoleſcens duxit cum abſceſſione à patre & matre) jura violet; oportet, ut contra Dei expoſtulationem & ſtipulationem peccet, qui hìc fidem non præſtat.

§. 4 Aggravationem culpæ auget, quandò addit: *cum illa ſit ſocia tua*. Vox חברת notat *ſociam*, conſortem fortunæ & laboris in conjunctione. Huc ſpectat

ctat lex Romuli, quam *Dionyſius Halicarn.* deſcribit libr. 2. *Mulier viro legitime juncta fortunarum & ſacrorum illi SOCIA eſto: utque domus ille Dominus, ita hæc DOMINA.* Hinc *Gordianus.* L 4. c. de crim. exp. hær. uxorem dixit ſuſcipi *SOCIAM divinæ & humanæ domus.* Lxx vertunt κοινωνός σȣ, quos *Hieronymus* ſequitur, reddendo per *particeps tua.* Ita uxor juncta viro per iſtam copulationem ſocietatis ad prolem procreandam, in communionem ſuſcepta, *ſocia* facta eſt viri; cui è regione eſt in opere generationis, & in curâ familiari: adjutrix illi in liberorum educatione, in rei familiaris acquiſitione, defenſione & adminiſtratione adjuncta: conſors gaudiorum, curarum, & dolorum mariti ſui, prout ſors offert. Etiam in ſpiritualibus *ſocia* eſt in omnibus pietatis exercitiis, precibus, gratiarum actionibus, & liberorum ad cognitionem Dei ac pietatem inſtitutionibus: in eum finem marito Deo auctore data, & lege divinâ obligata, ut viro ſuo foret ab auxiliis. Quæ autem tot exantlare in ſocietate mariti labores & curas in ſe ſuſcepit, atque eam ob cauſam etiam parentes æque ac vir dereliquit, debet in viro invenire fidum itineris hujus vitæ comitem & ſocium, qui eam tenerrimè amet, & in omni mœrore ei ſoli adſit.

§. 5. Phraſis conjuncta etiam ſpecialem poſſidet emphaſin: nempe, *& uxor fœderata tua.* Hebr. *fœderis tui.* Licet matrimonium ipſum ex naturâ ſocietatis iſtius, quæ communem prolem quærit, ſocietatem poſtulet arctiſſimam, pari curâ ad prolis educationem concurrentem: nihilominus conſultum duxerunt homines in re graviſſimâ obligationem illam fortiùs adſtringere mutuo fœdere: præſertim, qui cognoſcunt teſtificationem divinam, quâ quaſi ad ejus ſtipulationes ad-

mittendas vocantur. Mulier adultera eleganter deſcribitur *Prov.* 2: 17. *quæ ducem adoleſcentiæ ſuæ deſerit*, *& fæderis Dei ſui oblita eſt*. Ita fœderis inter nubentes fit mentio, *Ezech.* 16: 60. *Jer.* 2: 2. cur autem vocetur *fædus eorum*, Fœdus Dei? clarum eſt: quia Deus jurejurando invocatur fœderis teſtis atque judex, & aſſumptus fuit, ut pacti præſes, quo ſanctum eſſet & inviolabile. Lubet hic inſerere, quæ ad hunc locum in analectis ſuis ſacris habet *Joh. Dougtæus*, oſtenſurus etiam gentes nuptias ut rem ſacram peregiſſe.
,, Inter varia (ſcribit) fœderum genera, legentibus
,, paſſim obvia, non imæ notæ ſunt conjugalia illa pa-
,, cta, quæ inter virum & mulierem legitimè conjun-
,, ctos intercedunt. Non purè putè humana hæc, aut
,, forenſis cujuſdam ſtipulationis, ſed divina prorſùs
,, cenſeri debent; *Fædus coram Domino* hic appellat
,, Textus, ac ſi alio quidem locutionis modo *ſa-*
,, *crum* diceret vel religioſum. Ita ſc. exotici Scripto-
,, res quam ſæpiſſime. Εκάλȣν δὲ τȣ̀ς ἱερȣ̀ς ὁι παλαιοὶ γά-
,, μȣς -- *Veteres*, inquit D. Halicarnaſſenſis, *l.* 2.
,, *ſacras* habèbant, nec alio quaſi nomine *nuptias* in-
,, dicabant. Ιερȣ̃ γάμȣ, paſſim occurrit vocabulum apud
,, Athenæ. *l.* 6.

Ο'υ ζυγίην ἱερῆν τις ἐπευφήμησεν ἀοιδὸς
Non conjugium ſacrum quiſquam laudavit poëta.
Muſæus in *Hieron. & Leandr.*
----- *Quoties ſocialia ſacra parantur*
Nupturæ, toties---- Ovid. *Ep.* 20.
----- *Vetus eſt alienum Poſtume lectum*
Concutere, atque ſacri genium contemnere fulcri.
Juven. *Sat.* 6.

,, Nec

Digitized by Google

,, Nec mirum, ſi pro ſacris habuerunt hujuſmodi
,, Nuptialia fœdera, quibus inſuper peragendis, ritus
,, omnes & cæremoniæ ad ſacra ſpectantes adhibebantur. Primo, *tibiæ*; Cic. ad *Herenn. l.* 4. *Non
,, illæ te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commonebant?
,, Nam hic omnis ſanctimonia nuptiarum uno ſigno tibiarum intelligitur.* Et tibias præcipuè in ſacris uſurpari ſolitas, alibi pro occaſione argumenti ſatis
,, firmavi. Adhæc, Auſpicia & divinationes variæ.
,, *Nubit genero ſocer, nullis Auſpiciis, nullis Auctoribus, funeſtis omnibus omnium*, Cic. in *Orat. pro
,, Cluent.*

Ultro ibit nuptum, non manebit Auſpices. Plaut. in *Caſin.*

*---- Ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum ſignatoribus Auſpex.*
Juvenel. *Sat.* 4.

,, Rurſus *libationes & ſacrificia*; Οὐκοῦν δὲ ἑορταί τινες
,, νενομοθετητέαι ἔσονται, ἐν ἄις συνάξομεν τάς τε νύμφας,
,, καὶ τοὺς νυμφίους, καὶ θυσίαι --- *Igitur feſta quædam erunt legibus deſignanda, in quibus ſponſos & ſponſas
,, jungamus, quin & ſacra--- celebratis nuptiis convenientia.* Plat. *de Rep. l.* 5. Ἔτι δὲ τὴν γυναῖκα νομίζειν ἀπὸ τῆς ἑςίας εἰληφότας μετὰ σπονδῶν---. *Præterea
,, reputandum eſt eos cum libationibus fœderibuſque uxorem accepiſſe.* Jamblich in *vit Pythag. c.* 8. Utrumque præfatorum antè rituum, tum *auſpicandi*, tum
,, *libandi*, ſimul conjungit Tacitus, in Meſſalinæ nuptiis cum Silio *l.* 11 *c.* 9. *Atque illam audiſſe Auſpicum verba, nupſiſſe, ſacrificaſſe apud Deos.*
,, Poſtremò, ad ipſas Aras, tanquam inſpectantibus Diis, agebatur res iſthæc *Nuptiarum. Inde*

Digitized by Google

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad Aras
Æſonides, unàque adeunt pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit---. Val. Flacc. *Argon. l.* 8.

„ Dii verò ad hunc modum Nuptiarum præſides dele-
„ cti (quos igitur ab officio ſuo, cui ſpeciatim aſſigna-
„ bantur, γαμελίως θεὲς vocabant) erant Juno & Ve-
„ nus, teſte Plutarcho in *Qu. Rom* Atque illam,
„ (Junonem) exinde *Iugam* vel *Iugiam* communiter
„ dicebant.

---- Αυτὶ γὰρ Ἥρης
Τὴν ζυγίην καλέεσι----.
---- *Pro Iunone autem*
Iugiam eam vocant. Nonn. *Dionyſ. l.* 47.

§. 6. Quod ſi *ex fœdere Dei* facta fuerit prima uxor ſocia fortunæ, idque ob teſtificationem Dei, quâ ille ſemet Stipulatorem conditionum interponit: facilè conſtat *perfidiam* viri, ſtipulationem divinam violantis, haud leve eſſe crimen; *violationem fœderis Dei* implicantem, cui ſtipulanti quoque adſtipulatum fuerat. Quomodò igitur *vindex fœdifragii* Deus, non tantum pactum humanum, ſed & ſuum profanantes, impunitos dimitteret? Num ille tales ad idem altare accedere, & manus ſuas ſacrilegas admovere ſacrificiis, ita ferre poterit, ut non avertat faciem ſuam? præſertim quando iſtorum perfidiâ *læſæ conjuges* juxta cum illis *perfidis* ad altare accedentes, ſuſpiria ad eum emittunt, & lachrymis ferè altare operiunt.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 15. *Et an non unum ſecit, cum illi ſupereſſet ſpiritus? & quid unum illud? quærebat ſemen Dei. Et caveretis in ſpiritu veſtro, ut erga uxorem juventutis tuam non perfidè agat.*

§. 1. Probat porrò *perfidiam* committi contra uxorem primam per *polygamiam*; quæ eſt plurium uxorum ad primam ſuperſtitem adductio, & ad copulam carnalem admiſſio. In hâc probatione provocat ad teſtificationem divinam, collatam cum primo creationis exemplo.

§. 2. Scio equidem Judæos plurimos unà cum quibuſdam Chriſtianis, eos ſequentibus, hunc verſum longè aliter exponere. Antiquiſſimi magiſtri hìc inter populum & prophetam dialogum fingunt; ac polygamis hanc tribuunt objectionem. *Nonne unus* (Abraham pater noſter) fecit ita? quandò *Hagarem* ancillam ſuperſtite Sarâ duxit uxorem? Cui ſolvendo repoſuiſſe Prophetam volunt. *Aſt ei erat excellentia ſpiritus?* ſeu excellentior mens & alia planè ſententia quam vobis, aliuſque ſcopus. Alii tamen hoc effatum adhuc ad oppoſitionem eſſe referendum hoc ſenſu volunt, *& fuit in eo excellentia ſpiritus*, q. dicas, *fuit ille Propheta*, juris Dei non ignarus. Inſtantia objicientium putatur in dictis; *& quid unus ille?* quæ ejus mens? quis ſcopus? quid aliud ſentiit quam nos? cui reſponderi putant, *quærebat ſemen Dei:* ut hoc non ex voluptate, ſed ex deſiderio ſeminis promiſſi, conſentiente uxore, profectum fuerit. Ita Polygamos conſiderant, ut ſeſe exemplo Abrahami defendentes,

& reſponſum ſub diſtinctione referentes: quod Abraham id in gratiam piæ prolis fecerit, quandò orbus liberis, & tamen promiſſionem habens, inceſſit: Illi verò id faciant ex vagæ libidinis dictamine, & cum uxorum oppreſſione: ac proin æquum eſſe, ut ſpiritum ſuum, atque in eo ſcopum ſuum, excutiant.

Verum huic ſententiæ ſubſcribere non poſſumus. 1. Quia iſta Interpretatio inferret polygamiam ex mero deſiderio ſeminis Dei eſſe licitam, & de eâ ex ſcopo tantùm eſſe ſtatuendum. Cum contra *quærere ſemen Dei* prohibeat omnem Polygamiam, ut poſt oſtendemus. 2. Nec *unus* ille aliquis definit perſonam; cur ſi ea foret mens, non nominarunt Abrahamum, aut dixerunt *Pater noſter?* 3. Nec *unus* eſt, qui id fecit, ſed plures fuerunt, uti *Iacob & David*, qui polygamiæ poterant eſſe ſolidiora exempla, atque etiam fuerunt Prophetæ. 4. Neque ulla in textu nota eſt ficti iſtius dialogiſmi & colloquii: ad cujus indicationem Propheta præmittere ſolet, *dicitis*, aut ſimile quid; quod ei admodum eſt familiare.

§. 3. Qui provocationem hìc inſtitui ad creationem Dei volunt, egregiè monent *Deum* hìc eſſe concipiendum *factorem* ſeu creatorem; quia ei tribuitur, quod *ei ſupererat copia ſpiritus*; quaſi dicat, *ille cui ſupererat ſpiritus*, ad creandum plures homines, rem ita *fecit*. Nec tamen illi conſentiunt in verſione. Vulg. legit, *nonne unus fecit?* atque per *unum* intelligit unum Deum creatorem, ſubintelligitquè marem & fœminam, quos ad propagationem humani generis arcto conjunxit matrimonii fœdere. Hanc ellipſin facilè ſuppleri putandum eſt ex præcedentibus, quaſi dicat, *nonne id unus* fecit. Verùm cum durior viſa ſit aliis hæc ellipſis, & rem minus plenè exprimat iſta verſio, nos potiùs cum

cum aliis viris doctiſſimis nomen אחד exponimus in accuſativo caſu, & adverbium negandi interrogativè reddimus, ut לא ſcribatur pro הלא, quod in hâc linguâ uſitatum eſt. ' Legimus ergò ולא אחד עשה *& nonne unum fecit?* Scilicet *Deus*, auctor humani generis; aut *Iehovah*, qui inter te & conjugem tuam *teſtificatus eſt?* quod ex verſu antecedente, quocum hic cohæret, facile mente repetimus: neque repetitio videtur neceſſaria; quia proximè ſubjungitur character Deitatis, & ſub ipſo verbo עשה continetur, quod Apologiſta ex *Gen.* 1:26. transfert, ubi dixiſſe legitur Deus נעשה אדם. Non ergò mirum eſt verbum hìc poni abſque ſubjecto, quod ipſum ſubjectum includit? cum actio talis ſit, ut nemini præterquam Deo adſcribi poſſit.

Quid autem ſibi velit, quod hìc dicatur *Deus*, cum conjugium inſtituere vellet, *unum feciſſe?* inquirendum porrò. An unam fœminam? ſed tunc vox fœminini generis אחת videbatur ſubſtituenda. Quare potiùs eſt, ut dicamus vocem eſſe tranſlatam ex *Gen.* 2:24. בשר אחד *caro una*, ut vox notet unum junctum. Sicut עם אחד. *Gen.* 11:6. *populus unus*, non diviſus. Senſus ergò erit; duos Adamum & Evam feciſſe unum junctum, ſeu *in unam carnem*. Imò quid ni reſpicit ad creationem unius hominis, ex quo demum ſumpſit fœminam, ut carnem de carne ejus, & os de oſſibus ejus; quæ ratio dicitur, propter quam duo illi ex uno legem acceperint, ut *duo eſſent in unam carnem:* nec aliud quærerent, quam ad exemplum primordiale ſeſe componere, poſteri. Illorum unitatem reſpicit Moſes: *Gen* 1:27. *& creavit Deus hominem* (vide unitatem) ... *marem & fœminam creavit eos:* vide unum multiplicatum, imò ferè dixerim diviſum in

Digitized by Google

unum marem, & unam fœminam. Sic *unum feciſſe* dicitur Deus, id eſt unum hominem, virum unum cum unâ uxore, quaſi ſub eo comprehenſâ.

§. 4 Addit, *cum illi ſuperesset ſpiritus?* Nota *vau* copulam hìc commodè exercere ſignificationem temporalem Aut exceptionis, ut vertere liceat per *quamvis.* Addo, quod *vau* ſæpè veniat loco אשׁר, atque tunc vertenda erunt verba, *cui copia erat ſpiritus*; quo ſenſu dato, in hâc periphraſi erit deſcriptio ſubjecti, *Dei* ſcilicet, *creatoris.* Exempla iſtius phraſis vide *Gen.* 11 : 4. *Eccl.* 6 : 12. *Joſ.* 2 : 1. Confer Noldium in notis ad Concord. No. 1048. שׁאר רוח eſt *reſiduum* (aut exuberantia) *ſpiritus.* Quidam per ſpiritum animam humanam intelligunt, ac Deo attribui earum abundantiam volunt; ut indè derivetur eum, ob earum copiam quam poſſidebat, eandem pluribus, ſi voluiſſet, impartiri, illiſque pariter ac Adamo fecerat inſufflare potuiſſe. Quod cum noluerit, id argumento eſſe, Deum in primo conjugio voluiſſe exemplum conjugiorum poſteris imitandum præbere, concludunt. Verum id minùs placet, partim quia ſic includeretur Deum in principio plures jam creatas habuiſſe animas, poſt corporibus jungendas, qui error Judaicus eſt: partim, quia רוח eſt vox ſingularis, quæ non quadrat cum ſignificatione plurali. Ego potius per hunc *ſpiritum* intelligo *ſpiritum Dei*; qui etiam in opere creationis notatur ut *creator*, & *ſpiritus potentiæ* audit. *Jeſ.* 11 : 2. Hic *ſpiritus exercitus cælorum* (*Pſal.* 33 : 6.) & *hominum* (*Iob* 33 : 4.) *creator*, notatur, ut non exhauſtus viribus, aut deficiens potentiâ, quaſi non potuiſſet plures condere homines aut fœminas. Quod cum in finem monet, ut teneamus ex ſingulari Dei conſilio, non ex rei impoſſibilitate profluxiſſe,

quod

Digitized by Google

quod unam condiderit uni viro jungendam, quoniam Deo adhùc *ſupererat ſpiritus*; quo plures creare, ſi voluiſſet, potuiſſet: qui non erat viribus exhauſtus. Rectè igitur ex hâc hypotheſi infertur eo ipſo agendi modo indicare voluiſſe, ut in creatione optimi & *ſolùm legitimi matrimonii exemplum dederit*, ad cujus normam omnes poſteri tenerentur matrimonia ſua componere.

§. 5. Allegato primæ creationis exemplo, inquirit in conſilium Dei; cur Deus ſcilicet in exemplo primi conjugii eum in modum voluerit progredi, uti apud Moſen feciſſe legitur: quæ inquiſitio commodè notatur vocibus, ומה האחד *& quid unum illud?* ſupple, *ſibi vult?*

§ 6. Ad hanc quæſtionem reſponſum reponit, conſilium Dei in iſto procedendi modo aperiens: מבקש זרע אלהים. Sicuti propagatio prolis finis eſt conjugii, à Deo ad multiplicationem humani generis ordinata; cujus ſtudium eleganter in *quærendo ſemine* collocatur. Ita *ſemen Dei quærere* eſt matrimonium ejuſque uſum talibus legibus circumſcribere, quæ ad *ſemen Dei* procreandum planè conducunt, quod Deum feciſſe & lege ſuâ (ex creationis exemplo & modo profluente) intendiſſe hìc monemur: dum dicitur *quærens ſemen Dei unum feciſſe* hominem marem & fœminam. Tenendum igitur ſtylo ſacro *ſemen* etiam vocari prolem humanam, ita *ſemen mulieris*. *Gen.* 3 : 15. *Seth* aliud *ſemen Gen.* 4 : 25. Aſt *ſemen Dei* huic ſuperaddere dignitatem divinam; ut per eam phraſin intelligere debeamus *ſobolem Deo ſacram*, & ad ejus gloriam *aptam:* rectam nempe, ſeu cum imagine Dei procreandam, qualis non niſi ab homine recto exſpectanda erat: quis enim daret *purum hominem ex impuro*, *Job.* 14:4. In ſtatu integritatis homo rectus cum pro-

Digitized by Google

pagatione ſpeciei poſteros ſui ſimiles, id eſt, filios rectos, Deo ad gloriam conſecratos (quales hìc *ſemen Dei* audiunt) procreaſſet, viqué primævæ benedictionis accepiſſet. Verùm, ut tale quid fieret, in uſu matrimonii ipſo à rectitudine deflectere non debebat, aut ſeſe illegitimo congreſſu commaculare; debebat id ipſum *quærere*, quod Deus quærebat; ſeu finem inſtituti Dei facere finem ſuum. Ergò non decebat eum quærere voluptatem carnalem, ſeu agere ex cupiditate; ſed ex ratione; quæ poſtulat ut ſolo fine ſancto agat, quicquid agit: atque in quæſtione ſeminis poſteritatem cupiat, atque videre amet, quæ ſit ad gloriam Dei, *ſemen* ſcilicet *ſanctum*, *Jeſ.* 6: 13. Hoc enim importat *imago Dei ad ejus ſimilitudinem*, ut voluntas humana in fine quærendo ſit conformis voluntati divinæ, idem intendens, & eandem viam ad communem finem eligens, quàm à Deo præſcriptam intelligit: hæc ſimilitudo *imaginem Dei* conſtituit; in his diſſentire eſt imaginem Dei cum amiſſione rectitudinis contaminare, ac ſe impuram radicem impuræ progeniei conſtituere, ad propagationem ſeminis Dei ineptam.

Nota etiam, cum *ſemen Dei* dicatur proles recta; jam conſtare, cur *Deus* dicatur *teſtificatus marem inter & fœminam*, & quaſi ſtipulatorem agere inter eos, ut utraque pars ſe ad officium adſtringant: nam in matrimonio & ſtudio acquirendæ prolis, *maxima Dei habenda erat ratio*, qui primos homines fœcundos fecerat, ut mediante generis humani multiplicatione multos haberet nominis ſui cultores, & in multis glorificaretur. Quare prolem ſuam non Deo conſecrare, eſt jura Dei involare, & veri Dei non habere rationem: imò, quod *Deo pepererant ab eo alienare*, *Ezech.* 16: 20. 21. quare ratio teſtificationis erat, utramque partem

tem obligare, ut ante omnia Dei gloriam in prolificatione quærant, & *fructum ventris* ſpectent non ſolùm ut *hæreditatem Jehovæ & mercedem* ejus, *Pſal.* 127: 3. ſed etiam ut chara pignora, illorum curæ commiſſa, ut Deo tanquam apta gloriæ nominis ſui inſtrumenta, aliquandò reddenda.

§. 7. Hunc *finem* operis (qui ſanctus eſt, ſeu *ſub connubio gloriam Dei in propagatione ſanctæ ſobolis quærens*) cum homo ſalvâ rectitudine ſuâ negligere non poſſet, nec ſine eo etiam invenire *ſemen Dei*: decebat hominem rectum porrò media adhibere, ad eum finem conducentia, & eam ob rationem à Deo inſtituta ſeu indicata. Inter illa eſt *lex de uno viro, indiſſolubili nexu jungendo cum unâ fæminâ uxore*: quæ lex hoc loco concipitur verum, & ſolum, & ſolidum indicaſſe medium, ad procreandum & educandum *ſemen Dei* præ primis faciens: adeò, ut ſi quis in matrimonio contrahendo, & colendo, hanc legem non obſervet, etiam *ſemen Dei quærere* non poſſit. *Semen Dei* non oriretur niſi *ex caſto conjugio*: nullumque caſtum cenſetur, præter illud, in quo duo tantum, mas & fœmina cohabitant, & carnem unam conficiunt. Omne ſemen, extra hanc legem natum *ſpurium* eſt, ex incontinentiâ & illegitimâ voluptate natum, ac cum geneſi naturam accipiens, ad irregulares motus pronam. Hinc ſequitur, ſpurium non ſanctum aut Dei gloriæ celebrandæ aptum eſſe ſemen, non tantùm quod extra conjugium, ſed etiam quod in polygamiâ ἐκ τῶν ἐπεισάκτων γυναικῶν naſcitur: cum non poſſint eſſe filii legitimi, qui ex illegitimo thoro gignuntur. Obſervemus itaque in jure divino *polygamiam* inter alias cauſas propterea illicitam eſſe; quia finem procreationis humani generis, qui eſt *ſemen Dei quærere*, haud ſartum tectum relinquit. Si

quis

quis dicat id verum eſſe, quando ex libidine quis primæ uxori plures ſuperaddat; non verò id locum habere, ſi *caſto animo multiplicationem ſeminis Dei quærat*: is teneat negare ſcripturam hoc medio debitam rationem *ſeminis Dei* haberi poſſe; quod haud difficile eſt demonſtratu: quoniam *ædificatio liberorum*, in omni pietate exercendorum, perpetuam poſtulat patris & matris curam, eamque conjunctam, non diviſam, in quantùm poſſibile eſt, ut vir uxori in omni caſu hìc præſto ſit: nec non, ut auctoritas matris in præcipiendo, debituſque matri honor nullâ re elevetur, ſed viri exemplo firmetur (quorum eſt, ut *συνοικȣ̃ντες κατὰ γνῶσιν, ὡς ἀσθενεςέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμειν τιμήν.* I *Petr.* 5: 7.) jam verò negari non poteſt in polygamiâ diſtractionem fieri amoris unicæ debiti, & coöperationis in opere precum ſimultanearum, nec non curæ ergà liberos præſtandæ. Ac diſtractionem amoris conjugalis ſecum trahere imminutionem æſtimationis & honoris, quibus auctoritas materna inter filios ſolùm corroboratur, ac ſine quibus ipſæ vileſcunt. Sanè ratio conjugii non eſt ſimpliciter ſeminis multiplicatio, ſed *ſeminis Dei* promotio, ejuſque pia educatio: adeò ut fugienda ſint, quæ huic vel minimum objiciunt obſtaculum, vel etiam objicere poſſent; non enim ſatis cavet, qui non ab eo, quod jure metuendum eſt, abſtinet.

§. 8. Ex talibus fundamentis derivat officium, quod ita proponitur; *& caveretis in ſpiritu veſtro ut contra uxorem juventutis tuæ non perfidè agat.* Reſpondet adhuc ad quæſtionem, quid illa *creatio unius in marem & fœminam ad carnem unam* velit? ut hic detur altera cauſa; quare vocula *ut* ſuppleri poteſt, *& ut caveretis.* Verbum שמר cuſtodire & obſervare, in *Niphal* נשמר

cavere

cavere ſignificat. 2 *Sam.* 20:10. *Deut.* 4:15. ut hìc loci commendetur prudentia, quæ cavet ſibi à malo, etiam anſam mali, tentationem ad malum includentem, fugiendo. Quandò ſubjungit *in ſpiritu veſtro*, reſpicit interiorem animi affectum, ſeu ſedem amoris rationalis: monens ut non attendat ad cogitationes carnis mens eorum, & ut inter cogitandum non peccet contra illam normam amoris conjugalis, nequè perverſum admittat impulſum, qui ſpiritum à vero amoris modulo tranſverſum abripiat. Ita mentem caſtam poſtulat, quæ ne quidem de pluribus adſciſcendis uxoribus cogitet: quod eſſet polygamiam committere in corde. Sic notat *ſpiritualitatem legis*, quæ non ſubſiſtit in externâ à polygamiâ abſtinentiâ, ſed etiam cum caſtitate corporis caſtitatem animi requirit.

§. 9. Malum cavendum ſub hâc deſcriptione repetit, *ut contra uxorem juventutis tuæ non perfidè agat.* Hic iterum *vau* conſecutivum nobis ob nexus rationem placet. Videmus iterum objectum peccati vitandi vocari *uxorem juventutis alicujus*: atque ad verſum anteriorem *primam* notari *conjugem* oſtendimus. Crimen fugiendum denuò appellatur *perfidia*, de quo verbò & crimine actum eſt ad verſ. 10. Quandò verbum illud hìc ponitur in tertiâ perſonâ ſingulari, manifeſtò refertur ad *ſpiritum* viri conjugati, quaſi dicat, *ne perfidè agat ſpiritus veſter*: atque ita docet Apologiſta, omnem impuritatem cordis quoque eâdem lege eſſe prohibitam. Ut appetere mulierem præter primam uxorem ſit adulterium cordis; multo magis aliam ei ſuperinducere. Nota hìc alteram rationem, ob quam polygamia tam ſtudioſè cavenda ſit: quoniam eſt *perfidia contra primam*; altera enim, contra datam fidem priori invitæ ſuperinducta (ob amoris honoriſque uxori ju-

 ventu-

Digitized by Google

ventutis debiti diſtractionem) priori eſt non ſolùm æmulationis & Zelotypiæ irritamentum, verùm etiam rixarum & injuriarum anſa: undè fit, ut prior illa virum ſæpiùs experiatur offenſum, & in controverſiis iniquum judicem. Hinc illæ lachrymæ, quæ vel altare Dei operiant. Hanc rationem allegat lex ipſa *Levit.* 18: 18. *unam ad alteram non aſſumes* לִצְרֹר *ad anguſtiâ afficiendum eam* (vel ad infeſtationem ejus) *in vitâ ejus, revelando juxta eam pudorem iſtius.* Quare & *altera conjux* צָרָה vocatur 1 *Sam.* 1: 6. quia omnes digamæ & polygamæ ſunt ἀντίζηλοι: & inſignis eſt injuria, quâ prima afficitur conjux, quandò objectum fit infeſtationis ſecundæ, & aliquandò etiam mariti, alteram ſuperinductam plùs amantis, ejuſque ſtudiis faventis. Proin, quod in ſe legitimæ conjugis *afflictionem & vexationem* continet, id primæ deſponſationis promiſſionem violando, & jùra uxoris & datam ei fidem rumpit, rumpentem duplici titulo, injuriæ ſcilicet illatæ & perfidiæ, reum facit.

Verſ. 16. *Cum oderit, dimittendo* dimittat, *dixit Jehovah Deus Iſraëlis, & ſuperinduet injuriam veſtimento ſuo, dixit Jehovah* Deus *exercituum: & caveretis in ſpiritu veſtro, & non ageretis perfidè.*

§. 1. Accingit ſe oratio ad alteram perfidiæ ſpeciem & ſpecimen, quam in crimine *divortiorum* committi notat. *Divortia* inter Judæos dato uxori libello repudii multiplicabantur: undè multarum cum contemptu expulſarum lachrymæ quoque, copioſè effuſæ, promanabant.

Digitized by Google

nabant. Legem tamen eam poteſtatem marito conceſſiſſe *Deut.* 24: 1. perpetuò ingeminabant; cujus verba ſunt: *ſi non invenerit gratiam* (uxor) *ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribite libellum repudii:* quo nempe mulieri poteſtas concedebatur, ut poſſet, ſi vellet, alteri viro nubere.

§. 2. Hiſce ſuppoſitis dicit Apologiſta ſermone ad Sacerdotes continuato, כי־שנא שלח. Hic iterum in diverſa abeunt Interpretes: dum alii vertunt, *nam odit* Deus *dimiſſionem*, ſeu τὸ *dimittere*, aut *dimittentem.* Alii verò, *Si oderit, dimittat.* Hæc diverſitas interpretationis jam olim inter Thalmudiſtas obtinuit; nam *Thalmud Bab.* tr. *Gittin* c. ult. & *Thalmud Hieroſ.* tr. *Kidduſchim* ajunt. *Quomodò Malachias dicit* כי־שנא שלח? ſuper eo diſputârunt R. Jehuda, & R. *Juchanan. R. Jehuda dixit ſenſum eſſe*, Si oderis dimitte. *R. Juchanan autem dixit ſenſum eſſe*, quia odit (*ſcilicet Deus*) dimittentem. *Verum non pugnant iſtæ ſententiæ. Hæc enim loquitur de conjuge primâ, illa de conjuge ſecundâ, juxta quod R. Eliezer dixit, quicunque dimittit uxorem ſuam primam, ſuper eo in altare fundit lacbrymas.* Utraque ſententia in eo convenit, quod *dimittere* uxorem pro objecto habeat, & ſpectetur ut opus viri, conjugem ſuam repudiantis. Verùm diſſenſus quoad *odii ſubjectum* & objectum: ſententia R. *Jehudæ* ſubjectum facit *virum* objectum verò *mulierem* dimittendam: aſt expoſitio R. *Juchanan* ſubjectum ſtatuit *Deum*, & objectum *virum dimittentem.*

Chriſtiani Interpretes eodem modo diſſentiunt, licet verſiones magis legibus grammaticis accommodent. Qui mentem *R. Juchanan* ſequuntur, alii verbum שלח in Imperativo poſitum volentes, reddunt, *Odit* (ſcilicet

 Deus)

Deus) illud *dimitte* : alii *odit τὸ dimittere* : nuper vir doctus *odit dimiſſionem*, accipiens pro nomine formæ חלק, alternante hic in voce noſtrâ patach ante ח, ut *dimiſſio* hîc ſit ipſum divortium, quaſi dicat, *nam odit divortium*. Hanc ſententiam confirmat ex accentuatione, quæ verbum שנא accentu conjunctivo jungit cum ſequenti : additque ſcopum poſtulare, ut divortium hîc damnetur : & verſionem R. Jehudæ concedere ait, quod verùm non eſt; ſupponere enim Deum divortium extra caſum adulterii *Deut*. 24: 1. permiſiſſe.

Alii tamen ſententiam R. Jehudæ utcunque ſequentes tertiam perſonam in verbo שנא retinent, & crimen mariti perfidi exprimere volunt, vertentes *cum oderit* (nempe vir uxorem ſuam primam, de quâ quæſtio eſt, *dimitte*, aut ſi id convenientius ſtatuas) *dimittendo* dimittat ille vir uxorem ſibi inviſam : nam frequens eſt, ut infinitivus ponatur cum ellipſi verbi finiti, mente ſupplendi, pro שלח ישלח. Hi viri docti in priori verſione deſiderant, quod cum Deus loquens allegetur, ille de odio ſui dixiſſet שנאתי *ego odi dimiſſionem*. Nec ſuæ ſententiæ obſtare ſcopum Prophetæ urgent, cum Hyperaſpiſtes (*Sacerdotes* alloquens) hic cenſendus ſit occupare objectionem, concedendo, quod erat in lege, ſed ſtatim addendo id, quod mentem Dei & legem Moſis exponat. Quaſi dicat; *provocatis quidem ô Sacerdotes*, *ad legem Moſis Deut*. 14: 1. *in quâ dixit Deus Iſraëlis*, *cum libello repudii eſſe dimittendam uxorem*, *quæ gratiam non invenit in oculis viri*; & fateor *cum oderit* vir uxorem, *dixiſſe quidem Deum Iſraëlis*, *ut dimittendo cum libello repudii dimittat* : *ſed ſimul id fecit cum indignatione facti*, *propter σκληροκαρδίαν veſtram*, non pronunciando eum *animum lici-*

licitum eſſe, ſed in tali caſu proſpiciendum aliis incommodis: ita tamen, ut ipſe repudians notam injuriæ illatæ gerat perpetuò. Sic legis expoſitione crimen damnat, & quidem ex ſcopo. Nec obſtare accentum dicent, quia plures anomaliæ iſtius generis in accentibus obſervantur; præſertim quando elocutio ſupponitur cum affectu emiſſa: ut verba cum paſſione indignationis ſint legenda, quæ etiam ratio breviloquii eſt, tot ellipſes includens: ſolent enim tunc ſequentia quaſi uno halitu pronunciari animo ad ſententiæ concluſionem feſtinante. Præcipit in caſu ingrato, ut obſervent; quod obſervandum nollet.

Quid ſi quis vertat? *cum oderit dimittendo*, ſeu *ad dimiſſionem*, ſimul *etiam ſuperinduet* (aut ſuperinduat) *injuriam veſtimento ſuo.* Ita accentuatio conjunctiva ſalva erit: & ellipſis præpoſitionis ſatis frequens in ſacris omnem rem expediet. Præpoſitionis ל ellipſis ante voces, terminum exprimentes, facilè probatur locis. *Gen.* 15: 6. *Pſal.* 73: 24.

Notum in lege titulum eſſe fœminæ in polygamiâ contemptìm habitæ, ut dicatur שְׂנוּאָה *exoſa:* ad quam denominationem hic alludit Propheta: & quia illud odium aliquandò excreſcebat, quamvis illegitimè, uſque ad expulſionem per libellum repudii, verbum aut vox שלח non notat ſimpliciter divortium, ſed illam *dimiſſionem*, quæ per libellum repudii fieri ſolebat.

§. 3. Expoſitio mentis Dei ſubjuncta talem dimiſſionem denunciat eſſe *injuriæ* ſeu injuſtæ tyrannidis opus; *& ſuperinduet* aut *ſuperinduat* inquit textus, *injuriam veſtimento ſuo.* Vox חמס *injuriam* dicit cuiquam vi prædominii aut prævalentis potentiæ illatam; & tyrannidem quandam ſubordinatos vexantem, ſi pars injuriam patiens vexanti ſubjecta ſit.

Sed quomodò *Tyrannis* illa, cum abuſu poteſtatis maritalis hic concipi debeat, diſſentiunt interpretes: comparatur cum veſtimento, ſed dubium ſuperiori ne, an inferiore? ſeu num dicatur veſtimentem *tegere*, an ab eo tegi? Verba textus וכסה חמס על-לבושו vertuntur à Vatablo. *Tegit iniquitatem ſub veſte ſuâ.* Verum aliud requirit verbum כסה in pihel cum præpoſitione על, quæ ſemper rem obvelatam, aut obvelandam ſignificat. Vide *Pſal.* 44: 20. 106: 17. *Job.* 21: 26. *Hab.* 2: 14. Ut procul dubio melior verſio ſit, *& operiet injuriâ veſtimentum ſuum*, quod latinè dixeris. *Et ſuperinduet injuriam veſtimento ſuo.* Prior verſio notaret prætextus, quibus tanquam velamentis crudelitatem ſuam tegere conabantur: quaſi injuria ſpectetur hîc ut occultata. Sed ſcopus exigit, ut *injuria* hîc reſpiciatur ut manifeſta, & in ſenſus incurrens, quam in dedecus ſuum per dimiſſionem cum libello repudii manifeſtat, qui uxorem repudiat. Proindè לבוש hîc notat veſtimentum interius, quod *nuditatem tegit*, *& frigus arcet. Job.* 24: 7. 10. ut *injuria* concipiatur tanquam veſtis exterior, quâ homines uti ſolent, ut ſub eâ veſtimentum interius operiant, & ab omni læſione aëris, aliarumve rerum defendant. Proin elegans eſt metaphora, publicam injuriæ & Tyrannidis oſtenſionem & oſtentationem ſignificans: ita ut per libellum repudii publicam geſtet infamiæ notam, quam à dimiſſione occultare non poſſit. Innoteſcit enim ex tali divortio, quam ſit homo moroſus, difficilis, inhumanus, ἄϛοργος, & crudelis, qui mores uxoris ferre non poteſt. Idque non aliter ac ſignum geſtaret genii ſui crudelis, quo ſe omnibus præberet deteſtandum. Habeat itaque profeſſio religionis Judaicæ ſe inſtar veſtimenti, hominis

nis nuditatem tegentis; illique decus aliquod conciliantis. Profeſſio autem repudii publica rationem veſtis exterioris circumjectæ, & religionis profeſſionem iterum obſcurantis, ut non cernatur in homine niſi ad *injuriam* pronus animus, iſtâ infamiæ notâ inviſus. Sic habes Judæum, ſub velamento injuſtitiæ & iniquitatis, dignitatem Judaiſmi occultantem, qui religionem ſuam ipſo opere celebrare cum debeat, potius turpi vitæ genere dehoneſtat. Niſi fortè metaphoram ità melius expediri cenſeas, ut per *veſtimentum* dimittentis intelligas involucrum, & integumentum prætextus alicujus, quo nuditatem & turpitudinem ſceleris contegere molitur, ne illi odium vitio vertatur. Aſt operire hunc prætextum dicitur *injuria*, quatenus ab hominum fide, & quaſi oculis aufert illud velamentum, ut nemo ad illud reſpiciat: aut, facinore injuriæ in majori luce collocato, & in omnium oculos per ſummam indignitatem ita incurrente, ampliùs iſtis credat; & ne ipſe quidem ullo artificio diſſimulare poſſit. Similis eſt metaphora *Pſal.* 109: 29. *Amiciuntur adverſarii mei ignominiâ, & operiunt ſe ut ſago, pudore ſuo:* & *Pſal.* 73: 6. *Pro torque ipſis eſt ſuperbia; amicit ſchema injuriæ ipſos*, quatenus homines in veſtibus ſpectantur, & in iis notantur ſigna qualitatum & ſtatus, in quibus ex rebus circumſtantibus cernuntur. Non poſſum præterire Viri Docti animadverſionem, quâ ex Alcorano notat, *fœminam viro* dici لباس *Lebas* (Hebr. לבוש) *veſtimentum*, & contra, *virum fœminæ*; atque ita veſtimentum viri hìc eſſet uxor, quam primùm accipiendo induerat, quamque dimiſſione factâ totam circumdederat & obtegerat *injuriâ* paſſivâ. Quocunque hanc enunciationem accipias modo, res eodem redit: ſcilicet eſſe in lege de libello repudii non approbationem

divor-

divortiorum, extra caſum adulterii commiſſorum; ſed potiùs notam duritiei cordis gentis iſtius, quæ nulla cum moveatur clementiâ erga uxores, iſtis facinoribus potiùs *injuriam* propalare & publicare dicenda eſt: ut proin factum illud à crimine non liberetur, eodem Deo mentem ſuam hoc altero enunciato hunc in modum aperiente: qui enim dicit divortia notam infamiæ ex manifeſtâ injuria uxori illatâ inurere dimittenti; ille ſatis declaravit eadem illa divortia non eſſe licita, ſed ſolummodo tolerari, ne ex gentis tyrannide uxor inviſa & exoſa nimis opprimatur.

§. 4. Cùm וכסה propter vau converſivum præteriti in futurum, aut ſenſu futuri aut ſenſu imperativo accipi debeat: quicquid eligas, res conſtabit: modò notemus in ſenſu imperativo non quærendam eſſe rei approbationem, quod ſubjecta materia non patitur; ſed formulam ſententiæ, tradentis hominem in peccatum & ignominiam: quæ dicat; incedat ille tanquam ignominiâ ornatus, & in eo ſtupore ſe ſpectandum præbeat.

§. 5. Repetit Agoniſta hic *Jehovam dixiſſe* illud: quod ſeriam rei inculcationem indicat, quâ ſe ex Deo loqui, quæ profert, indicat: quem adducit ut legis ſuæ Interpretem, ut in contextu idem ex mentis impetu bis dicat; cum eâ tamen veritate, ut in primâ allegatione *Jehovam* vocitet *Deum Iſraëlis*, in alterâ Deum *exercituum*, qui velit etiam fieri Deus gentium, ſeu adducere *exercitus gentium*; *Jeſ.* 60: 5.

§ 6. Hiſce ſubjungit „ *& caveretis* (vel ut caveatis) *in ſpiritu veſtro* (Conf. verſ. 15.) *& non ageretis* (vel ne agatis) *perfide*. Ita divortium æquo ac polygamia *perfidiæ* continet crimen; quia etiam in ſe comprehendit fœderis iſtius (quod maritum inter & uxorem fuit

fuit contractum) violationem, ſtipulationem ejus (quæ poſtulabat, ut *duo eſſent in carnem unam:* atque eum in finem vir indiſſolubili nexu adhæreſceret uxori) ſceleſtum in modum reſcindentem.

Nexus verò inter hoc monitum & antecedentem expoſitionem mentis divinæ eſt, ut hoc loco uſum iſtius libelli repudii, ſeu publicatæ dimiſſionis, quatenus publicationem violenti hominis ingenii includit, probè teneant pii: ſcilicet tendere ad eorum prudentiam, quâ talis hominis ſeveritate agnitâ & perſpectâ diſcant cautiùs agere, & illam perfidiam prudentiùs evitare: teneantque finem publicatæ injuriæ (per libellum repudii lege exactum) non eſſe diſpenſationem facere à lege conjugali paradiſiacâ, ſed hominem ita notatum aliis objicere in exemplum infamiæ fugiendæ.

VIS RATIOCINII DEMONSTRATA.

§. 1. Controverſiæ (quam piorum Hyperaſpiſtes ventilat) ſtatus erat; an non oporteat aſſenſum præbere conſilio & dictatis Doctorum in populo: ſeque iis adjungere, ut commune gentis bonum concordiâ (quâ ſolâ res parvæ creſcunt, eâdem verò ſolutâ res magnæ dilabuntur) ulterius promoveant. Cui tentationi reſpondent, non eſſe quærendam utilitatem ex re turpi, quæ

in ſe perfidiam continet, fœdus patrum polluentem: nec ſtandum in rebus fidei eorum auctoritate, qui ſuâ doctrinâ ſe præſtant perfidiæ & fœdifragii auctores: quales in ſuis conſiliis & molitionibus non poſſunt eſſe felices, aut Deum habere actiones ſuas fortunantem; ſed contra eum neceſſariò experirentur ſpem eorum eludentem, ſcopo eos exuentem, & rempublicam huic perfidiæ innitentem juſtâ ſuâ vindictâ ſubvertentem.

§. 2. Juſtificant pii per apologiam Hyperaſpiſtis *unionem ſuam*, quam fecerant contra Sacerdotes. 1. Ex *fundamento unionis*, in unitate patris; qui erat *pater* & origo gentis, exemplar fidei & obedientiæ factus, cui Deus teſtimonium dedit, quod ei in iſta viâ placuerit; quando enim promiſſionem de dandâ ei & ſemini ejus terrâ (ut eſſet ſeminarium eccleſiæ) illi confirmavit, ſuper eam fœdus pangendo, eamque ſigillo circumciſionis obſignando, ei omnium benedictionum ſalutarium ſpem fecit. Hunc ſolum ſe agnoſcere ut fidei & obedientiæ exemplar primum teſtantur, ſeſeque ad illum ſequendum unitos aſſeverant. Hæc autem unitas & unio nullo modo in gratiam deviantium doctorum erat diſſolvenda & relinquenda. Adde eandem unionem fuiſſe fundatam *in unitate Dei*, qui ſolus *illos creaverat in populum*; ac proin ſolus Rex in Theocratiâ populi fuit, ſolus audiendus, ſolus credendus; ad quæ officia ſeſe adſtrinxerant; adeòque non eſſe unionem illam diſſolvendam ad conjunctionem cum *perfidis* ingrediendam, palam eſt; ne fundatorem gentis & reipublicæ prætereant, eundemque ſibi offenſum reddant. 2. Ex *dignitate fœderis patrum* pergunt argumentari, cui ut fundamento nitebatur tota Theocratia & reipublicæ felicitas: quod fœdus erat fæderis cum Abrahamo initi expoſitio, ampliatio, & nova confirmatio;

quod-

Digitized by Google

quodque non ſine perfidiâ in Deum polluere poterant: quare commercium cum perfidis fœderis iſtius pollutoribus non erat ingrediendum, ne ſe communicatione cum iſtorum peccato etiam polluant, & reatum iſtum horrendum quoque cum iis contrahant. 3. Ex *inutilitate conjunctionis cum perfidis*, undè ipſis nulla ſalus, nec reipublicæ ullâ reſtitutio erat ſperanda. Erant illi, cum in modum contra *perfidos* juncti ſemen ſanctum, quod reipublicæ fulcrum cenſendum erat; niſi enim Deus ſibi has conſervaſſet reliquias, Sodomæ inſtar jam antea periiſſet reſpublica. Quod ſi etiam illi ſe jungerent cum polluentibus fœdus Dei, nil exſpectandum eſſet, præter omnem maledictionem: nihil enim valent conſilia, vires, & conjurationes adverſus Deum.

§. 3. Verum cum tota iſta ratiocinatio pro hypotheſi agnoſcat, *perfidos* eſſe iſtarum partium homines una cum doctoribus, eorum ducibus, calumnia videri poſſet iſta accuſatio, niſi probetur ſolidè; cum talibus enim ſe jungere eſt Deo bellum indicere, & cum hoſtibus regni ſui ſtare contra eum. Quare probantis aſſumit nunc porrò partes Sacerdotum Antagoniſta; atque incipit ab exemplo *perfidiæ* ergâ Deum gravioris, & graviori ſupplicio puniendæ: illudque in eo collocat; quod *Juda duxerit filiam Dei peregrini*, quodque illud nexum haberet cum *profanatione Sancti Jehovæ, quod ille diligebat.* 1. *Theocratiam populi Judaici* ita *jungere cum gente Idololatricâ*, ut ab eâ ſperes tranquillitatem & fortunam; utquè ſine illo fœdere de ſalute populi deſperes, eſt reverà *perfidia in Deum*: quia eſt teſtimonium animi, Deum non ut oportet quærentis: promiſſiones Dei, atque ita etiam Deo, in fœdere de viis ſuis teſtificanti, non credentis: nec non à defen-

ſione Dei peregrini (cui gens confœderata omnem fortunæ gloriam adſcribit) plus quam à Jehovâ Deo populi & terræ exſpectantis. Sacra ſcriptura ſemper *incredulitatem*, in populo prædominantem, quæ in potenti Dei defenſione non acquieſcebat, *fœderis Dei pollutionem & violationem* interpretatur, quâ olim à patribus ad graviorum ſuppliciorum inflictiones provocatus eſt Deus: prout etiam incredulis intulit, *Pſal.* 106: 24. . 27. uti fides in Deum eſt primaria fœderis ſui ſtipulatio; ita diffidentia in eum poſt datam adſtipulationem eſt pudenda fœderis ejuſdem tranſgreſſio, ac proindè mera *perfidia*, fœdus patrum polluens. 2. Gravior eſt *perfidia incredulitatis*, quandò ex diffidentiâ auxilii divini ſe à Deo avertit, & carnem eligit in brachium, *Jer.* 17: 5. 6. cum *mendacium ſibi* facit *confugium*, ac contra mortem & flagellum Dei *ſub falſitate*, ſeu fallaci præſidio, *latibulum quærit*, *Jeſ.* 28: 15. Præſertim, quandò ſub illâ deſperatione de auxilio Dei illi nihil cogitant de reformatione doctrinæ & morum: deque cauſis, cur Deus eos deſerat, nil quicquam ſunt ſolliciti: ſed contra adverſus fratres, eos de officio ſuo monentes, inſurgunt, aut ſaltem cum contemptu eoſdem rejiciunt. 3. Majus crimen eſt *ſibi non cavere à gente idololatricâ*, atque ſemet tam gravi exponere periculo; quid enim ab iſtiuſmodi hominibus exſpectes, quam ut aliquandò aut illecebris, aut minis populi apoſtaſiam tentare moliantur: aut quomodò gentes non in ſuâ opinione de majore Dei ſui alieni præ Deo Iſraëlis potentiâ confirmantur, dum Judæos vident ad ſe confugientes; & ſub eorum umbrâ ac q. Dei ſui defenſione ſecuritatem quærentes, cui omnem ſuam gloriam adſcribunt: nam Principi, alieni Dei ſervo, poteſtatem concedere in populum Dei, eamque cum eo divi-

dividere, ut ſub ejus defenſione ita refugium habeas; quid aliud eſt, quam cum falſo numine communicare? & Deum verum hactenus relinquere; imò ſeſe adverſus flagellum ejus communire? 4. Hoc ſi fiat, *quandò ſigna adventus Chriſti aaſunt*, & *argumenta adventus ejus* (etiamſi adhuc lateat) *jam fuerant publicata*; majus adhùc crimen eſt; erat enim obicem ponere ejus ingreſſui, quantum in illis erat; & ad minimum ſeſe eo in ſtatu ponere, quo ejus apparitionem ut rem intempeſtivam reſpiciant, ad quam horrebant, & undè ſibi graviora mala ominabantur. Quæ ſola animi diſpoſitio conjuncta cum falſâ de regno Chriſti perceptione, illis anſa foret profanationem Sancti Jehovæ perficiendi, illudque ad excidium uſque perſequendi: quæ *perfidia*, cum foret in fine ſacrilegii cauſa, rectè notatur ut *abominanda*. Neque hunc merum credentium vanum eſſe conſtat; quia ex ſcripturâ propheticâ edocti erant, (*Jeſ.* 28: 15. 16) fore ut *hoc fœdus* ad immunitatem à flagello Dei *cum morte & inferno*, ſeu populo regni tenebrarum, qui inſignem partem conſtituebat regni diaboli, *pangant*, *receptum mendacii & latibulum ſub falſitate* ſibi quærentes: idque eo tempore, quo Meſſias ſtabat in procinctu. Atque tunc fore, ut Deus non ſolum lapidem angularem ponat in Sione, ut fundamentum ſanctuarii ſpiritualis, dudum cum regno Chriſti promiſſi. Sed propter abominandum illud fœdus, eundem hunc lapidem anguli architectis objiciat *in lapidem explorationis* (quem architecti illi reprobarent *Pſal.* 118: 22.) quippe explorandi, an cum omiſſione receptus mendacii ad eum confugerent, de quo dictum *credens* (nempe in ipſum) *non feſtinabit?* Num verò fœderi cum morte implicati, eum reſpuerent, & totum ſanctuarii opus, unà

cum lapide ejus angulari profanarent? Cumque eam explorationem agnoſcebant pii, ut jam præparatam, & cum ſuo apparatu præſentem, atque Sacerdotes cum maximâ populi parte ita filiæ Dei peregrini ex fœdere videbant adhæreſcentes & junctos, ut non niſi cum horrore rumores de adventu Chriſti audirent, meritò metuebant illos *explorationem* haud effugiendam ſuſtentaturos: præſertim cum hæc exploratio ordinata ſit, ut multorum cogitationes in apertum protrahantur; atque pateſiat, quàm perverſè de regno Chriſti cogitent, quàm vilia de ejus perſonâ ſibi dogmata formârint, quàmque temerè regnum Chriſti imperiis mundanis gentium opponant: quæ falſa principia, ſub exploratione manifeſtata, non poterant non in architectis, iſtius præjudiciis occupatis, efficere, ut illi hunc *lapidem anguli rejiciant*, atque ita Sanctum & Sanctuarium Dei profanent. Undè ſequitur hos jure merito eorum, ut *perfidorum* hominum, quos *perfidia* in miſeros Diaboli laqueos ad graviora ſcelera pertraheret, fugere conſortium: hoc axiomate freti, quod nemini addictum ſit *ſe non feſtinaturum*, niſi credenti.

5. Adde & aliud argumentum, *à ſancto judicii divini metu* deſumptum, quod fœderis iſtius conſortibus (præcinente Jeſaiæ vaticinio) imminere prævidebant: ſcilicet Deum *exciſurum quemcunque virum*, qui coöperatus fuerit, ad perficiendam abominandam illam profanationem *Sancti Dei*, *tantoperè ab eo dilecti*: fore enim, ut qui ex fœdere illo matrimoniali cum filiâ Dei peregrini lapidem illum Sanctuarii reſpuant, in judicium Excidii divini pro magnitudine contracti reatus miſerè incidant: quoniam prædixerat Deus, ſe *illud fœdus* (quod pro fœdere cum morte & inferno habet) *obliteraturum*, *grandine receptum mendacii everſurum*,

rum, *latibulum aquis inundaturum*, *flagellum ut per eos tranſeat in illos immiſſurum*, *atque ut eos conculcet mandaturum.* Hunc fore finem ſacrilegè profanantium Sanctum Dei adamatum credentes tenuiſſe ex *Jeſ.* 28: 17-21, ſupponere licet. Quare meritò illos notant ut *perfidos*, & ad judicium illud vias ſuas maturantes: ac proindè dum illi ad conſortium vocant fideles, eos eſſe rejiciendos: quippe quorum factio non ſolum erat contra Deum & Chriſtum conjuratio; ſed etiam iræ Dei, ad excidium talium exardentis, proterva provocatio.

§. 4. Acceſſum ad ipſos, qui pios ad concordiam, & conjunctionem invitabant, jure à ſe reſpui, tanquam conjunctionem cum *perfidis*, probant per ſuum Hyperaſpiſtem ampliùs ex violatâ *lege fœderis matrimonialis*; cui demonſtrationi ſubſternunt, matrimonium rem ſanctam eſſe, à Deo *ad quærendum ſemen Dei* inſtitutam, cum radix ſit multiplicationis populi Dei. Eam ob cauſam Deum petiiſſe, ut ſub ſancto *fœdere* contrahantur, in cujus pactione ipſe velit non ſolùm eſſe teſtis, ſed & conditionum ſtipulator, ab utraque parte legum ſancti matrimonii adſtipulationem exigens. Quo fundamento poſito, ſpontè ſequitur ſtipulationes fœderis matrimonialis poſt datam adſtipulationem violari non poſſe ſine perfidiâ, datam fidem turpiter frangente: imò fidem, Deo ſtipulanti & inter conjuges teſtificanti factam, ſceleſto auſu rumpente: ut proin res levis non ſit fœdifragium, quod & contra Deum, & contra proximè ſibi junctam conjugem committitur. Quâ hypotheſi aſſertâ pergit ad exempla *perfidiæ*, ſtatum populi œconomicum miſerè turbantia, & Dei faciem ab acceptatione ſacrificiorum populi planè avertentia, ne ad ſanationem vacillantis reipublicæ ſe convertat. Quibus con-

Digitized by Google

concipi vult effectum fuiſſe, ut *lachrymæ conjugum*, per illatas *injurias* expreſſæ, unà cum earum ſuſpiriis, ſeſe interpoſuerint inter Deum & ſacrificia, ac Deum violati fœderis vindicem ad vindictam provocaverint, nullis placamentis pecuinis, niſi malum corrigant, avertendam.

§. 5. Horrendæ iſtius *perfidiæ conjugalis crimen* per polygamiam & dimiſſionem, ac utriuſque per leges conceſſionem committi, defendit Hyperaſpiſtes fidelium ſtrenuè; *alteram* enim *conjugem primæ ſuperinducere*, quod in polygamià fit, primariam *fœderis matrimonialis legem* (quam Deus inter ſtipulationes retulit) *nefarium in modum violare:* ac *dimiſſionem* uxoris ejuſdem fœderis legem perfidè ſolvere Sacerdotibus jure objicit.

§. 6. Verùm ut convenienter juri naturæ ſtatuat bonæ cauſſæ defenſor, utque cum in hoc ratiocinio cum ratione conſentire videamus, animus eſt ejus rei fundamenta ex jure naturæ confirmare; & ex iis porrò deducere utrumque factum, quod inſtituta Judaica permittebant, illicitum eſſe. Fundamentum eſt, quod matrimonia ſint contractus fœderales, quibus uxor in viri *ſociam* à viro domum deducitur. 1. Nil notiùs eſt, quam ad matrimonia incunda mutuum requiri conſenſum, in quibus ſit libera utrinque perſonæ & conditionis electio: invitam qui ducit, raptum committit, & ſtuprum. Extra controverſiam eſt marem & fœminam antecedenter ad matrimonium æquali gaudere libertate & ſtipulandi jure, ut non ſolum libera ſit electio perſonæ penes virum; ſed & facultas rejiciendi penes fœminam, ad conjungium à viro invitatam, ſi modò aut perſona aut conditio non placeat: jam fœdus nil aliud eſt quam mutua perſonarunt & conditionum cum amplexu electio. Quare etiam inter gentes ſponſalia, ut fidei datæ pigno-

ra

ra introducta ſunt. Nec fœmina, ob ſequioris ſexus conditionem, à jure ſtipulandi excludi poteſt; quoniam cum viro in eo tertio convenit, quod humanæ naturæ & rationis æquè ſit particeps, ac ſexus virilis: & relatè ad quemcunque alium extra parentes ſit ſui juris: cum magis & minus non varient ſpeciem, ac ſequior ſexus ejus facultati in ſtatu libertatis nihil detrahat: ſicuti ſapienti in tranſactionibus nil juris accedit præ homine minùs exercitato, aut diſciplinarum rudi. Jam ex ſtatu libertatis non fit tranſitus in ſtatum mutuæ obligationis, niſi per mutuum congredientium conſenſum, ſeu quod idem eſt, per confœderationem.

11. Hoc fœdus cum tendat ad viri & fæminæ conjunctionem, *ob ſobolis procreationem* (ſeu ut noſter loquitur *ad ſemen Dei quærendum*) deſideratam, quod ſine corporum conjunctione obtineri haud poteſt; in ſtipulatione non amplius requiritur, quam ut utraque pars tantum de libertate ſuâ cedat, quantum iſte finis exigit; & duo contrahentes obligationem ſubeant altrinſecus pro viribus conferendi, quæ ad communium liberorum acquiſitionem eorundemque bonam educationem conducere poſſunt. Quare in fœdere illo contractus eſt de ſocietate ad familiam conſtituendam erigendâ, quâ fœmina tranſit ad virum cum obligatione & poteſtate concurrendi ad commune communis familiæ bonum. Hinc eleganter à noſtro proponitur ut *viri Socia*, ex fædere conſors dominii cum viro facta, & ad illud conſortium à viro adſcita. *Socia* inquam, *non mancipium* viri, à parentibus in auxilium, non ad ſervitutem tradita, ut ad progeniei multiplicationem, ejuſdemque piam ac benè moratam educationem ubi ejus vices ſunt cum marito concurrat & amicè conſpiret. *Uxor à viro in manu & tutelâ, non in ſervitio habetur,* ait

ait *Valer.* de Oppiâ apud *Livium:* unde infert, quo plus poteſtis, eo moderatiùs imperio debetis uti. Certum eſt conſortium illud poteſtatis (ut maternâ auctoritate liberos, herili ſervos ſeu ulteriorem familiam gubernet uxor) non evertere, ſed ædificare familiam, ita ut nulla ratio uxorem ab eâ curâ arceat; imò benè eſſe familiæ eam poſtulet, quâ plus promoveatur; modò *viro* relinquatur prioritas: ut uxor non putetur ἰσότιμος, ſeu pari cum viro poteſtate imperare, quoniam paritas poteſtatis lites & pugnas excitat: ſed quod ſufficit, *viro* ὁμότιμος, ſeu conſors dominii (ſub viri veluti umbone in familiam exercendi) cenſeatur.

Obſervatio Ariſtotelis, quæ ex lumine naturæ profluxit, hùc facit 1 *Polit.* IX. ὁ μὲν δῦλος ὅλως ὐκ ἔχει τὸ βȣλευτικόν, τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μὲν, ἀλλ᾽ ἄκυρον. *Servus in conſultationibus non habet arbitrium: uxor verò habet quidem, ſed non abſolutum.* Ita diſtinctio manere debet inter uxorem & ſervum, ut illa ſit conſors conſiliorum mariti, cum poteſtate arbitrandi, licet ſub viro. Ergò ea concipi debet *viri ſocia*, cum matrimonio etiam ad herilem poteſtatem adſcita & liberè aſſumpta, quâ ei competit auctoritas etiam præcipiendi, hinc in liberos ut mater familias, illinc in familiam ut hera. Neque ullo jure vir à fœminâ in fœderis matrimonialis contractione ſtipulari poteſt, ut ſe herili illâ poteſtate plus quam ſubordinatio ſub viro, aut ratio familiæ conſtituendæ & regendæ exigit, exuat. Nec illa viro, tale quid ſtipulanti, concedere aut adſtipulari poteſt. Quia non ſolum iniqua & ratione deſtituta eſt talis ſtipulatio, ſed talem adſtipulationem prohibet *a.*) *Amor libertatis*, cuique homini naturaliter inſitus, qui concedere non poteſt, ut quis plus cedat de libertate & poteſtate ſuâ naturali, quam ratio dictat, & cedendum

dum eſſe ad finem conſequendum docet. Nemo mentis compos tantum recedit ab amore ſui: aut libertatem, quam jure conſervare poteſt, niſi cum animâ ſibi eripere patitur: cum id fieri non poſſit, quin ſe tyrannidi exponat. Nemo, qui liber eſſe poteſt, ratione utens, ſe præter cauſam in ſervitutem tradit, ubi ei optionis relicta erat poteſtas. β.) Neque requiſitus ad connubia parentum conſenſus admittere poteſt, ut fœdus ineatur,* in quo non ſit ſtipulatio de filiæ, viro tradendæ, admiſſione ad conſortium imperii œconomici. Fœdus conjugale poſtulat, ut dilecta filia ex poteſtate parentum tranſeat in poteſtatem viri. Quo in caſu non poteſt non intercedere ϛοργὴ parentum, ut cum traditione chariſſimi pignoris juſtâ ſtipulatione à futuro marito exigat dignam uxoris receptionem, quâ eam *tenerrimo cum amore* (ϛοργὴν parentum, à quibus diſcedit, compenſante) poſſideat: ei *debito cum honore*, conſortium imperii parentalis in liberos, herilis in familiam, concedente, occurat: eamque *neceſſariâ cum defenſione* hanc contra omnes injurias, quantum vires permittunt, obtegente, foveat. Quod ſi vel ipſa filia ex inconſiderantia quâdam plus præter neceſſitatem & rationem futuro marito concedere vellet, parentum eſſet intercedere, idque pro poteſtate in liberos, & dictamine affectus naturalis inhibere, ne illa in pejorem tranſeat conditionem, & ex liberâ ſerva evadat. Hæc parentum obligatio eſt, ex naturali in liberos affectu profluens, atque adeo indiſpenſabilis, adeò ut ejus neglectus eos faceret ἀϛοργους. γ.) Nec ipſa fœmina legitimè illud conſortium dominii ſocialis poſſe abrenunciare aut in ſtipulatione faciundâ negligere propter ſpem prolis putanda eſt: quia nec ei licitum eſt ϛοργὴν naturaliter inſitam, & erga prolem ſe tendentem, exuere,

Digitized by Google

ad cujus obſequium liberorum utilitatem quærere obligata eſt. Quare tenetur etiam, quandò tranſigit, eam libertatem ſartam tectam ſervare, quæ ad eam obligationem ſolvendam requiritur: uti ſanè ſine auctoritate præcipiendi reſervatâ, & matrifamilias naturaliter competente eam ſolvere haud poteſt. Ex quibus omnibus conficio in fœdere ſociali ad matrimonium neceſſariam eſſe conditionem, ſive expreſſam, ſive tacitam & ſubintelligendam, ut cum matrimonii conſummatione fiat herilis poteſtatis cum uxore legitima communicatio, ejuſque ad conſortium gubernationis adoptio, quâ in quantum cum poteſtate maritali & utilitate familiæ conſiſtere poteſt, illa fiat *viri ſocia*: quod erat demonſtrandum.

III. Nec minùs æquum eſt, quod exigat *Dei* etiam *in iſto fœdere habendam eſſe rationem*; cum & ipſa ratio dictet Deum hìc quam maximè intercedere: ille enim, qui perpetuâ ſuâ providentiâ utrumque ſexum quaſi quotidiè reproducendo conſervat, eſt diſcriminis ſexus utriuſque auctor: adeò ut longè aliis generationis organis inſtructa ſit fœmina ac vir, quæ tamen ſibi mutuo ita reſpondent, ut mens, mundi gubernatrix, intercedat neceſſe ſit, quæ ſe rationem diſcriminis eo modo propter generis humani conſervationem propagationem & alimentationem initialem ordinaſſe, ipſo opere denunciet. Proin *Deus eſt*, qui prolis procreationem volens, ad hoc utrumque ſexum reproducit, utrique inſtinctum ad prolem quærendam indidit, fœcunditatem huic negat, alteri largitur, & ita uſum caſti conjugii concedit: à quo cum omnis fortuna & ſucceſſus matrimonii dependeat, quid evidentiùs eſt, quam eum quoque ut benevolum mundi rectorem rogandum eſſe ad felicem cum conjugatis concurſum. Dictabat hoc ipſum gentibus lumen naturæ, quæ multimodis ſacris

cris Deos deaſque ſibi conciliabant, memores rem ſacram eſſe matrimonium, in omnibus opis divinæ indigum. Hinc ante nuptiale convivium ſacrificia fiebant, & ferè ad ſingulas actiones; *Veneri* enim ad fœcunditatem impetrandam porcam immolabant, *Junoni* Cinxiæ munera cum cingulo, *Dianæ* Comæ primitias, deabus Parcis etiam ſua: nihil ſolenniùs & ſanctiùs *confarreatione* habebant, quâ *Penates* ſibi faventes reddi putabant. *Plinius* l. 18. c. 2. *In ſacris nihil religioſiùs confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant.* *Dionyſius* in Romulo ſcribit *ſacras nuptias farreacea eſſe dicta, quod eodem farre conjuges veſcerentur, quo etiam victimas reſpergerent.* *Ulpianus* tit. IX. Inſt. *Farre convenitur in manum certis verbis, & teſtibus decem præſentibus, & ſolenni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.*

Nec ratio abhorret à titulo *ſeminis Dei*, ut ſub eo nomine ſemen quærant conjugati; cum enim homo hominem generet, id eſt, *ſibi ſimilem*, tenere oportet eandem eſſe prolis, quam accipimus, à Deo dependentiam ac noſtram: ac proin idem jus Dei agnoſcendum eſſe in prolem noſtram ac in noſmet ipſos: nec non eandem eſſe prolis noſtræ obligationem ad Deum colendum, cum eâ quæ nobis incumbit: utrumque enim ex communi noſtrâ à Deo dependentiâ profluit. Cum itaque proles noſtra Dei ſit creatura, Deo obligata ad cultum; & juris divini ut Dei peculium; concipi debet à Deo nobis conceſſa & commendata, ut non ſolùm corporis ſed & mentis ejus curam geramus, ac piâ educatione utiles Deo ſervos ſiſtere conemur. Quid quæſo in illis eſt, quod ratio non dictet? undè ſequitur finem matrimonii eſſe non ſolùm prolem quærere: ſed prolem à Deo quærere, cum curâ piæ educationis,

Digitized by Google

ut aliquandò utilis Deo ſervus ſit; quod noſter vocat *ſemen Dei quærere.*

Eam ob cauſam gentes quoque decimo à natu die, quo infantibus nomina imponebantur, eos quaſi Deo conſecrabant ſub ſacrificiis. Hinc *Polluce* teſte, *præclara eo die fiebant ſacrificia, ac deinde amici, qui eo convenerant, convivio excipiebantur.* Credebant enim infantes noſtros non ſolis parentibus, ſed & Deo originem debere, quibus Jupiter dicebatur Πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε, ut cecinit *Heſiodus* O. & D. pag. 59. Sicuti & *Sophocles* Trachin. verſ. 229.

Ὁ τῶν ἁπάντων ζεὺς Πατὴρ. & *Æſchylus*
Ὦ ζεῦ Πάτερ παντελὲς πάντων.

Nec alia fuit mens *Arati*, in loco ex Phænom. apud *Clem. Alex.* Strom. v. citato.

Ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν ὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄῤῥητον. μεϛαὶ δὲ διὸς πᾶσαι μεν ἀγυαὶ
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεϛὴ δὲ θάλασσα.
Καὶ λιμένες πάντη δὲ διὸς κεχρήμετα πάντες.
Τῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν, ὁ δὲ ἤπιος ἀνθρωποίσιν,
Δέξια σημαινει.

§. 7. Videamus nunc porrò, quomodò ex iſtis principiis ſequatur *polygamiam* de jure naturæ eſſe illicitam. Quod ut evidentiùs conſtet, res examinanda eſt partim ratione uxoris, partim ratione prolis.

I. Si uxoris diſcutiamus jura, controverſia eò redit: *num jus præfecturæ & poteſtatis maritalis viro adeò illimitatum in uxorem cedat arbitrium, ut invitâ uxore primâ ei liceat ſuperinducere alteram, aut plures alias?*

Nos

Digitized by Google

Nos graviſſimas ob cauſas matrimonium tantum viro attuliſſe jus negamus *α.*) Quia omnis poteſtas à Tyrannide debet eſſe libera: ſive ſpectemus poteſtatem politicam, ſive œconomicam: & cum utraque ex patriâ poteſtate ortum ducat, in alios collatâ; non plus juris habet ulla poteſtas in ſubordinatos & ſubjectos, quàm parentes habent in liberos. Non ergò pro arbitrio, ſed pro jure concesso & tranſlato vir cum uxore ſibi à parentibus traditâ agere legitimè poteſt. Quicquid ſibi ultra id aſſumit præter jus & fas eſt. Aſt ne parentibus quidem competit jus liberos extra rationem caſtigationis opprimendi, nec filias ſuas, ut vidimus, cum privatione conſortii herilis locandi. Proin, quæ ratio jure fidem dare coëgit futurum maritum, illa quoque poteſtatem maritalem ita limitat & circumſcribit, ut tyrannidem proſcribat. *Jus uxoris* eſt reſtipulatio fœderalis, ut jure à viro exigat, quod illi à viro promiſſum, & tanquàm conditio in ſtipulatione propoſita conceſſum fuit: nec ſubordinatio uxoris ſub poteſtate maritali ſe extendit ad eam deteriori conditioni ſubjiciendam, præ illâ, quàm primùm ingreſſa eſt: & prioritas viro conceſſa tantùm tendebat ad ſequioris ſexus defectum ſupplendum: hinc minor in ſexu fœminino prudentia obligat eam ut mariti conſilia audiat & ſequtur: & minoritas virium in uxore maritum obligat, ut ejus defenſionem ab omni injuriâ in ſe alacriter ſuſcipiat: adeò ut cum jure præfecturæ maritus potiùs in ſe obligationem ſuſceperit omnem injuriam ab eâ arcendi; ac conſortium herilis poteſtatis, quam ſub ejus umbone exercet, confirmandi: ad quam obligationem præſtandam altera conjux eum reddit ineptum; propter juris ſtipulati diviſionem inter plures; quæ ſæpè efficit, ut vir non ſit fidem datam præſtando. *β.*) Superinductio

ctio ſecundæ conjugis amorem conjugalem priori debitam infringit: qui tenerrimus, mutuus & indiviſibilis eſſe debet, ac talis, qualem homo in proprium corpus exercet; imò quæ στοργὴν parentum, cujus jucundis fructibus in gratiam viri ſe privaverat *ſocia*, affatim compenſet. Talem *amorem haud diviſum nec dividendum* poſtulat amica inter virum & uxorem conſpiratio ad commune gubernationis opus neceſſaria. Talem poſtulat caſta copulationis carnalis ratio, nihil ex libidine, omnia ex ratione agens, & proximam ſibi conjugem ut ſe ipſum amare præcipiens. Lex talionis & æquitatis poſtulat, ut qui amorem caſtum & conjugalem indiviſum à ſociâ ſuâ exigit, eundem etiam uxori ſuæ præſtet, eumque tenerrimum: quod per inductionem ſecundæ non poterit; ut tantum poteſtatis habeat uxor prolem cupiens in corpus viri, quàm ille obtendit in corpus fœminæ: ut æquè ad communia officia *ſociæ* præſto ſit, ac illa marito: ſive ad communia ſacra, ſive ad communem curam œconomicam, & quidem amico & blando occurſu. Adde talem amorem poſtulare *inſtinctum naturæ*, à manu Dei impreſſum; quæ ſicuti στοργὴν parentibus, ita conjugatis amorem implantavit: quo in ſe invicem feruntur tanquam in partem ſui. Hoc exprimitur apud *Horatium* L. I. Ode. 3. ubi cecinit Poëta. *Serves animæ dimidium meæ.* γ.) *Honor* uxori in conſortio gubernationis œconomicæ debitus, nullâ re lædi debet, ſed propter neceſſariam in communi dominio auctoritatem omni modo conſervari, ne ejus exiſtimationi quicquam decedat: oportet *ſocia electa* viro ſit ὁμότιμος, & in proximo à viro gradu. Aſt ille honor debitus, & adſtipulatione ei addictus, haud parum imminuitur per introductionem ſecundæ, dum herilis ejus poteſtas in familiam infringitur. δ.)

De-

Defenſio mariti primæ fæminæ debita inter alia continet, ut in tranquillâ viri poſſeſſione non turbetur, ſed placidâ cum eo cohabitatione fruatur: viri enim eſt, injuriam omnem ab eâ arcere. Aſt ſecunda ſubintroductæ primæ eſt ad lites, ad controverſiam de viro, & ad vexationem. Saltem illa huic exponitur periculo, quod ipſum debita defenſio avertere debebat, eam in tuto & ſecuro ab iſtis caſibus metuendis ſtatu conſervando, ne mali iſtius metus eam vexet. Sanè litigiorum & rixarum hîc ampla inter uxores ſeges & materia objicitur, quæ vel Herculem fatigare ac moleſtâ cruce torquere valeat. Audiamus Euripidem in Andromacha

Οὐδέποτ' ἂν δίδυμα
Λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρυς,
Ἔριν μὲν οἰκῶν,
Δυσμενεῖς τε λύπας.
Τὴν μίαν μοι ϛεργέτω πόσοις γάμοις
Ἀκοινώνητον εὐνὰν ἀνδρός.

Nunquam gemina de matre genus;
Nunquam duplices laudabo thoros
Odii & diræ ſemina rixæ.
Unam debet non ambigui
Vir participem noſſe cubilis.

Addamus & alium ejuſdem Poëtæ locum.

Οὐδὲ γὰρ καλὸν
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν ἡνίας ἔχειν.
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν κύπριν
Στέργουσιν, ὅς τις μὴ κακῶ οἰκεῖν θέλοι.

Non enim honeſtum eſt unum virum habenas tenere duarum mulierum; Sed intuentes in unam lecti ſociam venerem erunt contenti, quicunque non velit male habitare.

Quantas in familiis turbas concitaverit aliquando *polygamia*, zelotypiæ & æmulationum fæcunda mater, partim ex ſacris, partim ex profanis conſtat. Ex ſacris diſcere licet, ut *Abraham*, licet ſibi ab uxore oblatam *Hagarem*, poſtea adverſus dominam ſuam ſuperbientem, unà cum filio ſuo, in Iſaäcum inſultante, ex domo ſuâ expellere coactus fuerit. Quas rixas plurium uxorum æmulatio in familiâ *Jacobi* pepererit, quæque ſtudia partium, longum eſſet enarrare. Odia *Hannam* inter & *Peninnam*, utque prior à poſterioris irritationibus miſerè vexata fuerit, ex 1 *Sam.* 1: 6. 7. tenemus. Nec minora profanis ſcriptoribus relicta ſunt malorum fructuum exempla. Lege *Ameſtris*, quæ *Xerxis* fuit uxor, furorem, quem contra *Maſiſtam Artauntæ* matrem concepit, quam ſibi rivalem & in *Xerxis* thorum ſibi ſuperinductam ſuſpicabatur, apud *Herod.* L. IX. Lege *Olympiadis Alexandri M.* matris in maritum incenſam iracundiam, quod *Cleopatram* in ſocietatem thori ſibi junxerat, apud *Juſtin.* L. 9. Nonnunquam ob pellicatus ſuſpicionem zelotypia muliebris eas ad cædes & homicidia pertraxit; nota homicidia Polyxenæ in Helenam, teſte *Pauſaniâ* L. 3. Lemniarum mulierum in maritos auctore *Appol.* 1. Arg. Dirces in Antiopen, apud *Propert.* L. 3. Eleg. 14. Cleopatræ in Nicanorem narrante *Appiano* in Syr. Clytemneſtræ in Agamemnonem canente illam tragædiam *Euripide.* Mulierum *Zelotypia* inſtinctus naturalis eſt, quo ſibi ſoli maritum cupiunt; hic bonas uxores mœrore excruciat, pravas vero aut ſui non continen-

nentes ad leoninum ſurorem inſtigat, ſi rivalis introducatur. *Bona* procul dubio non eſt affligenda, aut zelotypiæ verminationibus extorquenda: quippe quæ ita præter meritum mœrore conſumpta mortem præ vitâ optaret: vel ſaltem pravis exponeretur tentationibus, quas à zelotypiæ ſuggeſtionibus habet metuendas; ut fortè ſequioris ſexus imbecillitate ab amore & honore, marito debitis recedens, etiam in graviora peccata incidat: ita enim ſuâ culpâ ex bonâ uxore faciet maritus malam; vel ſaltem piæ graviorem peccandi anſam objiciet; cum ut in officio ſuo pergeret, eam reciproco ac indiviſo amore animare, ſeſeque in pietate ducem præſtare debitor ſit. Si *prava ſit uxor*, non in hunc modum irritanda erit, quâ eam nihil corriges, ſed potiùs indies exaſperabis, donec deſperatio eam ex homine leænam fecerit, marito & rivali metuendam. Saltem *prima uxor* huic non objicienda eſt periculo, ut ei ſuperinducas *Peninnam* quandam, omnia jura thori ei eripere, & quod reliquum eſt amoris mariti in primam artibus doliſque exſtinguere laborantem; ut maritum tandem ſola poſſideat. Quam caſtam accepiſti, etiam tutelâ tuâ à rivali ſartam tectam ſervare decet.

ε.) Quid ni etiam lex talionis hic tantùm valeat? ut eandem legem continentiæ à marito jure poſtulet, quam uxori præſcribit. Iniquum videtur à ſociâ exigere, quod ipſe præſtare negas. Maritus ſequioris ſexus Dux conſtitutus eſt, & rector; ſed bono exemplo præeundo ducit & dirigit. Virtus continentiæ exigit, ut nihil ex libidine, omnia ex ratione ſtatuas. Quicquid ratio non exigit, hoc libidini modum ac terminum ponat, quem tranſilire virtus continentiæ prohibet. Nunc audi quod apud *Plautum* dicitur in mercatore.

Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro:
Qui minus vir unâ uxore contentus ſiet?

Si eum libido incendit, aut effrænis vagi amoris titillatio; ea etiam mulierem corripere poſſet. Si lege eam in uxore cohibere velis; ſcias etiam Deum eam lege conſcientiæ prohibuiſſe tibi. Si impotentiam carnis objicias, ea magis excuſat ſexum infirmiorem quam te. Tuum ergò erit caſtam conjugem in eo confirmare officio, continentiæ tuæ exemplo; ac libidinem ſubigere ratione, aliiſque mediis, continentiam promoventibus: & vitioſam illam verminationem extinguentibus. Tu forte legis uxori ſtatutæ cauſam objicies *dubium prolis*, à quo abhorres: quæ ratio te non obligat. Quod ſi fraudem prolis tam ſeriò abhorres, ne uxorem neglectu tuo iſti tentationi objicias; illi ad illud tuo agendi modo anſam, dum amorem dividis, præbens. Si illa ratio te non obligat, non deerit alia, quæ tibi eandem ponat legem; ſi ex ratione vivere velis? Si tanti tibi eſt prolis ratio? cur *polygamiam* non fugis, quæ prolem non parum negligit. Sit tibi *ratio legis*, non facere, quod nulla ratio exigit; quodque præmium laboris non habet. Ad prolem quærendam ſufficit una conjux, imò etiam ad eam multiplicandam, ſi Deus ad hoc concurrere velit: quod ſi non placeat ſummo numini, ejus ſtandum eſt arbitrio: qui vitæ & necis arbiter eſt, nec non fæcunditatis ſterilitatiſque auctor, rebus legem poſuit: eoque invito nemo ſibi familiam acquiſivit. Sufficit voluntatis ejus experientiam in unâ capiamus. Imò index divinæ voluntatis, quæ exigit virum unâ uxore contentum eſſe debere, eſt ea providentiæ divinæ cura, quâ ſexum fœmininum procreando

do eum non adeò multiplicet, quin cernamus mulierculas numero ſexus virilis propaginem non excedere: quid ni igitur putemus aliis etiam noſtri ſexus hominibus prolificationis materiam eſſe relinquendam, poſtquam portionem noſtram abſtulimus.

II. Scio, quicquid obtendere poſſint *Polygami* huc recidere, quod multiplicandæ prolis cauſa ſi fiat, non vero ex libidine, nihil eſſe quod Polygamiam viris præhibeat. Proin prolis etiam rationem habeamus: quam ſimplicitur quærere non eſt officium ſuum præſtare, niſi id fiat cum curâ educandi, & bonis moribus imbuendi. Sicuti nulla obligatio viro incumbit quærendi ſemen ultra quod ei ex unâ conjuge largitur Deus: ita præſtat paucos habere liberos bonos, quam multos pravos & degeneres. Imò contra obligatio quemcunque hominem obſtringit nullam quærere prolem, niſi ut pietate, juſtitiâ, & temperantiâ poſſit ſibi, familiæ, eccleſiæ & reipublicæ eſſe utilis, imò Deo creatori glorioſa. Intra hos cancellos deſiderium multitudinis prolis cohibendum eſt. Indiſciplinatam præoptare prolis multitudinem, ut numeri, non boni ejuſdem rationem quis habeat, eſt hominis *impii*, Dei & eccleſiæ rationem non habentis: & *iniqui atque inſentati*, partem ſui non ex debito curantis. Quod tibi fieri nolles, alteri ne feceris, multò minus viſceribus tuis. Nolles ſcio, ſi bonus es, te ita natum, ut relictus eſſes tibi, omni bonâ educatione deſtitutus: non ergò ſatis feceris tuo officio, niſi quos Deo concedente accepiſti, ei cupias bonos reddere. Reſtat ergò oſtendamus *polygamiam* bonæ liberorum æducationi & procreationi eſſe contrariam, eamque multis modis impedire.

1. Si *marem* reſpiciam, eum invenio ad bonam edu-

 ca-

cationem liberis cedendam per polygamiam ineptum: partim quia Pater familias curas, labores, & dolores ultra vires multiplicare non ſolum non tenetur, ſed ut finem conjugii aſſequatur non debet: debet eum liberis ſuis & familiæ acquiſitæ juſtam ſuſtentationem, defenſionem, ac gubernationem. Quo plus diſtrahitur, eò magis à ſingulis abſtrahitur.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Plures unâ ſuſtentare familias non eſt niſi divitum; plurium curas gerere ne quidem Hercules præſtiterit; ita enim familia virum occupat, ut adhuc auxilio egeat: quanto magis ſi plures ſuſcipiat curandas. Victus quærendus eſt, dotem parare tenetur, & juſtam relinquere hæreditatem, ut mediis non deſtituantur liberi, quibus honeſtam occupationem auſpicari, & parentum ſtemmate dignam conditionem tueri queant. Si adverſa cymbos quatiant, non pluribus ſimul adeſſe poterit; nec multiplicatos dolores ſolus ferre. Partim *cura mentis*, quæ corpore nobilior, præſentiam mariti requirit in unaquâque familiâ. Naſcuntur liberi noſtri ad ſummum, ut tabula raſa, quæ nihil boni recipit niſi inſcribatur; tantum ſapientiæ & prudentiæ acquirunt, quantum cum iis communicas: ſi negligas rudes manent & indiſciplinati. Imò inſtar agri naſcuntur, qui fruges non reddit, niſi in anteceſſum ſemina recepiat, ſi ſibi relinquatur, carduos & ſpinas emittit. Diſciplina perpetuo vigere debet, quò ſuccreſcens lolium quotidiè evellatur. In hâc cauſſâ prima cura ad patrem familias pertinet, quem decet ut veluti alter Janus πρόσω καὶ ὀπίσω omnes in angulos videat, ut cadentem ſublevet, algentem foveat, mœrentem erigat, gaudentem

tem confirmet, peccantem corrigat: ac quantum temporis à publicæ vocationis occupatione ſibi relictum videt, hiſce impendat. Quibus perpenſis, agnoſcendum eſt, non ſine damno liberorum curam paternam per polygamiam nimium diſtrahi ac dividi, ſi non exſtingui: quare rectè cecinit de iis *Claudianus.*

Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.

Fateor in curarum partem venire matres, venire pædagogos, aut quoſcunque alios, quos ampliori fortunâ gaudentes magno ære ad hoc conducere ſolent. Sed quia unus vir non ſufficiebat, uxor ei data eſt in auxilium, non ut ſola eas partes educationis exhauriat, quod imbecillior ſexus minus poteſt, ſed ut manum viro porrigeret, idque ſub ejus inſpectione & mandato; utquè quod ſuum erat, conferret. Ulteriora auxilia ære comparata virum pium multum levare poſſunt ab onere, non liberare: haud enim patitur ςοργὴ, ut tam chara pignora planè alienis, & haud certis juventutis ducibus, committas: imò contra jubet, ut ſæpius ad inſpectionem ordinis recurras, & num omnia ad præſcriptum tuum fiant examines.

Si dixeris in bonis eſſe quenquam, ut ſi opes, quas poſſidet, conſtent, juſtam cum multis dotem & hæreditatem communicare, & multò ſapientiores ſe atque aptiores ſibi ſubſtituendos etiam magno ære conducere poſſe; ut ſatis eorum neceſſario & utili ſit proſpectum. Verum præterquam quod Paterfamilias ſe ab herili poteſtate ſolvere non poteſt: & ære conducti herilem curam augeant: non permittit juſta liberorum acquirendorum cura tantum credere fortunæ verſatili. Infinitis expoſitæ

tæ ſunt divitiæ caſibus, ut ante ſtabilitas familias evaneſcere poſſint, & auxiliis iſtis deſtitutus non ſit ferendo oneri, multò minùs doloribus exindè oriundis. Non patitur ergò amor rationis, ut pretioſa iſta pignora tanto exponas periculo: & fluxis atque inſtabilibus adeò fundamentis tantæ molis ædificium præter neceſſitatem, aut ullam obligationem, non ſine notâ temeritatis ſuperſtruas.

2. Si *uxoris* ineamus rationes, quam primam duxeras, dum alteram ſuperinducis, eam etiam hoc ipſo ad debitam liberis curam reddis ineptam: quippe quæ ſola omnem diſciplinam abſolvere ob ſexus imbecillitatem impar, tibi tantùm in auxilium data erat, nunc verò à te ex parte ſaltem derelicta id minùs valet. Præ primis ſi eam concipiamus ex ſuperinductione ſecundæ tantùm alacritatis amiſiſſe, quantum mœroris exindè concepit; ac tantùm auctoritatis ab eâ receſſiſſe, quantùm honoris ei ablatum eſt. Si bona ſit fœmina, virum tenerrimè amans, luget fortunam ſuam, ſe non amplius pro amore ſuo redamari, atque eo mœrore conſumitur: undè exſtinctâ alacritate in officio erga liberos torpet, & dum rigidiorem ſentit penſi exactorem, *metus* eam in opere ipſo turbat, confundit, & in quibus conſilium in arenâ ſumendum eſt perplexam reddit, quia inconſulto dum abeſt marito, quod faciendum erat, ſuo arbitrio facere non audet: ubi vitia nonnunquam diſciplinam exigunt, abſente marito, quia non audet, indulget: undè laxatâ diſciplinâ corrumpuntur mores. Accedit læſa *auctoritas*, ſine quâ præcepta ejus minus valent: ubi obſervant nati eam minus in honore eſſe apud parentem, dictis aſperioribus aliquandò repelli, vultuque torviore præteriri, reſpiciunt eam, quaſi per Dominum familiæ à conſortio imperii excluſam, & ad bonam frugem

gem inutilem habitam. Hinc ſi mandata matris voluptati ſuæ non reſpondeant, liberi ea non audiunt, præcipientem deſpiciunt, diſciplinam non patiuntur, & querelis aliquandò ad patrem, ab eâ non nihil alienatum, delatis ei multam creant moleſtiam. Ita diſciplina tota facilè ruit; & indiſciplinata proles indies ad pejora vergit.

3. Neque eſt, ut à ſecundâ uxore ſibi bonam ſpondeat prolem; quæ dum paſſa eſt ſe ſuperinduci, & adeò inviſam primæ uxori conditionem ſuſcipere in animum inducit; neceſſario parùm pia cenſenda eſt; quæ alteri facit, quod ſibi fieri nollet: prioris uxoris jura involat, atque ſe contra rixas inſtantes obfirmat. Sanè oportet vilioris animi ſit, aut nimio libidinoſæ Veneris œſtro incitata, cui talis conditio placere poſſit. Quid quæſo, *ſemen Dei quærens*, quid inquam fauſti ſibi ex tali conjunctione ſpondere poteſt? quid aliud quam *mali corvi mala ova? Non è ſquillâ roſa aut hyacinthus producitur*, juxta Theognidem. Sicuti mores animi ſequuntur temperamentum corporis: ita communiter fieri ſolet, quod nati ex utero matris, ut carnis, ita temperamenti originem recipiant. Revocemus in mentem familias quaſdam, in quarum deſcendentibus ſucceſſivè videntur radices actæ avaritiæ, ſtultitiæ, ebrietatis, aliorumque vitiorum: quæ tranſlata & impreſſa corporibus liberorum, in cauſâ ſunt, ut vitioſiores poſtea naſcantur. Ita aliquandò liberos pariunt, quos ſatius fuiſſet nunquam natos fuiſſe. Neque eſt, quod ab iis facilè correctionem exſpectes vitiorum, quæ ipſæ amant, & quorum ipſæ ſunt perpetua exempla, natorum oculis quotidiè expoſitæ. Voluptatibus & deliciis deditæ maritos prenſant, & quibus illecebris eos capiant noctes atque dies cogitantes, bo-

nam prolis educationem ſupinè negligunt. In fraudem hæredum primi thori aut furtis opes imminuunt, ut ſibi amplius proſpiciant, aut blanditiis ſuis maritis ampliora munera extorquent.

4. Bonam educationem quoque impedit *ſtudium partium*, quod per polygamiam ſubnaſcitur inter unius viri uxores, ita ut mariti ne quidem extra partes ſe ſervare poſſint: qui huic magis, quam alteri faventes, magnum pondus addunt moleſtis doloribus partis, umbone defenſionis virilis deſtitutæ. Hinc rixæ, pugnæ, diræ & exſecrationes, quæ omnia titulo *pravi exempli* nocent, & piam educationem turbant: præſertim ſi inter inconditos iſtos clamores ab incunabulis enutriantur pueri. Nam *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Eſtquè hoc genus hominum in eâ ætate planè μιμητικὸν: quod ſimiarum inſtar quævis arripit, & arrepta ad ſeros etiam annos circumfert. Loquuntur ut audiunt; agunt ut vident, antequàm ratione duci poſſunt. Dein conſuetudo in habitum tranſit, & alteram naturam facit, quam *furcâ licet expellas tamen uſque recurret.* Imò prava illa exempla enervant doctrinam parentum, & efficiunt, ut non admittatur: nam ut cecinit Claudianus ... *Non ſic inflectere ſenſus*

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Nec ſolum *ſtudium illud partium* peſſimis parentum exemplis corrumpit liberorum educationem, verum etiam liberos peccatis parentum implicat. Sequitur fructus ventrem, & liberi propenſione naturali ſuas amplectuntur matres, quarum lachrymis & ſuſpiriis ad paſſionem miſericordiæ moventur, ſi non ſint degeneres. Illi proin rivales ut tot malorum cauſas reſpicientes, ex priori commotione rapiuntur ad indignationem in æmu-

mulas; quas proin odio habent & ſublatas cuperent. Quod ſi pater intercedat, ſuo arbitrio, non ſemper ex æquitate cauſſæ, ſed ſæpè pro affectu ſtatuens, haud rarò vulnus exaſperatur, & in liberis partibus addictis debitum ſibi honorem exſtinguit. Præſertim à quo vident matrem præter jus & fas injuriis opprimi. Sic bilis, ad cholericum temperamentum hominem diſponens, quotidiè exaſperatur, & tenera ætas quaſi in injuriarum & injuſtitiæ palæſtrâ perpetuò exercetur, ex quâ prodeunt litigioſi, ad pugnas proni, pejerantes, ad leges bonas ſurdi: nil niſi ad omnem injuriam, ſæpiſſimè tantùm imaginariam, vindictam meditantes.

5. Nec ſatis in bonum liberorum ſuccedunt res, aut ritè curantur, quæ plurium (& quidem ex æmulatione inter ſe diſſidentium) gubernantur conſiliis; aut peraguntur ſtudiis. Hoc egregie & convenienter experientiæ cecinit *Euripides.*

Ἑνὸς ἁ δύναμις ἀνά τε μέλαθρα,
Κατά τε πόλιας,
Ὁπόταν εὑρεῖν θέλωσι καιρὸν.

---- *Una poteſtas*
Temperet urbem, regat una domum,
Si modo cordi eſt tranquilla quies

§. 8. Quæ de polygamiâ dixi, nunc etiam de divortiis ſeu repudiis notanda ſunt, ſcilicet jure cum divino, tum naturali; quamdiu uxor cum viro manet una caro, haud eſſe licita. α.) De jure divino conſtat diſſolvi matrimonium aut morte, quando Deus ſocietatem ſolvit, dum alterutram partem è vivis auferens

Digitized by Google

cohabitationi finem imponit: aut lege divinâ contra adulterium latâ, quod crimen in finem matrimonii impingens, ſupplicio mortis luendum eſſe definit *Lev.* 20: 10. *Deut.* 22: 22-25. Negat Chriſtus aliam ob cauſam deſerendam eſſe uxorem *Matth.* 5: 31. 32. 19: 3-9. *Luc.* 16: 18. 1 *Cor.* 7: 10. 11. Error eſt Judæorum natus ex non perceptâ mente Dei in lege de dando libello repudii, ſi uxor marito diſpliceat, quam profert Moſes *Deut.* 24: 1. iſque patet ex interpretatione *Chriſti* & *Malachiæ*, qui negant divortium ob allegatam cauſam admitti: ſed cum ob σκληροκαρδίαν populi non poſſet impediri, illud crimen à Judicibus haud impunitum eſſe dimittendum, niſi id fiat ſub datione libelli repudii: cujus datio notatur tamen apud *Malachiam* ut ſtigmatis inuſtio, quâ publicâ injuſtæ violentiæ notâ inurebantur dimittentes: proin pœnæ loco erat publica infamia. β) In jure naturali manifeſtum eſt, fœdus conjugale tranſigere de ſociâ ad auxilium & liberorum quo ad vitam fovendorum & protegendorum procreationem, adſciſcendâ: quæ tranſitio fœminæ ex patriâ poteſtate in maritalem ſtabili protectione compenſanda eſt; ſive ea ſit cum aut ſine prole. Sanè ea contractus iſtius natura eſt, ut *individuam includat vitæ ſocietatem*, quam nemo diſſolvere poteſt, imò quidem utraque pars mutuo conſenſu 1. Inter leges matrimonii recepit, ut *ſtabile* ſit: ita Virg. Æneid. 1. verſ. 77.

Conjugio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Cicero in Anton. *In matrimonio certo & ſtabili collocavi.* Nec aliam ab rationem *ſtabile* dicitur, quam quod in ſempiternum durare & dirimi non debet. Hinc Plaut. in aulus Act. 2. ſc. 1: 26. *Quod tibi ſempiternum ſa-*

lutare ſit procreandis liberis. Cauſa iſtius ſtipulationis erat, quod *in eâ ſtabilitate* quiſque ſuam & familiæ ſuæ felicitatem agnoſcebat, procut cecinit Poëta Lyricus, *Horat.* Carm. l. 1. Od. 13.

Felices ter & amplius
Quos interrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Supremâ citius ſolvet amor die.

2. Quoniam iſta divulſio nunquam fit, niſi ubi intercedens hujus aut illius partis vel utriuſque *injuſtitia* & *pertinacia* vinculum ſolvit amoris conjugalis: ex peccato eſt omne repudium, & nota fit animi irreconciliabilis, atque impatientis, nullam ἐπιείκειαν adhibentis: cujus nota & quaſi ſtigma eſt *libellus repudii* ut videas amoris loco *odium* veniſſe *ad dimiſſionem uſque.* Jam verò quod ex peccato oritur, id peccatum eſt: ac malum non ſolum triſte, ſed & turpe. Nec dicendum *divortium eſſe majoris mali remedium*, ac vitæ peccaminoſæ abruptionem in ſe continere, ad prævertendum ne mala ulterius pergant. Cum verum & ligitimum medium ſit iras deponere, & mutuo in gratiam redire: *divortii* verò *opus* eſt, nolle cedere, & odium retinere in corde.

3. Vinculum, mutuo pacto initum, non ſtatim jure ſolvi poteſt, ſi utraque contrahentium in diſſolutionem conſentiant; id ſolum verum eſt, ſi tertius non intercedat, qui exindè damnum patitur. Prout hic *Deus* intercedit, qui omnem juramenti ſolutionem odit: & *liberi* intercedunt, qui officia ſuâ erga parentes præſtare tenentur, aſt per divortium ab alterutro parentum divelluntur: ac eorum operâ ſunt deſtituti.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO

Divinitatis hujus vaticinii per

IMPLEMENTUM HISTORICUM.

§. 1. QUò evidentiùs cernamus rerum cum hàc picturâ Propheticâ conſonantiam, tenendum eſt ſtatim à nato Chriſto, atque Herodis magni deceſſu, *Primores gentis Judaicæ* ex communi decreto quæſiviſſe apud Cæſarem, *ut mutatâ reipublicæ formâ poſt hâc ſine regibus agant*, *& contributi provinciæ Syriæ Romanis pareant poteſtatibus.* Hoc decernunt cum *Archelaus* Romam vix deceſſerat, confirmationem paterni teſtamenti rogaturus: nec ea paucorum fuit ſententia, aut inferiorum, ſed decretum ſuperiorum; in quem finem *Vari* Syriæ Præſidis permiſſu inſignem ad Cæſarem Legationem expediunt; in quâ quinquaginta viri nobiles, quibus ſeſe pluſquam VIII millia civium ſanctæ urbis adjunxerant, conſpiciebantur; omnes id ſummâ animi contentione quærentes, ut reipublicæ adminiſtratio non ad *Herodis* poſteros, jam apud Auguſtum inter ſe contendentes, devolvat; ſed ad formam provinciarum Cæſaris tradatur Procuratoribus. Hoc poſtulatum, licet hâc vice non impetrarent, nono tamen abhinc anno repetere auſi ſunt,

quo

Digitized by Google

quo *cum Judæorum*, *tum Samaritarum Primates* denuò Auguſtum adeunt, *Archelaum* apud eum deferunt, ejus relegationem impetrant, atque quod anteà petierant obtinent: *miſit enim Cæſar in eas oras virum Conſularem Quirinum cum Coponio, turmæ equeſtris Præfecto, penes quem rerum totius Judææ eſſet adminiſtratio.* Hoc illud fœdus fuit, quo ſe genti Romanorum adjunxit cœtus Jehudæ; quodque multorum dolorum & malorum poſtea fuit principium. Hujus moliminis ſi non auctores, ſaltem ejus conſilii & facti defenſores fuerunt Pontifices, quorum auctoritas exindè haud parum increvit; nam Herode defuncto & Archelao remoto *penes Optimates fuit reſpublica, collocatis in ejus faſtigiis Pontificibus*, ut loquitur *Joſephus Ant.* b. 20. c. 8. Cumque *Quirini* vigeret deſcriptio, & Judæi primam ejus mentionem ægrè ferrent, interceſſit *Joäzarus* Pontifex, cujus auctoritati parendo, non pertinaciter reluctati ſunt. (Ib. L. 18: 1.) Imprimis videtur *Boëthi* familia (quæ quidem affinitatem contraxerat cum domo Herodis) hoc quæſiviſſe, ut ſe ipſam ad illud auctoritatis culmen extollendo hinc contra Herodiades, illinc contra Zelotas, in tuto collocarent. *Simon* enim *Boëthi* (datâ *Herodi* filiâ in uxorem) acceperat Pontificatum, uſque dum *Herodes* in litibus cum Antipatro ex ſuſpicione quâdam eam repudiavit, & filium ex eâ natum ex teſtamento, ubi ſucceſſor declaratus fuerat, delevit; quandò etiam Socerum ſuum Pontificatu exuit: qui licet ante obitum *Joäzarum* (remoto rurſus, quem Simoni ſurrogaverat, *Mathiâ*) *Simonis* filium affinem ſuum ad eam dignitatem extulerit: nihilominus tantam ei auctoritatem conciliare non potuit, quin populus ſub *Archelai* principio eum deponi poſtularit; ſicuti etiam *Archelaus* eam dignita-

dignitatem ab ipſo in fratrem ejus *Eleazarum* tranſtulit. Aſt etiam hic haud diu in eâ dignitate perſeveravit. Quare ab hominum moribus & genio Politico haud alienum erat, quod auctoritatem ſibi augere ſub alâ Cæſaris, ſeque romanæ gentis conjunctione in ſtatu ſuo confirmare annixi fuerint. Non tamen omnibus probatum fuit iſtud conſilium, ac multorum animis inſidebat plenus libertatis amor, nec Herodiadum, nec Romanum jugum ferre præoptans. Undè à primâ iſtâ legatione, Legatis & Archelao apud Cæſarem cauſſam dicentibus, omnia in republicâ turbata ſunt: legio Romanorum, cui Varus urbem ſanctam commiſerat, *Sabino* populum vexante & regiis theſauris inhiante, mox à tumultuantibus in regiâ includitur, & extra urbem unuſquiſque ſeditioſorum cœtus ſibi Regem creat: ita *Judas* Ezechiæ latronis filius coöperantibus Galilæis regnum affectat; *Simon*, Herodis ſervus, cum Tranſamnanis: *Athrongæus*, paſtor, cum Judææ incolis corroborati: omnia populantes, tam in Herodis progeniem, quam in Romanos inſurgunt, imo & ſe mutuo invadunt. Sedavit quidem hos motus ante Archelai reditum *Quintilius Varus*, ita tamen ut terra horrendas vaſtationes, populus autem ſtupendas ſtrages tulerint. Nec *Archelaus* niſi per tyrannidem gentem continuit, quæ ei poſtea exilii & amiſſæ dignitatis cauſa fuit. Eo relegato, & Quirino gentem ad cenſum deſcribente, propediem nova oborta eſt ſecta hominum, ſervitutem Romanam non probantium, cujus auctor inquit *Joſephus* fuit *Judas Galilæus:* hi (ſic pergit) *cætera cum Pharizæis conſentiunt, niſi quod conſtantiſſimo libertatis amore flagrant, credentes ſolum Deum Dominum habendum ac Principem, & facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi unà cum cognatis ſuis, ac cariſſi-*

riſſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi Dominum. Quæ ſententia variis occaſionibus motuum fuit flabellum, uſque dum exciſa fuit Reſpublica.

Inter hæc ſtudia partium medii fuerunt (miſeram temporis ſui faciem deplorantes) quos genuinos fidei Patrum hæredes agnoſcimus: quique ob articulos temporum elapſos tempus Chriſti adeſſe credebant: imò eum jam natum, & in infanticidio Bethlehemitico fruſtrà ad necem quæſitum, in occulto educari credebant. Hi nec armis libertatem quærendam, nec tamen etiam Romanis ex propriis commodis prodendam eſſe ſtatuentes; in eâ erant ſententiâ, Deum in afflictiſſimo illo ſtatu morum reformatione & fidei repurgatione ſub ardentiſſimis precibus eſſe quærendum, & purioribus hoſtiis placandum, ut regno Chriſti, filii ſui, viam recludat.

§. 2. Multa quidem ad conſilii iſtius defenſionem adducebant Pontifices & Primores gentis cum ſuis ſcribis & Legisperitis: ſcilicet illud fœdus ex prudentiâ politicâ, quæ ſalutem gentis nullibi ſartam tectam ſervari potuiſſe, niſi in novâ illâ cum Romanis conſociatione dictabat, profluxiſſe unicè. Non niſi iſtâ manu *Herodiadum* nuper natam poteſtatem removeri potuiſſe: nec aliâ quam Romanorum amicitiâ ſtabilem fore gentis αὐτονομίαν obtendebant. Facilè tamen è contra obſervabant pii, illos fucum facere: & revera Pontificiam dignitatem (quam homines peſſimi poſſidebant) voluiſſe in faſtigium potentiæ politicæ extollere, Romaniſque legionibus fulcire. Hoc, *ut legibus ſuis vivant*, non eſſe redimendum cum libertatis traditione populo, Jovi ſuo Capitolino deditiſſimo, *Jehovæ* verò intùs & in cute inimico, urgebant. Hæc moliri iis ipſis diebus, quibus nondum ſedati erant animi, à magorum inquiſitione in lo-

Digitized by Google

cum nati Chriſti adeo turbati: nec audire, quæ in atriis nuper prædicaverant Simeon & Anna: eorumque in conſiliis ſuis nullam habere rationem; hoc ſanè crimen erat. Præſertim, quia in iſtâ cum Romanis pace & confœderatione ex ſuis hypotheſibus ſe implicabant laqueis, ex quibus ſe, cum ſemet manifeſtaret Chriſtus, expedire non poſſent, plus ſalutis pro populo in amicitiâ Romanorum, quàm in exſpectatione regni Chriſti collocantes; adeò ut dies doceret, hanc confœderationem cum Romanis quæſitam fuiſſe, ut munimentum, ad excludendum regnum Chriſti, illudque eludendum. Ex hâc hypotheſi enim natum eſt illud alterum judicium, *intempeſtivum fuiſſe* (propter illud fœdus cum Romanis initum) *Chriſti regnum eo tempore admittere*; quoniam id non niſi cum irritatione Romanorum fieri poſſe putabant. Quod judicium apertè protulit *Cajaphas* Pontifex *Joh.* 11: 47. 48. *Collegerunt ergò*, inquit textus, *Pontifices & Pharizæi concilium, & dicebant: quid faciemus, quia hic homo multa facit ſigna? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. Unus autem ex ipſis, Cajaphas nomine, cum eſſet Pontifex anni iſtius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quod expediat nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & tota gens non pereat.* Vide, quàm aperto ore ſalutem gentis in morte Chriſti collocent; affirmantes hunc accipere Principem, eſſe in eo rerum ſtatu crimen contra Romanos, ſublatione loci & gentis luendum. Hinc illæ voces *Joh.* 19: 12. *Omnis, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.* & verſ. 15. *Non habemus regem niſi Cæſarem.* Ita contigit, ut in gratiam Cæſaris ſpem Meſſiæ abdicarint Judæi; atque per adoptionem Cæſaris in regem ſibi comperiantur

viam

viam præcluſiſſe ad acceptionem regni Chriſti. Hinc ergò notiſſimum eſt, quid fecerit *Cœtus Judæ*, quandò Cæſari regnum detulit, cum de regno Chriſti cogitare, etiam ab Herode monitus *Matth.* 2: 4-6. debuiſſet. *Profanavit* enim *Sanctum Jehovæ*, *quem diligit*; quandò in eum non inquiſivit; eum ut rem nihili neglexit; ejus adventum ut intempeſtivum *horruit*: & ut non poſſet juxta ſua præjudicia eniti, obicem poſuit: nihil ab eo, aut Deo ipſo, omnia à Cæſare ſibi ſpondentes: haud memores, quantum crimen eſſet in Deum non confidere, ſed brachio niti humano; præprimis auxilium quærere apud gentes, Deo inimicas, idololatricas, & in patrocinio *alieni Dei* gloriantes.

§. 3. Haud alienum quoque eſt à cauſſa quod *Dei alieni filia* dicatur *gens Romanorum*, quæ *Jovem* Capitolinum, cui omnem ſuum ortum & fortunam adſcribit, ſalutat *patrem*. *Silius Italicus* IV. 103.

- - - - Noſco te ſumme Deorum:
Adſis ô: firmeſque tuæ PATER *alitis omen.*

Virgilius Æneid. lib. II. 680. ita Anchiſem exhibet orantem.

At pater Anchiſes, oculos ad ſidera lætus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit.
Jupiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Adſpice nos: hoc tantum: & ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium PATER, *atque hæc omnia firma.*

Idem Æneid. libr. XII. 200.

Audiat hæc GENITOR, *qui fœdera fulmine ſancit.*

Digitized by Google

Nec non Georg. l. 1. 328.

Ipſe PATER, media nimborum in nocte, coruſcâ
Fulmineâ molitur dextrâ, quo maxima motu
Terra tremit.

§. 4. Ad alteram corruptæ reipublicæ faciem ſpectat deploratus rei œconomicæ ſtatus, qui ex conceſſis in populo *polygamiis*, *divortiis*, & *repudiatarum novis connubiis* ortum duxit. Nemo neſcit Theologiæ Judaicæ dogma antiquum eſſe, poteſtatem maritalem in uxores ſe eo uſque extendere, *ut ſi marito lubeat, ei primæ uxori plures alias ſuperinducere, aut eam ob quaſcunque cauſas dato libello repudiare liceat.* Hanc ſententiam, quam Chriſtus in doctoribus ſui temporis atro notavit carbone *Matth* 5: 31. 32. 19: 3-9. defendit Schola *Hillelis*, cui tribuitur in Thalmude tract. *Gittin* cap. 9. quod viro facultatem repudiandi uxorem conceſſerit, *ſi vel cibum aduſtum ei appoſuiſſet*: & R. *Akibæ*, ſi maritus aliam viderit fœminam conjuge ſuâ *pulchriorem*, *aut ſibi commodiorem.* Hæc tyrannis ſequiorem ſexum in multas conjiciebat anguſtias atque mœrores, & ſtatum œconomicum mirè perturbavit: imò adulterinam prolem eheu nimium adauxit, ac cum omni pietatis extinctione gentem multiplicavit: cumque familiæ ſint ſeminaria reipublicæ atque eccleſiæ: quid mirum, ſi ibi lateat corruptio atque ex iſtis fontibus videas *ætatem* prorupiſſe *peſſimam*, & adulterinam progeniem. Imprimis notatur oppreſſa piarum fœminarum, curam prolis ægrè relinquentium, facultas: dum juſto mariti auxilio deſtitutæ, aut planè derelictæ non valent, quod vellent; & iſtam injuriam non niſi ad Deum deferendi illis ſuperſit locus. Miſera reipublicæ facies, in quâ omnia

mnia compoſita erant, ad pietatem reliquam ſufflaminandam, impietatem verò & injuſtitiam fovendam: adeò ut ubique *perfidia* prædominium obtineat, & truculentiæ gentis indicia ſine rubore æque ac paludamenta exterioris amictus oſtententur. Iſtam animi inclementiam, imò ferociam, ſi non parcere domeſticis videas, quid indè ſibi polliceantur concives? Hinc in hiſtoriâ iſtius temporis notatur Judaicæ gentis ferocia, in tot bellis latrocinalibus conſpicua, quibus in mutuâ ſævierunt viſcera.

§. 5. Ad pias oppreſſarum fœminarum lachrymas, atria Dei implentes, nec non liberorum neglectorum gemitus, tanquam totidem ferociæ gentis teſtes, cum nihil attenderent aut morum magiſtri, aut eorum inſpectores Pontifices; qui ipſi quoque ejuſdem genii quotidiana dabant ſpecimina: effectum eſt, ut Deus, qui jam modo ferocem hunc & degenerem populum in poteſtatem longè ſeverioris gentis tradiderat, eum quotidiè magis magiſque ſine ullâ liberationis ſpe affligi paſſus fuerit: nihil ad ſacrificia, quæ pro ſalute populi offerebantur, per tantum lachrymarum nimbum reſpiciens. Experti hoc ſunt Judæi, quandò Procuratores Cæſaris de die in diem ſentierunt ridigiores: imprimis imperante *Tiberio*, Principe vafro & crudeli; ſub quo *Valerius Gratus & Pontius Pilatus* Judæam tenuerunt: ille annos XI, hic per decennium. Sub præfecturâ prioris ſentierunt *Pontifices*, quàm contemptim haberentur ab homine Gentili, qui Pontificiam dignitatem ab *Anano* (ſeu *Annâ*) tranſtulit ad *Iſmaëlem Phabi*, eoque pauló poſt dejecto ad *Eleazarum Annæ F.* hinc poſt annum elapſum ad *Simonem Camithi F.* ac tandem anno iterum elapſo ad *Joſephum Cajapham*, qui quintus fuit ſub Grati præfecturâ Pontifex; quod, cum aliàs

Digitized by Google

ducentes, omnem furorem in viros primæ dignitatis effuderunt. 1. Primo *Pontifices* perveſtigabant, & quotquot inveniebant ſtatim obtruncabant, eorumque cadavera pedibus conculcata, inſepulta projiciebant: idem fecerunt *Anano* Pontifici M. & *Jeſu* ejuſdem dignitatis viro. 2. Dein *Nobiles*, quos ad partes pertrahere non poterant poſt verbera, plagas atque tormenta ſeveriſſima occiderunt; ut eorum duodecim millia perierint. 3. Vix *Idumæi*, redituri ad ſua pedem ex urbe extulerant; quin *Zelotæ* denuò graſſantur in cives, atque non ceſſarunt, donec *nullum optimatum ſupereſſe putarent:* atque ita exciſum eſt *Synedrium* jam in initio malorum, omniaque direpta, ſpoliata & profanata ſunt *Hieroſolymis*, ubi *profanatio* tam *abominanda conſummata* fuerat. Ab hoc tempore non niſi Latrones, in partes conſciſſi, urbem tenuerunt, qui omnia ſanguine & cineribus quotidiè miſcebant. Proin anno Ær. Vulg. 67 exeunte, & brumâ rigente priora illa tulit urbs jam profanata; à quo factionibus ſciſſa, & ſpelunca Latronum facta, miſerè vaſtata eſt A. ejuſdem Ær. 70, templo ſcilicet ſuccenſo menſis *Ab* die decimo; atque poſt hâc urbe captâ & ſolo æquatâ: ut Judæis nulla ἀυτονομία relicta fuerit. Nec me latet Doctores Judæorum quædam tradere de migratione Synedrii in alias civitates; volentes, quod deſtructo templo *R. Johannes filius Zacchæi, & Rabban Gamaliël ſecundus Jafne Synedrii egerint Præſides. Rabban Simeon, Gamaliëlis F. Uſcham duxerit. R. Jehuda Sanctus, quum interea in finitimam ſephacham migraſſet Synedrium, illud ad Bethſchearun tranſtulerit. Dein in Sephorim urbem ſit tranſlatus, ac tandem in Tiberiadem eodem Præſide.* Voluntque in ejus filio, qui *Rabban Gamaliel* dicitur, Synedrium demum extinctum fuiſſe. Verùm hoc

Digitized by Google

hoc tamen Judæis fatendum eſt, illud, quicquid fuerit, quod Synedrii nomine jactant, potiùs umbram fuiſſe rei, quam rem ipſam, quæ ſponte evanuit; cum nulla fuerit iſto tempore Judæis propriè dicta in terrâ illâ juriſdictio, aut poteſtas civilis.

ELENCHUS
TERTIUS
Reatum
Haud notatorum ſignorum temporum redarguens.
Mal. II: 17. & III: 1-6.

§. 1. ELenchus tertius maximè in eo occupatus eſt; *ut pios* de adventu Chriſti, ejuſque opere, in purificationem populi impendendo (quo ſuos à gente degeneri ſeparet) *erudiat*: atque ita judicium Dei (à magnatibus illiſque adhærente plebe ſumendum) proximè ſecuturum *oſtendat*. Hæc populi Dei inſtitutio ei ſuppeditatur, ut ad quæſtionem *ubi ſit Deus judicii?* ex conſilio Dei reſpondere poſſit.

§. 2. Hinc verſus 17 capitis antecedentis cum hoc ſermone componendus eſt; quippe *anſam* recludens, *huic inſtitutioni*, ad elenchum novorum adverſariorum

Deum delaſſantium facienti, *oblatam.* Quare *Lyranus*, *Acaſtro*, aliique interpretes hunc verſum faciunt primum capitis tertii. Nec malè: cum objectionem contineat, cujus ſolutio eſt in ſequentibus.

§. 3. *Objectio*, quam ſibi ſolvendam ſumit *inſtitutio*, & redarguendam *elenchus*, erat eorum, qui accuſationem Sacerdotum (piorum nomine prolatam) ægrè ferentes, contra eam inſurgebant: eamque ex tolerantiâ Dei refutare ut iniquam & abſurdam laborabant: petentes, ut accuſatores ex viis judiciorum Dei evidenter oſtendant, *ubi ſit Deus judicii?* ſeu quo opere judicii palàm faciat Deus *Sacerdotes* ſibi ullâ in re diſplicere? Hi ergò denuò corripiuntur ut pertinaces, ad ſigna temporum non attendentes, & ex iſtâ ignorantiâ vias Dei ejuſque conſilium ignorantes.

§. 4. Eſt hìc ergò ſermo alicujus, qui *filios Jacobi* corroborat, quique ſe cap. 3: 6. vocat *Jehovam*, & quidem *immutabilem:* cujus curæ debebant, quod non ſint abſumpti. In quo ſermone ille ipſe de Jehovâ Deo exercituum & de Legato fœderis tanquam de aliis in Deitate perſonis loquitur. Unde evidens eſt, Actorem in hâc ſcenâ eſſe *Spiritum Sanctum*, qui mediante ſanctificationis gratiâ in populo Deo haſce reliquias conſervavit, eaſque inter graviſſimas tentationes corroboravit; atque etiamnum præſenti inſtitutione corroborat.

§. 5. Videre licet etiam in hâc eâdem ſcenâ novos iſtos malæ cauſſæ defenſores, ut ſpeciali alloquio in principio correptos; dum auſi ſunt *cauſſæ Sacerdotum*, agere *propugnatores*, eos ex ſingulari præjudicio & adulatoriâ aſſentatione ut Primores gentis defendentes. Hi pinguntur tanquam acuto dilemmate contra vermiculum Jacobi arietantes, & forti impetu illos ad abſurdum,

Digitized by Google

dum, ſi non ad blaſphemiam urgere conantes. Quare mihi videor hic magiſtros & Legiſperitos intueri; qui cum ſe ita per latus Sacerdotum feriri in antecedente Apologiſtæ elencho obſervabant, id ferre non poterant: accuſati enim erant Sacerdotes ut indulgentiores doctrinæ inſpectores, qui iſtam muneris partem reliquerant magiſtris, atque eorum authoritati cedentes, eorum errores non tantum non correxerant, ſed ipſi admiſerant. Hi ergò ita denigrati, ut qui tot errorum & perfidiæ fuerant cauſæ, ſuarum partium eſſe putarunt illam accuſationem à ſe & Sacerdotibus amoliri. Cumque ſe ita ſtiterant adverſus Hyperaſpiſten Orthodoxorum ut cauſſæ malæ propugnatores: Arduâ iſtâ intentatione intercedit ipſe *Spiritus Sanctus* inter partes, ac ſe primò convertit ad illos propugnatores, quos arguit, ut qui iſto agendi modo *delaſſaverint vel ipſum Deum.* Ita *ſpiritus Dei* etiam corripuit primum mundum, *Gen.* 6: 3. atque in opere iſto œconomico corruptiſſimis temporibus cernitur elenchi divini auctor.

§. 6. Videas quoque eâdem in ſcenâ *filios Jacobi*, ſeu turmam orthodoxè ſentientium, & corruptionem populi lugentium; quæ ex reliquiis populi, Dei gratiâ ab iſtis corruptelis conſervatis, conſtans, erat oppugnationis iſtius objectum. Hos concipimus ut præſentes, quos *Spiritus Dei* ſecundo loco compellat; adeò ut ipſe inter utramque partem intercedat. Dein eos conſideramus ut ab iſtâ Legiſperitorum oppugnatione delaſſatos, & non ſatis, quæ ad iſta reſpondeant, in promptu habentes. Tandem eoſdem illos intuemur, ut patrocinio *Spiritus Sancti* defenſos, ejuſque inſtitutione ad aptam graviminis ſolutionem inſtructos.

§. 7. *Inſtitutio fidelium*, quaſi adſtantibus & audientibus illis Sophiſtis peracta, quia continet ſophiſ-

Digitized by Google

matis ſolutionem, rationem formalem quidem habet corroborationis fidelium, ad nodum illum non nihil hæſitantium. Sed etiam refert indirectam elenchi continuationem, dum ſophiſticam agendi rationem in Sophiſtis detegens, reprehenſionem eorum à ſe factam confirmat.

§. 8. Notandum etiam retineri in hâc ſcenâ loci mutationem. In prioribus Deus ſpectabatur ut in foro judicans, & Sacerdotes condemnans. Nunc ſpectantur partes, ut adhuc (ſicuti cum apologiâ Hyperaſpiſtis inceperant) in terrâ de ſententiâ illâ Dei litigantes: & *ſpiritus*, ut deſuper adveniens, atque inter homines litigantes conſilium Dei de ejus adventu (ad judicium illud exſequendum ſtatuto) dilucidè exponens.

§. 9. Expoſitio *conſilii iſtius Dei* notat *tempus*, quod iſti judicio (ad exſecutionem ſententiæ Dei forenſis futuro) definitum erat, cognoſcendum eſſe *ex ſignis temporis* antecedanei: fore enim, ut ante definiti iſtius judicii exſecutionem Deus electos, ex communi maſſâ puniendorum eximendos, in novum populum colligat, & per novam illam collectionem à carnali populo ſeparet, ut ita ex illo judicio liberentur. Addit in eum finem Deum miſſurum *Chriſtum* cum ſuo *Prodromo*, qui electos ad reſipiſcentiam vocantes novum illum populum forment, & in eo *Theocratiam* novam (quæ erit N. T. ac ſpiritualis) erigant; in quâ Chriſtus Regem ageret, novam œconomiam gratiæ recluderet, ac populum iſtum novum ſibi commiſſum ab iſto judicio ſartum tectum conſervaret.

§. 10. Hinc fons ſolutionis ad ſophiſticum illud dilemma opponentium erat recluſus: atque erudimur quænam reſponſio facienda eſſet ad quæſtionem, *ubi ſit Deus judicii iſtius?* quod lugentes affirmabant

bant ſententiâ Dei, jam ante in foro cœleſti latâ, ratificatum fuiſſe. Scilicet Judicium illud nihilominus eſſe præ foribus, nec ulterius differendum, quam cum Deus per Chriſtum collegerit ſuos, & mediante ſeparatione in tuto collocaverit: abhinc enim forè, ut pars gentis indurata, diſciplinam Chriſti ſpernens, omnium ſagittarum Dei *ſcopus* evadat.

ANALYSIS.

S*Piritum Sanctum* itaque hìc loci ut Actorem ſpectantes, in ejus ſermone duplex agnoſcimus alloquium.

I. *Elencticum* ad Magiſtros iſtius temporis, cauſſæ Sacerdotum & ſuæ patrocinium dilemmate, ad nauſeam uſque repetito, peragentes, quibus impingit crimen, quod Deum delaſſaverint ſuo agendi modo. *Vos delaſſaſtis Jehovam verbis veſtris; & dicetis: quare delaſſavimus? cum dicitis; omnis faciens malum, bonus eſt in oculis Jehovæ, & eis delectatur: aut ubi eſt Deus judicii iſtius? verſ.* cap. 2: 17.

II. *Inſtitutorium* ad pios lugentes, & ab iſtiuſmodi vexationibus delaſſatos, quos de ſolutione quæſtionis *ubi eſt Deus judicii iſtius?* per expoſitionem conſilii Dei erudit, explicando.

A. Apparatum ad electorum collectionem, qui ante diem judicii iſtius debebat præmitti, conſiſtentem

1. In miſſione præſenti Prodromi ad viam Chriſto præparandam: quæ exhibetur dictis Dei patris. *Ecce ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam ante faciem meam.* cap. 3: 1. a.

II. In feſtino adventu Chriſti, è veſtigio ſecuturi, ad opus præmittendum: ubi notetur

α. Feſtinus Chriſti adventus promiſſus. *Et derepentè veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus ille fœderis, quo vos delectamini. Ecce venit: dixit Jehovah* Deus *exercituum.* verſ. 1. b.

β. Forma, quam repræſentaret, ut dignoſceretur, quæ foret terribilis exploratoris. *Et quis eſt, qui ſuſtineat diem adventus ejus? & quis eſt, qui conſiſtet, cum is apparebit? Nam ipſe erit ut ignis aurificis, & ut ſmegma fullonum.* verſ. 2.

γ. Effectus purificationis inter filios Levi prædictus. *Et ſedebit conflans & purificans argentum: & purificabit filios Levi, & fundet illos ut aurum & argentum; & erunt Jehovæ, offerentes munus in juſtitiâ.* verſ. 3. *Et ſuave erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ, ut diebus ſeculi & annis antiquis.* verſ. 4.

B. Judicium ipſum (de quo quærebatur) exponitur, & deſignatione peccantium, ſupplicio puniendorum, amplificatur: idque quaſi ex ore Dei refertur. *Et accedam ad vos ad judicium, & ero teſtis velox contra Magos, & contra adulteros, & contra perjuros & contra fraudantes mercedem mercenarii, viduam, & pupillum, & declinantes advenam, & qui non timent me; dixit Jehovah* Deus *exercituum.* verſ. 5.

C. Rationem tolerantiæ Dei, judicium eo uſque differentis, ſubjungit, atque ex ſuo affectu ergâ filios Jacobi derivat: dicens, *quoniam ego ſum Jehovah, qui non mutor: propterea vos filii Jacob non conſumpti eſtis.* verſ. 6.

E X-

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTUALIS.

Cap. II: 17. *Delaſſaſtis Jehovam verbis veſtris & dicetis: quâ re delaſſavimus. Dum dicitis; omnis faciens malum bonus eſt in oculis Jehovæ, & eis delectatur: aut ubi eſt Deus judicii iſtius?*

§. 1. Eſt in his verbis elenchus, ſeu ſeverior increpatio Spiritus Sancti, quâ quibuſdam inter Judæos *ſermones Deum delaſſantes* exprobrat: atque hos, ut elencho anteriori non cedentes; ſed in pertinaci contradictione perſeverantes acrius & paucis ita perſtingit, ut eos ſtatim tanquam incorrigibiles deſerat.

§. 2. Culpa, quæ illis objicitur, notatur in verbis aut ſermonibus eorum, & cenſenda eſt continere *peccatum oris*, ſed ex pravo & infideli corde profectum. Vox דברים vertere poſſumus *ſermones*, ut *dialogos* ſub ſe contineat: & pluralis numerus fortè indicat ſæpè iterata ratiocinia, & ad cramben repetita. Sic conſiderantur, ut opponentes, importuno ſuo ſophiſmate ubique & indies orthodoxos vexantes: eoſque ut temerariæ accuſationis reos arguere conantes.

§. 3. In eorum cavillatione, tantoperè jactatâ, notatur *vexatio* quædam *delaſſans*. Verbum הוגיע, quod eſt in textu, à radice יגע derivatur: atque in kal. *laborare* & *delaſſari* ſignificat; in Hiphil verò tranſitivam exercet poteſtatem: vertiturque *aliquem facere laborare* (ſeu alicui laborem creare) & *quenquam delaſſare.* Priori ſenſu occurrit *Jeſ.* 43: 24. ubi *Aſſertor populi*

puli ait *laborem creaſtis mihi iniquitatibus veſtris.* Hoc ſequitur *Vulg.* hìc loci, dum tranſtulit *laborare feciſtis.* Scilicet per moleſtam illam & delaſſantem velitationem, à quâ illi Sophiſtæ non deſiſtebant. Verum, cum hic labor non aliter concipiatur quam *delaſſans*; alii hoc verbum potius ſubſtituunt; atque ita notatur, quod inſtantiis ſuis ut fortiori ariete utentes, ſæpè ictum repetendo, conati ſint *delaſſare* Dei defenſores, ut tandem à Zelo defendendi remittant, & luctæ finem exoptent, à moleſtâ oppugnatione quietem cupientes. Lxx habent hic verbum *παροξύνειν*, quod magis ad ſenſum reſpicit, quam ad vim verbi, & elegantiam non exhaurit.

§. 4. Hanc delaſſationem, quâ lugentes petebant, nunc *Spiritus Sanctus* interpretatur non adeo ut delaſſationem hominum, ſed ipſius Dei, quandò dicit eos *Jehovam delaſſaſſe*: atque ita eorum velitationes culpâ non vacaſſe monet: implicaſſe enim eorum ſophiſticationem accuſationem viarum Dei, & oppugnationem fidei Dei. Si enim, qui verbo Dei adhærent, oppoſitionibus ſapientiæ carnis, ad abſurdum quaſi deducentibus, impugnantur, ipſa Dei fides in profeſſione fidei eorum impugnatur. Quare rectè monet Actor iſtos cavillatores non adeò fideles, quam *Iehovam* ipſum (quem in communi Deum eſſe Iſraëlis profitebantur) dictorum in foro ſuo auctorem petiiſſe, ac *delaſſare* auſos fuiſſe.

Nemo non agnoſcit mecum, Deum cum virium remiſſione non delaſſari, *Ieſ.* 40: 20. Quare in phraſi agnoſcenda eſt *ἀνθρωποπάθεια* tam hic, quam alibi, ubi verbum לאה eodem venit ſenſu. Conf. *Ieſ.* 1: 13. 14. 7: 13. *Ezech.* 24: 12. Ego hic metaphorum, à contentione virium in luctationis æſtu impenſarum deſum-

ſumptam puto; ubi delaſſatus cum pugnæ finem cupit, aliâ arte quaſi uno ictu dejicere antagoniſtam tentat. Ita conſiderantur hi homines ſuis cavillationibus Deum petiiſſe, & inſtantiis ſuis de fide ejus victoriam reportare voluiſſe: ut *Deus* poſt juſtam tolerantiam (uti delaſſati ſolent) huic luctæ finem voluerit imponere; non cauſſæ ſuæ deſertione, aut remiſſiori ejuſdem defenſione, ſed modi in certamine iſto obſervati mutatione: ſe ad opus convertens, quo hoſtes iſti dejicerentur ex ſtatione ſuâ, & ipſo opere confunderentur; quoniam iſta opprobria & impudicas velitationes ex Zelo pro nomine ſuo amplius ſuſtinere, id eſt, tolerare, non poterat.

§. 5. Ad hanc increpationem repræſentantur noſtri Sophiſtæ ut parati ad reſponſum, quo ſub interrogatione petant accuſationis probationem; ut conſtet res; quam cum talis reatus contractione perpetraſſe dicantur. Hanc prævaricationem in animo Magiſtrorum prævidens, eam objectionem occupat Spiritus: *&* (vel *at*) *dicetis*, ſeu *dicitis in animo.* Conf. Cap. 1: 2-6. *quâ re delaſſavimus?* Objectum, quod impugnatione petebatur, majoris latitudinis cauſâ reticetur: quaſi dicant *quâ re* aut Deo aut cuiquam homini moleſti fuimus. Interrogatio æquipollet negationi: negant ſe cuiquam moleſtum fuiſſe, multo minus Deo, ita ut hoc illis vitio verti poſſet. Diſſimulant ſe *illam rem* noviſſe, ſeu ullum ſermonem protuliſſe; ſaltem quantum ſibi conſcii erant; undè tale crimen exſculpi poſſit. Notantur itaque hi, ut hypocritæ contumaces, qui ad diſciplinam Dei exaſperantur, & correctiones admittere neſcii.

§. 6. Hinc effugium illud diluit Actor, progrediendo ad ſermonum contentum, quo Deum ad abrumpen-

 dam

ſub eo nomine à ſolis Judæis uſque in illum diem cultus: qui ſupponitur ut mundi rector, & Judex: non enim putandi ſunt hoc negare velle, qui hìc in dictis peccarunt. *Bonus & malus* ſunt contradictoriè oppoſita. Proin abſurdum quærunt in eo, quod *malus* reverà ſit *bonus in oculis Dei*, id eſt, ob moralem bonitatem gratus: quia *Deus purior* dicitur *oculis*, *quam ut malum intueri poſſit*; *Hab.* 1: 13. Proin illis dicendum erat ex mente horum Sophiſtarum, aut illos, præter cauſam accuſatos fuiſſe, quod *malè fecerint*, (ſeu perfidè egerint) ac proinde iſtis incumbere ut antecedentem accuſationem recantent: aut hoc abſurdum admittendum eſſe, quod *qui malè facit* inter illos accuſatos à Deo ut *bonus* & gratus reſpiciatur; quod eſt Deo abſurdum adſcribere. Si roges ex quo principio deducant *illos accuſatos* à Deo habitos fuiſſe *ut gratos?* reſpondeo illos tale quid ex felici eorum fortunâ ut certum ponere: quia loco malorum comminatorum omnia fauſta experiebantur: quippe qui ex illo fœdere rempublicam poſſidebant pacatam & florentem, atque omnes in terra iſtâ hæreditariâ pinguedine terræ veſcebantur. *Benedictiones* igitur terræ ſanctæ interpretantur, ut *teſtimonium gratiæ*, quo Deus teſtabatur ſibi gratos eſſe Sacerdotes, cultus ſui adminiſtros, & qui cum iis faciebant. In quo argumento ſatis ſophiſticè procedunt; quaſi *omnes felices* (quoad externam fortunam) eſſent *Deo grati*; quia iſta bona non ſine Deo, fortunæ moderatore, acceperant? Quod præjudicium ſapientiæ carnalis eſt, & lapis offendiculi, in quem aliquandò etiam pii impegerunt, quippe tentationem animo injiciens, aut non eſſe providentiam Dei agnoſcendam, aut religionem felicium eſſe ſolam veram. Conf. *Job.* 21: 7. *Pſal.* 73: 2. 3. *Jer.* 12: 1. 2.

Dum

Dum nullam viarum iſtarum Dei rationem ſtatim penetrare poterant. Sophiſticè igitur agunt, dum aſſumunt ut indubium, quod inter poſtulata non erat aſſumendum: qualia ſunt *felices eſſe Deo gratos:* & *benedictiones terræ eſſe teſtimonium gratiæ divinæ.* Quaſi peſſimi homines non aliquandò proſperâ gauderent fortunâ: aut ex felicitate corporali cognoſcantur boni.

§. 9. Nihilominus Sophiſtæ audaciter pergunt, & addunt; *atque delectatur iis:* ובהם הוא חפץ. Verbum חפץ cum ב conſtructum notat *delectationem animi* unà cum objecto in quod tendit. Gradatim adſcendit; undè *vau* copula verti poſſet per *imò:* ac ſi dixerint *gratus eſt Jehovæ, imò quod magis, etiam ille delectatur iis.* In quâ climace tamen etiam ſignum datur majoris amarulentiæ in pios. Tantum ſcilicet abeſſe, ut malè feciſſe arguendi ſint illi tam rigidè accuſati, ut non ſolum teſtimonia habeant ſe Deo non diſplicuiſſe in conſiliis ſuis, ſed quod plus eſt, *ſe ei magnopere placuiſſe*, & rerum ſucceſſu, qui reipublicæ ſalutem & maxima beneficia attulit, conſtare, quod illud conſilium ſummoperè approbaret.

§. 10. Altera pars dilemmatis eſt in vocibus ſeu enunciato, *aut ubi eſt Deus judicii iſtius?* Quidam vir doctus concipit hoc enunciatum, ut dictum ab *Actore*, ſed profanitatem & pertinaciam horum vexantium abhorrente, ac vertit, *ó ubi eſt Deus judicii?* ubi manet ejus ſupplicium? cur non ora illa blaſphema è veſtigio plectit. Huic particula און eſt exclamantis. Sed nondum perſuaſus ſum de iſto particulæ iſtius uſu. Judæi volunt eſſe effatum Epicureorum, diem ultimi Judicii abnegantium, ante quem Meſſiam proximè venturum volunt: atque ita ſaltum faciunt multorum ſeculorum, & negant cohærere cum ante dictis. Sed illi

 longè

Digitized by Google

longè aberrant: agitur enim *de judicio* particulari, quod concipiendum, ut ſententiæ Dei, in foro ſuo contra Judæos degeneres latæ, exſecutio. Huc facit articulus in voce משפט (in textu enim dicitur המשפט) & hoc *judicium* etiam fideles habuerant in ore verſ. 12. ut hic non ſit abnegatio Dei Judicis, aut diei judicii ultimi, ſed abnegatiò ſententiæ à Deo unquam contra hoc accuſatos latæ. Dum rogant *ubi eſt Deus judicii iſtius?* quem fore criminum iſtorum vindicem dixerant accuſantes. Hæc interrogatio æquipollet negationi, quâ aſſerunt ſe nuſpiam obſervare veſtigia judiciorum divinorum: ac ſupponit accuſatores nullibi iſtius judicii ſpeciem aſſignare poſſe. *Ubi* ergò in quæſtione, reſpondet voculæ *nullibi* in reſponſione. Quod ſi *nullibi* ſit *Deus illius judicii*, quem ſententiâ judicium definiviſſe dixerant lugentes: Concludi volunt *tale judicium non eſſe illis metuendum*; traditionem iſtius ſententiæ forenſis eſſe figmentum hominis, aut non fuiſſe profectum à Deo vero & veraci, ut fortè rem habuerint cum ſpiritu mendaci, pro vero numine habito. Ita hic actum eſſe cum re, ut quia judicium illud non venit, illius præſagium fuerit fallax. Sed Sophiſtæ non attendunt, non auferri, quod differtur. Tenere deberent, quod nondum adeſt, venire poſſe. Fortè inter poſtulata aſſumunt, perfidiæ crimen tam grave eſſe, ut pœnæ dilationem non ferat: aut credentes tam arctum inter latam ſententiam & judicium nexum agnoſcere debere, ut haud magnum interſtitium admittant. Sed ita ignorant ſigna temporum, quæ credi jubent ante illud judicium Chriſtum eſſe exſpectandum, qui ſervandos ex illo judicio in anteceſſum colligat, & impiis evadat lapis explorationis. Ignorant Deum ſæpè tolerare condemnatos uſque ad tempus, quo modium peccatorum impleverint.

Nunc

Nunc nexum videamus, & quomodò particula *aut* dilemma efficiat: videri volunt ad hominem loqui: qui malè apud vos audiunt, ipſo rerum ſucceſſu loquente, Deum habent conſiliorum ſuorum & viarum approbatorem, & quidem κατ' ἐξοχὴν: aut ſi id non procedat apud vos, debuiſſent eum experiri juxta proprium veſtrum præſagium, ad minimum ut ſeverum perfidiæ vindicem, diſplicentiam ſuam judiciis ſuis teſtificantem. Verum nec iſtius rei ullibi exſtat aut vola, aut veſtigium: ergò nobiſcum potiùs amplectendum eſt, eos nullâ in muneris ſui parte peccaſſe. Totum hûc redit, ut oſtendant fideles, cur Deus tamdiu, loco maledictionum, quas comminatus dicebatur, potiùs tot benedictionibus florere faciat Rempublicam & ejus Primores, ſi non grata habeat eorum ſacrificia? Hic nodus ſolvendus erat.

§. 11. In horum dictorum allegatione ſubſiſtit correptio: nihilque ad ſolutionem nodi ſpectans, illis reponit ſpiritus ulteriùs. Sed hoc agit inter pios, quos de iſtâ ſolutione faciundâ ſatis diligenter inſtituit. Ratio eſt, quia, quos corripit, ut homines deploratos tractat, ſuæ conſcientiæ tradendos: qui brevi objurgatione correpti relinquuntur: Spiritus Sanctus enim non ſine averſione ab iſtis pertinacibus & Sophiſtis ſemet convertens ad ſuos, quos humiles & dociles inveniebat; eos accuratiori iſtâ inſtitutione ſolùm dignos cenſuiſſe graviſſimas ob cauſſas cenſendus eſt.

Cap. III: 1. *Ecce ego mitto angelum meum; ut vacuam faciat viam ante faciem meam.*

§. 1. Convertit ſeſe nunc *Actor* in hâc ſcenâ (omiſſis

ſis jam Sacerdotibus eorumque defenſoribus, ut ulteriori reſponſo indignis) *ad pios*, cavillatione Sophiſtarum vexatos; quos de præſenti Dei viâ hìc diligentius inſtituit. Continet autem hæc inſtitutio *oraculum Dei*, per modum narrationis cum ſperantibus & in fide conſtanter permanentibus communicandum. In hoc oraculo *Deus* exhibetur, ut propter prævaricationem *tolerantiam ſuam proximè abrupturus*, ſigna nova inſtantis judicii ſui præbens: in quibus obſervare liceat, ut ejus præparatio ſub novi populi collectione, ejuſdemque ab ætate perverſâ ſeparatione, in ſuis initiis ſpectanda objiciatur. Ex quibus ſignis facilè eſſet ad quæſtionem, *ubi maneat Deus judicii iſtius? reſpondere.*

§. 2. In hoc Dei oraculo monentur pii, ut oculos ſuos convertant ad novum quendam conſilii Dei miniſtrum, quem titulo *Angeli* aut *Legati ſui* honorat. De voce מלאך jam vidimus in noſtrâ ad hunc Prophetam introductione. Confer. *Cap.* 2: 7. Ac notandum eum à Deo vocari מלכי *Maleachi*, quod nomen Prophetæ noſtræ fuerat impoſitum: ut notetur deſignari aliquem, qui Deo eſſet à miniſterio, non minus ac olim hic noſter, aut quilibet ex Sacerdotibus.

Inquiritur autem cujus ordinis & claſſis hic notetur miniſter, an aliquis ex ordine angelorum? num verò homo ex hominibus ſanctificatus? Judæi hic mirum in modum à ſe invicem diſſentiunt. Alii unum ex Claſſe Angelorum hoc loco deſignari autumant: *R. Salomo Jarchi* hìc ad מלאך המות *angelum mortis* reſpici vult, qui impios ex hâc vitâ auferens in infernum protrudit: quaſi reſponſionis mens eſſet; etiamſi impii proſperè agant in hâc vitâ; eos tamen poſt mortem pœnam daturos. Quæ, licet vera ſint in genere, nihilominus

minus vel ipſo R. Abarbanele teſte huic loco non ſunt conſentanea; quoniam vocula *ecce* poſtulat, hîc agi de ſingulari miſſione iſtius temporis, cujus articulum deſignat viſio: ac de opere iſtius *Angeli* peculiari. *R. David Kimchi* hìc de iſto *Angelo* cogitat, qui cœlitus venturus populum ex præſenti diſperſione colligeret atque uti olim fecerat Iſraëlitis (*Exod.* 23: 20.) in reductione collectorum efficeret, ut nemo adverſariorum nec ullum malum iter eorum impediat. Aliis tamen ex Judæorum magiſtris magis placet per iſtum Dei legatum eſſe intelligendum hominem quendam illuſtrem: ita tamen, ut cui applicent necdum inter ſe conſentiant. *R. Abarbenel* Prophetam ipſum hìc eſſe intelligendum conjicit. Cujus hæc eſt paraphraſis. *Ecce mitto vobis hunc ipſum Prophetam Malachiam, qui dicturus eſt vobis, ubi ſit Deus judicii? & quandò ille judicaturus ſit judicium illud abſolutum: & quàm grave illud omni creaturæ ſit futurum.* Quam indicationem Prophetam rejeciſſe uſque ad finem libri contendit. Verba autem ſequentia, *& parabit viam coram facie mea:* exponit per *ſolvet vobis hanc querelam.* Sed ea tam frigida ſunt & contorta, ut homò vafer ipſe in ſuâ conjecturâ ſubſiſtere non audeat.

R. Aben Eſra hìc Prodromum Meſſiæ Ben David, *Meſſiam Ben Ephraim* intelligendum eſſe affirmat; qui à quibuſdam *Nehemias Ben Huſiel* audit, aliis *Ben Joſeph* dictus, quia ex tribu *Ephraim* filii *Joſeph* cenſetur oriundus. Hunc tradunt contra Regem quendam Romanum, Iſraëlitas graviter affligentem, venturum, congregatiſque ad hoc multis ex tribu Ephraim, Manaſſe, Benjamin, & Gad, hoſtem profligaturum, regemque illum occiſurum: poſtea verò cum Armillus (Judæorum Antichriſtus) exſurget, fore ut ipſe in

prœlio occumbat: abhinc ajunt *Meſſiam Davidis filium* cum Eliâ venturum, qui Armillum è medio tollat, & hunc *Meſſiam Ben Joſeph* è mortuis ſuſcitet. Conf. *Abkath Rochel* libr. 1. p. 1.

Recenſet tandem *R. Abarbenel* aliam, quam non rejicit, ſententiam, quæ jubet, ut hunc locum cum teſtimonio, quod extat cap. 4: 5. conferamus, atque Prophetam in duobus his locis *de uno eodemque Chriſti prodromo* agere putemus; qui cum ibi *Elias* audiat, dubium videtur num de ipſo Prophetâ in cœlum ſublato! num verò de ejus analogo hæc capienda ſint. *R. Tanchum* fatetur hoc non neceſſariò intelligendum eſſe *de Eliâ Thisbite in propriâ perſonâ*; ſed commodè de magno quolibet Prophetâ, cum Eliâ comparando, ac propterea ejus nomine inſignito, intelligi poſſe, nobiſcum affirmat.

Verum cum in toto contextu nulla fiat recollectionis Judæorum, ſed ſolum adductionis Domini ad templum ſuum (ut expurgatoris filiorum Levi) fiat mentio; evidens eſt Judaicas illas expoſitiones priores extra oleas vagari: quæ hunc ut præambulonem ad viam populo reduci parandam mittendum conſiderant: cum depingatur, ut domini, proximè ſequentis, miniſter, qui illi viam præparet. Adde eum non ita divellendum eſſe *à Domino templi*, quin concipiendus ſit illo jam præſente munus ſuum agere, illi inſerviturus; ſicuti ſolent ὁδοποιοὶ, regibus vias, ut ſine impedimento provehantur, complanantes.

Illas conditiones non ſervat niſi ultima expoſitio, ex ipſo Prophetâ deſumpta. Quare, aut *Elias*, aut ejus vicarius ei ſimilis, *Elias* aliquis ſpiritualis, ſpectandus eſt. Quod dubium facile erit decidere ex rerum eventu. Hanc expoſitionem eſſe antiquiſſimam ex ſynedrii

patet

Digitized by Google

patet inquiſitione, quâ *Johannem* per legatos rogant, *Joh.* 1: 21. *Num eſſet Chriſtus? an Elias* (nempè in perſonâ) *num verò Propheta ille?* ſcilicet quem ſurrecturum ad hoc opus alii eorum exſpectabant. Conf. *Matth.* 16: 14.

§. 3. Auctoritas hujus *Legati Dei* ſuſpenditur ex *mittente*; Deus enim hìc loquitur, הנני שולח *Ecce me mittentem* (aut qui mitto) *Legatum meum.* Hoc verbo igitur commendat *Legatum ſuum Deus*, ut conſilii ſui adminiſtrum; quem nemo, niſi cum Legantis contemptu, rejicere poſſet: quoniam quæ ex officio ſuo dicturus & facturus eſſet *hic Prodromus*, ex divinâ ejus vocatione profluerent; Deus enim extraordinarios miniſtros ſuos afflare ſpiritu ſuo, ſibique reddere fideles, ſolet.

§. 4. Notandum quoque iſtius Legati miſſionem hic repræſentari, ut opus præſens; eſt enim verbum שולח participium *benoni*, cujus emphaſis ſanè retinenda eſt: qui verò hæc in tempus futurum convertunt, illi ad ſcenam viſionis minus rectè attendunt: Propheta enim hic in ſpiritu ad ea transfertur tempora, quæ hunc Chriſti prodromum viderent, ad miſſionem illam Dei prodeuntem, ac munus ſibi commendatum auſpicantem. Quod ſi *Abarbanel* animadvertiſſet? ſe nullo jure hoc argumento uti potuiſſe, ut probet ipſum *Malachiam* hic intelligendum, agnoviſſet ſponte: tempus enim illud præſens non eſt conferendum cum ætate *Malachiæ*; ſed cum ſcenâ viſionis ejus, quæ futura objicit, ut præſentia; ac Prophetas ad alia tempora transferendo (ut rem quaſi coram intueantur) ad ſpectaculum admittit.

§. 5. Huc facit etiam emphaticus & in orationis frontiſpicio collocatus aſteriſmus הנה *ecce*; qui cum etiam aliàs vim ſuam exſerit, neque hìc fruſtra apponi putan-

Digitized by Google

dum eſt. Cumque nulla ejus in ſignificatione poteſtas magis uſitata ſit, quam quà *rei præſentis exhibitionem & demonſtrationem* notificat; jure eam hoc loco eſſe retinendam exiſtimamus. Exigit autem ab iis, qui ad ſpectandum ita vocantur, ut mentem intendant, & in opere conſilium Dei animadvertant: ea enim eſt carnis inconſiderantia, ut ſæpius videndo non videat, & in aliquo opere molimen Dei non obſervet. Proin jubentur non hominem ſolum reſpicere, ſed in ejus auſpiciis obſervare Deum mittentem. Foret hoc quod jam digito monſtratur, ſignum adventus Chriſti, ante ex doctrinâ propheticâ tenendum, ſicuti de hoc Prodromo Chriſti jam olim vaticinatus fuerat *Jeſaias* Cap. 40: 4-6. Quando igitur Deus dicit, *ecce me mittentem* &c. idem eſt, ac ſi diceret, *obſervate meam fidem*, apparatum, quem dixeram Chriſto proximè præmittendum, ac in ſignum temporis definiti conſtitutum, vobis nunc actu præſtantem: ut credatis tempus explorationis veniſſe, viſitationemque populi & carnalium judicium eſſe præ foribus.

§. 6. Aſt in quo opere dicat aliquis, *ille legatus Dei* erit ſpectabilis? Hoc indicant quæ cohærent verba: *ut vacuam faciat viam ante faciem meam*. Nota igitur opus, in cujus gratiam depingitur Deus eum mittere, eſſe *opus miniſterii*, ipſi commendatum. Verbum פנה in *Pihel* valdè emphaticum eſt ad munus Legati hujus Dei exprimendum: notat enim loci mundationem & evacuationem, quâ *ab omnibus impedimentis liberatur domus*, ut parata ſit ad aliquem recipiendum. *Gen.* 24: 31. aut cum relatione ad viam, omnium impedimentorum remotionem & ablationem, auferendo, quæ progredientium profectum prohibere poſſint. Conf *Pſ.* 80: 9. *Jeſ.* 57: 14. 62: 10. *Zeph.* 3: 15. Metaphora illa deſumpta

ſumpta eſt à Regum, & Magnatum moribus, qui iter cum exercitu aut graviori comitio facturi, aliquandò ὁδοποιοὺς præmittunt, qui loca hiantia ſolident, extantia complanent, per devia compendium faciant, ne quid itineri obſtet, vel moram injiciat eunti. Exempla ſunt apud *Joſephum* & *Plutarchum*; ille de *Veſpaſiano* Galileam invaſuro. Μετ' αὐτοὺς ὁδοποιοὶ τάτε σκολιὰ καὶ λεωφόρους κατευθύνειν, καὶ χθαμαλοῦν τὰ δύσβατα, καὶ τὰς ἐμποδίους ὕλας προανακόπτειν, ὡς μὴ ταλαιπωροῖτο δυσπορῶν τὸ ϛράτευμα. Ubi *Titi* adventum ad urbem Sanctam deſcribit, hæc legimus, ἀνεπλήσθη τὰ κοῖλα καὶ χαραδρώδη τοῦ τόπου, τὰς δὲ πετρώδεις ἐξοχὰς σιδήρῳ κατεργαζόμενοι χθαμαλὸν ἐποίουν πάντα τὸν Χῶρον. Alter C. Gracchi ſolertiam in viarum refectione commendaturus, πιμπλαμένων, ait, τῶν κοίλων καὶ ζευγνυμένων γεφύραις, ὅσα χείμαῤῥοι διέκοπτον ἢ φάραγγες, ὕψος δὲ ἑκατέρωθεν ἴσον καὶ παράλληλον λαμβανόντων μαλὴν καὶ καλὴν ὄψιν εἶχε διόλου τὸ ἔργον.

Proin fungeretur hic noſter præcurſoris & munitoris officio, quod ei quoque tribuitur *Jeſ.* 40: 3. ut ſenſus ſit hunc Dei legatum è viâ remoturum omnia obſtacula & impedimenta, quæ adventum Chriſti viderentur impedire aut remorari poſſe. Supponit itaque hæc phraſis multa eo tempore & varia *impedimenta* à pluribus in viam quaſi conjecta, ſpeciem præbitura, ac ſi adventum Chriſti impedirent: aut ſaltem progreſſum ejus eluderent. Ita facilè perſtringuntur Judæi, ut qui multas hactenus remoras objecerint, adventum regni Chriſti præcludentes, quo minùs ad illos accedat: aut ſaltem ſibi viam obſtruentes, ne inter illos progreſſum faciat. Nunc autem Præcurſoris eſſet, remoras iſtas ex multorum animis (præjudicia ſc. atque altè radicatas opiniones) fundamentalibus regni ſpiritualis Chriſti legibus

contrarias, ex hominum animis evellendo eximere, nec non corruptos ſeculi mores (ex perverſis cupiditatibus, cæcis affectibus, vanâ ambitione, pudendâ φιλαυτία, aliiſque pravis principiis, arcana reipublicæ ſpectantibus, ortos natoſque) redarguendo removere. Quæ cura hominis eſt, inſtar *Eliæ* docentis, atque impingentes in viâ ad rectum tramitem revocantis. Uno verbo, *viam Chriſto præparare* eſt populum inſtruere, quâ ratione quilibet eorum, ut dignè Chriſtum excipiat, ſemet componere teneatur. Ita facilè reſolvitur metaphora, convenienter iis, quæ legimus *Mal.* 3: 23. 24. & *Jeſ.* 40: 3. ubi totum hoc *voci* tribuitur *præconiantis*. Undè ſequitur Deum haudquaquam permiſſurum, ut miniſterium verbi ſui, quamvis Sacerdotum & Levitarum incuriâ atque operâ pollutum & prophanatum, aboleatur; verùm eum potiùs miniſterium doctrinæ per hunc Legatum inſtauraturum, & quod Legiſperiti quidam corruperant reformaturum.

§. 7. Additur לפני quod *Socinus*, ſuis inſerviens hypotheſibus, verti poſſe *coram me* ſive *in conſpectu mei* urget, ut obtineat nullam hìc prioritatis habendam eſſe rationem; ſed textum tantummodò *pietatis* facere deſcriptionem; quare phraſin cum aliâ confert, quæ *pietatem* per *ambulationem coram Deo* circumſcribit. *Gen.* 17: 1. 24:40. 48:15. Verùm id contextus ratio neutiquam permittit: quoniam hic Legatus Dei non à pietate, ſed à peculiari munere & officio, quod Chriſto præſtaret, commendatur: adeò ut eum in finem *mitti* dicatur à Deo tanquam Legatus Dei inter homines. Neque etiam Sociniana ſententia vim verbi פנה ullo modo attingit, ut eam ex dictis repetenti & ad animum revocanti evidens eſt. Nec dubitandum voculam לפני pluries ſignificare *prioritatem* præeuntis. Confer

ſer modò, *Gen.* 23:7. 32:3. 46:28. *Neh.* 13:4. Reſtat ſolùm difficultas, quomodò hìc affixum primæ perſonæ (cum ſermo patris ſit ad populum ſuum) loquenti conveniat? quippe de filio ſuo ejuſque prodromo teſtificanti? non enim dicendus eſt ille Prodromus Deo Patri viam evacuaturus; aut eum in finem mitti, ut de Patris adventu teſtaretur: ſed de adventu filii, quâ in re tota hujus Anteambulonis functio agnoſcenda eſt. Reſpondent quidam ex canone, qui dictat *opera Dei ad extra, tribus perſonis eſſe communia*, volentes *viam Dei* intelligendam eſſe æquè *patris ac filii*, cum pater ſit in filio, & qui filium vidit etiam patrem viderit. Alii tamen potiùs animadvertunt *Angelum Aſſertorem* (qui populum Dei duxit per deſertum) vocari abſolutè à Patre פני, *Exod.* 33:14. *Facies mea:* prout etiam *Jeſ.* 63:9. *Legatus faciei ejus* dicitur. Nec dimovet me ab hoc ſenſu, quod in voce לפני alias *faciei* ſignificatio exſpiret: cum contra LXX vertant πρὸ προσώπȣ μȣ. Quidni nomen, quod in uſu eſt, dum conſtructio præpoſitionem ל poſtulat, id recipiat? Ita ſenſus erit planior; *viam præparabit* ante perſonam, in quâ me conſpiciendum præbebo, atque gratiam meam cæteraſque meas virtutes experientur, quotquot eam pro dignitate ſuâ ſuſcipient. Nequè ſanè hunc ſenſum ſi in contradicentem incidam precariò obtinebo, modò attendat ad difficultatem, ſupra motam: quæ hanc expoſitionem ob contextus analogiam evidenter flagitat; & analogiâ fidei & ſcripturâ nihil reclamante, hoc modo commodiſſimè tollitur.

Et

Digitized by Google

Et derepentè veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus (aut *Legatus*) *ille fœderis, quo vos delectamini. Ecce venit dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

§. 1. Proximè ab emiſſione Prodromi exhibet Dominum, cui ille foret à ſervitio, quique Præcurſori tanto foret major, quantum Dominus dignitate præcellit miniſtro ſuo. Prodromi erat opus auſpicari, Domini verò conſummare, ut conſilium Dei obtineat.

§. 2. Perſona, cujus hic fit deſignatio vocatur primò loco האדון *Dominus ille*, cum articulo innuente partim ejus excellentiam, partim ejus exiſtimationem, quæ ſpem ſui pepererat. *Dominus ille* cognitus, & in doctrinâ ſpei multum celebratus. Philologis receptum eſt vocem אדון ab אדן EDEN (quæ *baſin*, *fundamentum* & *columnam*, cui ædificium innititur, notat) derivare; atque rationem denominationis eſſe volunt; quia *Dominorum* cura eſt, proſpicere, ne territorium dominii ullo modo collabatur, firmiſque fundamentis innixum contra omnem impetum conſiſtere poſſit. Ita Deus, mundi Dominus, eum ſuâ ſuſtinet potentiâ, ipſe orbis fulcrum, omnia portans manu ſuâ. Hoc titulo ornatur quoque *Chriſtus Dominus*, eccleſiæ ſuæ fundamentum invictum, atque baſis unica, quam regit & tuetur. Haud dubium eſt, Meſſiam in doctrinâ Propheticâ etiam ſub titulo *Domini* celebrari. *Pſal.* 110: 1. David ipſe eum profitetur *Dominum ſuum.* Conf. *Dan.* 9: 17. Cumque hæc vox notionem principatus etiam inclu-

Digitized by Google

includat, ejuſdem poteſtatis erunt appellationes מלך *Rex*, *Jer.* 23: 5. *Zach.* 9: 9. *Pſal.* 2: 10. 45: 12. משיח נגיד *unctus Dux*, *Dan.* 9: 25. 26. מושל *Dominator*, *Mich.* 5: 1. רועה, *paſtor*, & נשיא *Princeps*, *Jeſ.* 40: 11. *Ezech.* 34: 23. 24. &c.

Judæi hìc inter ſe diſſentiunt; aliis hunc titulum Deo attribuentibus, qui Meſſiam ſuum facit Legatum, quique ab eo ut mittens à miſſo eſt diſtinguendus. Hinc R. Sal. Jarchi *Deum judicii* exponit. R. Aben Eſra *Deum gloriæ*. R. Abarbanel *glorioſum nomen*: ſeu Deum ipſum; atque referunt eorum quidam ad majeſtatis divinæ novam in templo inhabitationem, qualem in templo primo obtinuerant Judæi. Aſt utinam illi homines intelligerent שכינה ſeu majeſtatem divinam, olim ſupra arcam habitantem, tantùm umbraticam habuiſſe rationem, veram in Chriſto præfigurantem, non adeò palparent in tenebris. Concedimus hìc verum Deum intelligendum eſſe, à cujus præſentiâ *gloria ſecundæ domus major foret gloriâ primæ*. *Hagg.* 2: 10. atque ita eam gloriam ab adventu Prodromi manifeſtari debuiſſe, *Jeſ.* 40: 3-5. Verùm negamus *Dominum* quærendum eſſe hìc in perſonâ legantis, ſed *Legati*: quia ipſe Deus mittens hoc loco *de Domino templi*, tanquam de alio à ſe loquitur. Quæ ratio alios Judaicæ nationis Interpretes movit, etiam cum Interpretibus Chriſtianis per *Dominum illum* intelligere Meſſiam regem. Hinc R. David Kimchi *Dominus ille eſt Rex Meſſias, qui & ipſe Angelus Fœderis eſt*. R. Tanchum apud *Pocockium* affirmat quoque *hunc Dominum ſine dubio eſſe Regem Meſſiam*.

§. 3. Huic titulo adjicitur etiam alius, quo audit porrò *Angelus* ſeu *Legatus fœderis*. Ipſi Judæorum magiſtri (ſive de Deo legante, ſive de Rege Meſſiâ

Digitized by Google

hos titulos accipiant) in eo conſentiunt, utrumque ad idem pertinere ſubjectum: atque obiter notandum, vocem *Legati* denuò nobis argumentum ſuppeditare, contra eorum expoſitionem, qui hæc Deo mittenti applicant; cum vel hoc ſolo titulo *Legatus* à Legante diſtinguatur. Adegit tamen Judaica pervicacia quoſdam, ut, ne tantum Chriſtianis concedere videantur, hunc titulum ad *Eliam* rapere fuerint auſi, quem circumciſionis fabulantur Præſidem, à quo munere Legatum fœderis eum appellari ajunt, quia in gratiam circumciſionis (quæ fœdus dicitur, & in cujus adminiſtratione fœdus faciebant cum Deo) deſcendit, atquè inter operandum actioni præſens intereſſe creditur. Hanc lepidam fabulam Cl. *Buxtorfius* in Synagogâ, ubi de circumciſione Judaicâ agit, pluribus exponit: quæ tamen, cum ſic quotidiè & infinitis in locis ſimul, ubicunque illa ſacra Judæi adminiſtrant, intereſſe deberet glorioſus ille vates, ſuâ abſurditate ruit.

R. Moſes Nachmanides, qui & *Gerundenſis* dicitur, per Angelum fœderis intelligit *Michaëlem*, Angelorum principem (*Dan.* 10: 13. 21. 12: 1.) qui ſe *Deum Bethel* appellavit *Gen.* 31: 13. *Angelus Aſſertor* dictus, *Gen.* 48: 16. qui Moſen vocavit ex rubo *Exod.* 3: 4. *in cujus medio* dicitur *nomen Dei* eſſe *Exod.* 23: 20. 21. qui *facies Dei* audit, *Exod.* 33: 14. *& Angelus*, *facies Dei*, *Jeſ.* 63: 9. ipſe *Angelus Metator*, de quo magiſtri ipſorum: qui venit ad Joſuam,, *Joſ.* 5: 14. Quæ omnia allegata, & pluribus expoſita vide apud Cl. *Coccejum* in Conſid. reſpon. Jud. cap. 4. §. 204. & ſeq. Adde *Job.* 33: 23. De hoc *Angelo* nos notamus, eum non eſſe angelum aliquem creatum, ſed increatum, *filium* nempe *Dei* jam ab æterno *genitum*, *Pſal.* 2: 7. *Prov.* 8: 22-25.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. Audit hic *Dominus* non ſolum à legatione ſuâ *Angelus*, ſeu *Legatus*, verum etiam à fine ſuæ legationis *Legatus fœderis*. Vox ברית pro pacto reciproco & mutuâ conventione in ſacris adhiberi, indubium eſt, Conf. *Gen.* 21: 27. 31: 44. 1 *Reg.* 5: 12. Hinc etiam ad *fœdus Dei* cum hominibus ſignificandum adhibetur, *Deut.* 29: 12. *Pſal.* 50: 5. *Jeſ.* 59: 21. Nunc ratio aſſignanda eſt, ob quam huic *Domino* nomen *Legati fœderis* competat? quæ nulla alia eſſe poteſt, quam quod ſcribente ipſo *Abarbanele fœdus pacis in terrâ percuteret*. Quale autem *fœdus* hic ſit intelligendum, externum ne cum Principibus mundi, de pace externâ, quæ confectum cum Gogo & Magogo bellum, atque aſſertionem Judæorum in priſtinam libertatem, ut volunt Judæi, ſequetur? num verò fœdus aliquod ſanctum inter Deum & populum de pace ſpirituali, quæ ex multis benedictionibus ſpiritualibus conjunctis foret præclarior? ut Chriſtiani ſtatuunt: nunc ſeriò examinandum eſt. Si ex analogiâ ſcripturæ propheticæ nobiſcum de hâc cauſâ ſtatuere vellent Judæi, *hoc fœdus* (quod cum articulo dicitur הברית) non niſi de nobiliſſimo Fœdere, temporibus Chriſti alligato, acciperent unquam: de quo legimus *Jer.* 31: 31-34. *Ecce dies venient, dixit Jehovah: & feriam domui Iſraël & domui Judæ* ברית חדשה *Fœdus Novum: non ſecundum fœdus, quod pepigi cum patribus eorum in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terrâ Ægypti, quod fœdus irritum fecerunt, ut ego dominium exercuerim in eos, dicit Iehovah: Sed hoc erit fœdus, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Iehovah: dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, ipſi erunt mihi in populum: & non docebit*

Digitized by Google

cebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens; cognoſce Iehovam; omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum, ait Iehovah: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.

Hoc fœdus procuraturum Chriſtum docemur *Ieſ.* 42: 6. ubi *Servus Dei* (ad cujus legem gentes ſperarent) exhibetur, ut vocatus à Deo *cum juſtitiâ*, dandus *in fœdus populi*, *in lucem gentium.* Nota hic *in fœdus populi:* quod ad minimum ſignificat, ut ſit *Legatus fœderis* ſeu Mediator, qui adſtipulationem in novum illud fœdus exiget, atque adſtipulantes per fidem, in numerum populi Dei recipiat, quò ſinguli omnia fœderis iſtius promiſſa reportent. Conf. *Ieſ.* 49: 8. Hinc ab adventu ſuo diſceptaret cum populo à faciè ad faciem & *introduceret* (quos ſub virgâ traduceret) *in vinculum fœderis. Ezech.* 20: 37. Vocatur etiam *fœdus pacis*, *Ieſ.* 54: 10. in contradiſtinctione ad *particulam iræ divinæ*, quam tulerat populus Dei ſub priori œconomiâ: ita *pacem* reſpici cum Deo, & quidem ita propitiando, ut omnem peccati commemorationem deponeret. Conf. *Ezech.* 37: 26. Quia autem poſt hoc fœdus nullum aliud erat exſpectandum, accipit etiam titulum *fœderis æterni Ieſ.* 55: 3. *Ier.* 32: 40. *Ezech.* 37: 26. illudque non eſſet, ut *Fœdus antiquum*, quod ruperant, ſed ex quo daret gentes, in ſorores recipiendas *Ezech.* 16: 59-63. Hoc *fœdus* etiam *Legatus fœderis* ratificaret *ſanguine fœderis*, *Zach.* 9: 11. non hircino aut vitulino, ſed ſuo: quandò ſuper ipſo foret מוסר *pœna exemplaris*, *quæ nobis pacem conferret; Ieſ.* 53: 5. Hæc procul dubio nos reſpicere jubent *fœdus*, quod propter ampliorem promiſſionem, & nobiliorem ſtipulationem *fœdus novum* dicitur; cujus *pro-*

Digitized by Google

promiſſio amplioris gratiæ diſpenſationem, *ſtipulatio* verò legem fidei & novæ obedientiæ in ſe continet. *Fœdus* inquam, quod hæreditatem mundi hæreditati terræ Canaan & libertatem ſervituti legis dogmaticæ ſubſtituit; ac proindè populum Dei in exoptatiſſimam conditionem extollit.

§. 5. Dicitur porrò ulterius definitionis cauſſâ, *ille Dominus, quem vos quæritis:* nec non *legatus ille fœderis, quo vos delectamini.* Participia חפצים & מבקשים notant duos ſingulares animi affectus, qui circa nobiliſſimum aliquod bonum verſari ſolent; & utriuſque opus exponunt. Primum indicat affectum *deſiderii*, ſingulari ſtudio ad bonum ſuum tendentis: alterum verò affectum *voluptatis*, in boni alicujus perfectione ſeſe oblectantis. Opus autem *deſiderii* hîc dicitur *quærere*, ſcilicet ut invenias ad conjunctionem & fruitionem tibi propinquum. Opus verò *voluptatis* eſt delectari, & in ejus perfectione, ex deſcriptione rei cognitâ, gaudere. *Dominum illum quærere* eſt opus fidei, ad eum confugientis ut Dominum, qui quærentem ſe ſub clientelâ ſuâ recipiat, & patrocinio ſuo defendat. *Eo delectari* eſt hoc ſolo ita acquieſcere, ut nihil in eo deſideres, aut nullum alium *mediatorem* cupias. Hi affectus & hæc ſtudia tribuuntur hominibus Judæis, quos præſens ſermo compellat, quod vox אתם *Vos* confirmat. Qui hoc alloquium concipiunt, ut Sacerdotes compellans, illi hîc ironiam introducunt, & ſatis amaram irriſionem. Quæ dicat *Hic eſt, cujus adventum vos magnopere expetere, & cum ſingulari animi voluptate proſpicere verbis ſimulatis declaratis: dum promiſſionem de ejus adventu perpetuò habetis in ore*; interim impatienti mente eam tam diu differri ingeminatis. Verum cum iſta *ironia* nobis durior videa-

tur: nos potius alloquium dirigi diximus ad reliquias populi, verè ſperantes, qui eum reſpiciebant, ut fidei ſuæ objectum; ejus gratiam *fide quærentes*, atque dignitatem & ſufficientiam ejus *cum voluptate meditantes.* Hinc Meſſias ſperantium fuit *deſiderium & voluptas* 2 *Sam.* 23: 5.

§. 6. De hoc *Domino & Legato Fœderis* in præſenti hoc ſermone affirmat Spiritus Sanctus, quod *derepentè veniret ad templum ſuum.* Promiſſio igitur hæc ſpondet *adventum Chriſti*: non illum adeò, quo veniret in carnem, ſed quo in carne prodiret in publicum, atque munus ſuum toto inſpectante populo auſpicaretur: quo poſt viam à Prodromo ſuo præparatam, remotis ex animo multorum impedimentis, electos ſuos in peculium ſuum colligeret, & filios Levi purgaret: imò quo ſemet in opere præconii ad novum illud fœdus promulgandum manifeſtaret.

§. 7. Additur, eum פתאם *derepentè venturum*, quod Græcis ἐξαιφνης dicitur: Syrus vertit *ſubitò*: ſcilicet proximè à Prodromo ſuo, qui non abiret, quin haberet Dominum è veſtigio ſubſequentem. Judæi hæc malè exponunt per inopinatò, nemine ejus adventum ſentiente, quaſi nemo eſſet cogniturus adventus ejus tempus: cum è contra hujus adventus tempus proximè nectatur cum opere Præcurſoris, qui de ejus acceſſu ad munus ſuum auſpicandum populum præmoneret. *Judæi* ſenſum protractionis adventus ejus extundere ex eâ voce conantes, non attendunt contrà voculam *feſtinationis* notionem includere, quæ infert, ut aliquid *opinione citius* adſit: uti ex uſu vocis conſtat, *Job.* 22: 10. *Pſal.* 64: 8. *Prov.* 6: 15. *Ieſ.* 30: 13. Proin ita potius è veſtigio ſequeretur Præcurſorem, ut citiùs, quam vulgò opinarentur homines, etiam in conſpicuum prodiret.

§. 8.

§. 8. Locus apparitionis notatur, dum venturus dicitur *ad templum ſuum.* Sunt, qui vocem היכל vertant per palatium ſeu baſilicam, atque hic alludi ad ingreſſum regis in palatium ſuum exiſtiment: hoc arripit *Socinus*, atque eam vocis ſignificationem ex 1 *Reg.* 21: 1. & *Dan.* 1: 4. confirmat. Hunc ſenſum præſentem Malachiæ locum poſtulare autumat: quia hîc mentio fit Dominatoris ad jus dicendum venientis, & ut in populo, cui dominaturus erat, omnia componeret. Sed fugit hominem dicti ratio: quoniam in Theocratiâ Dei *templum* palatii & aulæ regiæ habebat rationem, meritò hoc nomen ei fuit impoſitum; quare hîc loci templum deſcribitur, ut palatium ejus, ubi etiam jus diceret: neque *Meſſias*, licet Rex futurus, *palatium* aliud conderet in terris, qui thronum conſcenderet in cœlis, in terris *pauper* futurus.

Neque illi audiendi ſunt, qui *templum hoc* de templo corporis ejus exponunt, ut filii Dei incarnatio ſignificetur: non enim hic agi de ejus adventu in carnem, ſed ad publici muneris exercitium proximè oſtendimus. Scio equidem *eccleſiam* ejus vocari quoque *templum ejus:* aſt ea demum poſt hunc adventum colligenda & ædificanda conſideratur. Ipſe contextus evincit, hîc *templum illud* eſſe intelligendum, in quo filios Levi inveniret miniſtrantes; quos adiret, ut eos conflaret & repurgaret; quod opus ei tribuitur in ſequentibus. Ad *templum* illud materiale veniret Dominus, ut *ſuum:* ex quo rectè colligitur eum eſſe *Dominum templi*, cui hoc templum ad cultum quoque fuerat conſecratum, quodque in ejus gratiam erat erectum, ut tanquam umbra eum referret, ipſe poſtea futurus populo in verum ſanctuarium. Ex quibus conficimus *Chriſtum* non fore merum hominem; ſed etiam Deum adorandum in ſecu-

ſecula; qui cum Deus eſſet ante omnia, homo naſceretur, & natus, in hoc templo ut ſuo, ſe etiam manifeſtaret: à cujus manifeſtatione illud templum majorem acquireret gloriam, quam domus prima unquam habuerat.

§. 9. Oportet etiam ut ex hâc deſcriptione colligamus ſignum temporis, quo *Chriſtus* in populo adeſſe debuit: nempè, quando templum illud, in quo filii Levi cultum Dei adminiſtrabant, adhuc extaret, & nondum à Romanis deſtructum cerneretur. Sentiunt Judæi vim argumenti; quare omnes nervos intendunt, ut hanc ſententiam *ad tertium* rapiant *templum*, quod cum regno Chriſti reſtaurandum vanis exſpectant gemitibus, qui ſecundum templum jam ſedecim ſecula & quod excurrit, ſuis cineribus obrutum vident. Facilè animadvertit gens, ſingulari Dei judicio licet excæcata, ſi ſtante domo Dei ſecundâ vi divinarum promiſſionum adeſſe debuiſſet Meſſias, neminem occurrere, qui loco Jeſu Nazareni ab iis poſſit ſubſtitui: ut alterutrum dicendum illis foret, aut ſcripta, quæ pro divinis habuerunt hactenus, ſpem datam fefelliſſe, aut Jeſum, Mariæ filium, pro Meſſiâ agnoſcendum eſſe, dum ſub domo ſecundâ nemo comparuit præter illum, qui ſe Chriſtum appellari admiſerit. Cauſſam tamen Chriſtianorum hic ſolam triumphare, qui Meſſiæ præſentiam in templo Serubbabelis, ſeu ſecundo juxta ſcripturas Propheticas aſſignandam eſſe poſtulant, facilè demonſtratur. 1. Quia tertium templum nihil eſt, niſi figmentum Judaicum, nullo apto ſcripturarum teſtimonio nixum. 2. Quia ex multimodis in toto hoc Malachiæ libro notatis circumſtantiis ad oculum oſtendi poteſt, adventum Domini ad templum ſuum hîc poni ut ſignum, excidium templi, quod à Serubabele conditum fuit,

fuit, antecedens: judicium enim, quod populo corrupto interminatur in hoc vaticinio, non eſſe judicium mundi univerſale, ſed Judæorum pertinacium (crimina ſua non corrigentium) particulare, à Romanis ſub Veſpaſiani imperio genti iſti pervicaci inflictum, clamat quælibet Scena viſionis: ad hoc judicium ſpectat, quod territorium Edomi ſpectatur, ut *territorium improbitatis*, Deo iram adverſus antiquos ejus colonos perpetuante in ſeculum. *Mal.* 1: 4. Quod Sacerdotum Leviticorum ſacrificia ut ingrata rejiciens, eis munera gentium omni in loco offerenda ſubſtitueret. *Mal.* 1: 10. 11. Quod ſtercus ſacrificiorum feſtivalium in faciem Sacerdotum projiciens, Sacerdotes cum iis auferret *Mal.* 2: 3. Quod tres primorum gentis iſtius ordines ex tentoriis Jacobi exterminaret. *Mal.* 2: 12. Quo ad judicium ipſe teſtis veniret contra ſcelera recenſita *Mal.* 3: 5. Imò illud ipſum fuit judicium, quod terram ipſorum percuſſit anathemate. *Mal.* 4: 6. 3. Nec cum propriis Judæorum hypotheſibus, quæ hic loci dicuntur, templo tertio accommodari poſſunt, quod ut à Meſſiâ reſtaurandum ſibi ſpondent; hic loci tamen concipitur ut ante ejus adventum extans, & filios Levi recipiens, quos inveniret à fæce peſſimorum hominum purgandos. Credunt Chriſtum demum gentem ſuam diſperſam ex hâc captivitate in terram ſuam reducturum: quomodò igitur inveniet in templo ſuo cum adventu miniſtrantes Levitas à malis purgandos, ut retineat ſolum conflatos, qui purum munus, quod ſit munus juſtitiæ, offerant? 4. Accedit, quod *Haggai*, cujus interpretem agit noſter, gloriæ Dei manifeſtationem & *pacem* illam regni Chriſti, in cujus gratiam dominus hic loci *Legatus* fœderis dicitur, *domui ſecundæ* alligaverit. *Hagg.* 2: 10. atque exindè vilioris

Oo

lioris ejus ſtructuræ præ domo priori ſolatium quærat.

§. 10. Hiſce ſubjungit: *Ecce venit* in præterito: ſic dicitur *veniſſe*, qui venturus erat: quod ut ſine contradictione accipiatur, intelligendum eſt de adventu anteriori, alterum adventum futurum confirmante, & propediem poſtulante. Sanè in hâc prophetiâ fit triplicis adventus Domini mentio, quorum prior innuit ejus adventum in carnem, alter ad templum ſuum, ut filios Levi conflaret, tertius ad judicium gentis particulare, quo perfidos exſcinderet. Oportet autem, ut hîc loci intelligamus *adventum*, qui ſecundum antevertat: & ſic traditur, quod mediante nativitate jam adeſſet in carne, antequam ejus Præcurſor mitteretur ad viam ei præparandam, & ipſe ſequeretur cum ingreſſu in templum ad filios Levi conflandos: quod cum non foret pueri nuper nati opus, ſed viri maturioris ætatis, aliquandiu natus fuiſſet, antequam ſe in opere ſui muneris publicè oſtenderet. Hic adventus eſt, qui quandò ſimpliciter ponitur in ſacris, Chriſti ingreſſum in orbem terrarum dicit, à quo inter homines foret numerandus: Conf. *Gen.* 49: 10.

Imò hic adventus eſt, qui includit eum fuiſſe antequam naſceretur, & ex propriâ ſpontaneitate aliundè accedens carnem induiſſe, cum naſcebatur, ut ad munus illud Legati fœderis nobiliori modo exercendum excreſceret. Præfigitur etiam huic effato particula *ecce*, quæ pios ad debitam excitat attentionem, iiſque inconſiderantiam excutere intendit: ſcilicet cum initio miſſionis Prodromi jam aliquamdiu adfuiſſe oportet Chriſtum vi hujus effati: ſed latitaſſe & abſconditum fuiſſe ab oculis vulgi: attamen attentis inquiſitoribus inveniri potuiſſe. Supponitur ergò, quod dum privatam ageret vitam, ante publici muneris ſuſceptionem, nihi-

Digitized by Google

nihilominus ab iis, qui oculos aperirent, & attentâ mente in rem inquirerent, videri & cognoſci poſſet.

§. 11. Hæc tanti momenti dicta, ut firmo ſtent talo, & apud pios fidem inveniant, munit ſpiritus auctoritate Dei, cum addit, *dixit Jehova* Deus *exercituum. Jehovah*, inquam verus Deus, inter Judæos hoc nomine characterizatus, & fidelis in præſtandis ſuis promiſſionibus. Deus *exercituum*, qui angelos habet fidelitatis & viarum ſuarum teſtes, & inter exercitus gentium cupit agnoſci. Ita Spiritus Sanctus provocat ad teſtimonium Dei Patris, dictum hoc ſuum mittentis, ut inter homines propagaretur, & cum ſperantibus communicaretur.

Verſ. 2. *Et quis eſt, qui ſuſtineat Diem adventus ejus? & quis eſt, qui conſiſtet cum is apparebit? nam ipſe erit ut ignis aurificis, & ut ſmegma fullonum.*

§. 1. Progreditur nunc ſermo ad formam apparitionis Chriſti, quam cum ſuo effectu exponit: ubi notat eum non niſi paucis ſuſtinendum, quos exploratos & emundatos ſibi ſervet in miniſterium, & ad uſus ſuos transferat.

§. 2. Repetit dictum *de adventu Chriſti*, intelligens ejus adventum, quem dixerat ad viæ ejus præparationem ſecuturum, quo templum ingrederetur & munus ſuum auſpicaretur. Hunc alligat certo alicui tempori, quod ſub voce *diei* definit: quæ vox ſæpe res notat, in die aliquo definito eventuras.

Deſignatur autem hic dies, ob res, quæ ſimul cum Chriſti adventu fierent, ut multis gravis & infauſtus

Digitized by Google

futurus, Conf. *Amoſ.* 5: 18. Additur *cum is apparebit*, ſeu videndum ſe præbuerit, ita ut in omnium conſpectum ſe publico exponat. Sic viſibili ſub corpore exploratorem hunc humanis oculis aliquandò ſe conſpiciendum præbiturum notat hic Prophetia: & in pluribus aliis id tradunt Prophetæ. Confer *Jeſ.* 52: 8.

§. 3. Difficultas eſt in eo, quod difficilè erit *ſuſtinere* illum diem, & *perſtare.* Occurrit hìc verbum כלכל, quod vulgatus vertit *cogitare*: apud quem legas, *& quis poterit cogitare diem adventus ejus?* àliis tamen in locis hoc idem verbum apud eundem per *ſuſtinere* vertitur. 2 *Chron.* 7: 7. *Jer.* 6: 11. 20: 9. & *Joël.* 2. 11. ubi legitur. *Magnus enim & terribilis valde dies Domini: & quis ſuſtinebit eum?* Ex *Prov.* 18: 14. vis verbi eſt *robur addere*, ſeſe corroborare, quo impetum ſuſtinens non delinquas animo, aut metus tibi omnem fiduciam non eripiat. Eadem animi corroboratio invenitur in bonâ conſcientiâ, quæ nihil metuit ab iſtius Domini adventu, nec ejus explorationem horret. Contra prava conſcientia, hominem arguens, explorantemque ad ſe accedentem videns, eum cum horrore & averſione animi reſpicit.

Alterum verbum עמד *ſtare* priori ſuperaddit effectum bonæ conſcientiæ alterum; quod eſt *ſtationem ſuam* retinere, & exploratorem cum fiduciâ animi exſpectare, ex eâ mentis perſuaſione, quod ab exploratione viſitantis laudem & approbationem reportabit. Cum conſcientia læſa è contrà fugam quærat, & ſemet ab exploratione viſitantis Dei ſubtrahere conetur.

Hæc per interrogationem efferuntur, quâ rogatur *quis hæc ita ſuſtinere poterit ut perſiſtat? & ſe non à communione ſanctorum ſeparet?* quæ phraſis innuit *paucos* eſſe, qui adeo bonâ fruuntur conſcientiâ, ut explo-

plorationem viſitantis læto animo expetere auſint. Interrogatio enim Hebræis nunc ſimpliciter aliquid negat. 1 *Sam.* 6: 20. Nunc difficultatem aliquam denotat, ut *Jon.* 3: 9. Res ipſa oſtendit hîc ultimam obtinere poteſtatem: ut ſenſus ſit vix quenquam in iſtâ exploratione, ut ei adhæreat, permovendum. Conf. *Jeſ.* 53: 1. Supponitur, quod tota etiam Prophetia reſpicit, tam corruptis venturum Chriſtum temporibus, ut *pauci* ſuperſint bonæ conſcientiæ homines: dum *plurimi* ſe ad ingreſſum in regnum cœlorum ineptos fecerint.

Docentur hîc *pii*, adventum Chriſti (de quo ipſis omnia bona ſperanda erant, ut meritò eum deſiderarent) nihilominus conjunctam habiturum *explorationem*, *quam præter ipſos vix ullus ſuſtineat.* Ac per eam *ſeceſſionem carnalium à ſpiritualibus eſſe promovendam.* Hæc *exploratio* ſatis frequens commemoratur in prophetiis.

§. 4. Exploratio autem iſta à comparatione exaggeratur, atque ejus exactitudo confirmatur ex conditione explorantis: *ille enim* (inquit Spiritus) *erit ut ignis aurificis:* ſeu conflatoris. מצרף eſt, qui nobiliora metalla (aurum & argentum) catino impoſita mediante igne ad colliquationem urget, ut à ſcoriis repurget: quippe quæ in ſpumam excoctæ, ad latus recedunt, undè aurum aut argentum purificatum prodit.

Antiquum illud repurgandi nobiliora metalla fuit artificium, quo ab adulterinâ & heterogeneâ liberentur materiâ: à quo pluries in ſacris mutuantur metaphoræ. Conf. *Job.* 23: 10. *Pſal.* 66: 10. *Prov.* 17: 3. 25: 4. *Jeſ.* 1: 26. 48: 10. *Ier.* 6: 19. 9: 7. *Zach.* 13: 9. Concipitur gens Judaica ut juxta cum probis mixturam continens adulterinam & heterogeneam, proborum à reprobis ſeparationem poſtulans, ut partem exploratam ſibi peculiarem in populum adſciſcat

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtus. Sub *auri & argenti* emblemate igitur veniunt ſperantes & in fide patrum perſeverantes; omneſque electi, quos ad fidem euangelii transferendo, ex reliquâ populi fæce educeret Chriſtus. *Scoriæ* autem hic ſunt Symbolum hominum reproborum *Pſal.* 119: 119. atque hìc loci Judæorum carnalium, qui à fidei puritate receſſerant; ac propterea à ſpiritualibus erant ſeparandi. Hoc opus cùm *ignis* perficiat, ipſe *Dominus* comparatus cum *igne*, metalla excoquente, ac omne adulterinum ſive plumbum ſit ſive ſtannum in ſcorias & ſpumam expellente: quod *Chriſtus*, ſuo perficeret præconio, homines quoſcunque coarguente, & ad peccatorum confeſſionem vocante. Undè *electi*, quorum corda quaſi igne ſuccenſa ad reſipiſcentiam colliqueſcerent, per fidem verbum promiſſionis arripientes, ſubſiſterent: *reprobi* autem, præjudicia cordis, & concupiſcentias ſuas amantes, nec Chriſtum opinionibus ſuis conſentaneum cernentes, ab eo ſe averterent. Nota igitur Chriſtum *ſtatu*, *factis*, *& dictis* ad hoc fore comparatum; ut *ingenui* ad illum confugiant: *reprobi* degeneres in ipſo ſcandalizentur, eumque rejicerent: qui ejus reprehenſiones non ferentes, nec propriæ conſcientiæ morſus, in judicium indurationis inciderent, quo ſe expelli ab ejus conſortio ſentirent.

§. 5. Additur porrò, *& ut ſmegma fullonum.* Hebr. *lavantium.* Hærent interpretes circa ſignificationem vocis בורית. Lxx. reddunt ποιᾶ πλυνόντων: *Herba lavantium.* Hieronymus *herbam ſaponariam* exponit ad *Jer.* 2: 22. *quam* dicit *naſci in Palæſtinâ*, *humectis ac virentibus locis*, *atque ad abluendas ſordes eandem vim habere*, *quam nitrum.* Sunt qui herbam hìc indicari volunt, quæ Latinis *Radicula* ſeu herba linaria, Dioſcoridi ϛρέθιον dicitur: quâ uſos fuiſſe fullones in eluendis

dis

dis maculis, & purgandâ lanâ teſtatur *Plinius* L. 19: c. 3. *At quæ vocatur radicula*, inquit ille, *lavandis demum lanis ſuccum habet, mirum quantum conferens candori mollitiæque.* Alii *ſaponem* vertunt: aſt ſaponem ex ſævo & cinere fieri, atque Gallorum eſſe inventum monet *Plinius* Lib. 28: 12. Syrus *tanquam ſulphur dealbans* legit: & fullones apud Romanos ad ſordes eluendas *ſulphure cum cretâ* uſos fuiſſe, docent nos antiquarii. Nos notandum exiſtimamus, quod *Borith* cum *nitro* componatur *Jer.* 2: 22, & ad lotiones adhibeantur, quæ ſordes auferunt, ac nitorem conciliant. Statuunt vulgò Interpretes alluſionem fieri ad emaculationes veſtium, quod fullonum eſt, atque adeò duas hic conjungi ſimilitudines à variis rebus deſumptas. Verum non video, cur tranſeamus ex unâ metaphorâ in aliam: cum applicationem videamus in allegoriâ prioris ſubſiſtere: ſolent enim etiam aurifabri vaſa, ex auro & argento confecta, à fuſione lavare, ut iis nitorem concilient, & ſordes auferant: cui lotioni lixivium, ex ſale alcalico præparatum, adhibere ſolent. Quid ſi ergò *Borith* aut *herbam* notet, cujus cineres ſoluti alcalicum præbent lixivium: aut *lixivium* ipſum, multo ſale fixo imprægnatum. Ita *Chriſtus* ſanguine ſuo lixivium pararet, quo metalla à ſcoriis liberata, porrò emundaret, & illis nitorem conciliaret, poſtquam jam in vaſa fuerint conflata: qui nitor ex meritis ejus prodiret per gratiam juſtificationis, & ſanctificationis, ut tandem evadant *vaſa gloriæ*.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 3. 4. *Et ſedebit conflans & purificans argentum: & purificabit filios Levi, & fundet illos, ut aurum & argentum, & erunt Jehovæ, offerentes munus in juſtitiâ. Et ſuave erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ, ut diebus ſeculi, & ut annis antiquis.*

§. 1. Applicat jam allegoriam, atque *de Domino* teſtatur, quod *ſederet conflans & purificans argentum.* Hæ duæ operationes pertinent ad opus catini; ut *conflare* ſit ignis impulſu metalla ad fluorem reducere; *purificare* verò ſcorias depellere, & ab argento ſeparare: Aurum enim מהור dicitur, quod à ſcoriis & materiâ heterogeneâ liberatum eſt. *Argentum* notat hîc qualeſcunque omnium tribuum *electos*, ad reſipiſcentiam & fidem excoquendos, & à communione pravorum ſeparandos. In eum finem dicitur, quod *ſedebit*: qui geſtus corporis paſſim *Doctoribus & Judicibus* in ſacris tribuitur: utrumque etiam Chriſto competit, qui ſimul & *Doctor & Iudex* foret, atque in illâ conflatione ac purificatione utroque munere fungeretur; ut *doctor* ſuos emendaret & ad ſe traheret: ut *Iudex* reprobos in alienam mentem traderet, atque indurando foràs ejiceret. Quibus hoc ſubtiliùs videtur, illi verbum *ſedendi* hìc accipiant pro totâ applicatione ſui ad hoc opus, quod Domino tribuitur: ſicut enim aurifaber hoc agens, *conſidet*, atque omiſſo omni alio opere huic incumbit, ac totus vacat. Ita etiam *Chriſtus ad templum ſuum veniens* totus videretur in hoc opere: qui id nón quaſi obiter

Digitized by Google

obiter & perfunctoriè ageret, ſed ut opus muneris ſui cum omni virium intenſione perficeret.

§. 2. Præprimis hìc ſpecificat Spiritus *filios Levi*; non quod illos ſolos attingeret, ſed quod inter omnes hos præprimis curaret: ut *vau* copula hìc exerceat poteſtatem exegeticam. Proin *filii Levi* hìc reliquis adduntur. Horum autem expreſſa ſit mentio, quoniam viſiones anteriores Deum perpetuò exhibuerant, ut *Sacerdotes ac Levitas* accuſantem ac damnantem: quos ut corruptionis populi fontes & auctores atro notaverat carbone. Quid ergò fiet cum genuinis *filiis Levi* dicat aliquis? Hos docet *conflando purificandos* ſeu ſeparandos eſſe ab iſtis ſcoriis. Scio equidem nonnullos hìc per filios Levi intelligere quoſcunque eccleſiæ doctores & miniſtros. Sed mihi ſimpliciſſimum videtur, ut hìc intelligamus *genuinos Levi filios*, quales adhuc ſupponuntur etiam cum reliquiis populi ſuperſtites.

§. 3. *Et eos* (ita à ſcoriis liberatos ac purificatos) *fundet*, dicit porrò Spiritus. Verbum זקק hic videtur verbum artis, atque ulteriorem notare præparationem filiorum quorundam Levi: quo Domino ad ſcopum ſuum evadant utiles. R. David Kimchi *ſignificationem fuſionis* ei tribuit: quâ colliquatum funditur, ut prioribus figuris exutis novas aſſumat. Solent enim aurifabri normas & modulos adhibere, metallum fluens & effuſum recipientes, in quibus juſtam vaſorum formam & figuram induat: atque hoc modo ex auro vaſa fiunt, in varios uſus reponenda. Inter theſauros templi varia numerabantur ex auro & argento confecta vaſa, ſeu homines variis donis inſtructi, à quibus qualeſcunque partes miniſterii adimpleantur; ne quicquam ad ædificationem eccleſiæ in populo Dei deſideretur. Quorſum in hoc effato alludi autumem.

Digitized by Google

§. 4. Ita præparati *filii Levi*, nunc porrò exhibentur ut applicandi miniſterio: *& erunt Jehovæ*, nempè conſecrati, & ad ejus miniſterium inſtructi, atque obligati. Hunc ſenſum accentuatio poſtulat, quia accentus major ibi juſtam pauſam facit.

§. 5. Miniſterium autem, illis deſtinatum additur, dum dicuntur fore *offerentes munus in juſtitiâ* מַגִּישֵׁי בִּצְדָקָה מִנְחָה. Reſpicit hic Spiritus *ad munus illud purum*, quatenus foret ſacrificium ſpirituale N. T. de quo pluribus egimus *Cap.* 1: 11. & quidem in oppoſitione ad *panem impurum*, quem nuper Sacerdotes altari Jehovæ impoſuiſſe accuſantur. *Cap.* 1: 7. Hoc ipſum confirmat adjectio vocis בִּצְדָקָה *in juſtitiâ*; ſolet enim iſta periphraſis ſacrificia N. T. à ſacrificiis legis diſtinguere; Conf. *Pſal.* 4: 6. 51: 19. Niſi quis potiùs referre velit ad *Levitas*, eoſque concipere, ut *juſtitiâ* indutos, quæ eſt *juſtitia Chriſti imputata*, accedentes ad Deum gratos faciens, ut illi ſint *juſti in fide ejus*: *Hab.* 2: 4. Ita Dominus ipſe vocatur *Jehovah juſtitia noſtra*: *Jer.* 23: 6. 33: 16. Reſpicit fortè dictum Pſaltis, *Pſal.* 132: 9. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ.* Conf. *Jeſ.* 61: 10. Ubi *pallium juſtitiæ* ad ornatum ſacerdotalem refertur. Quandò ergò *juſtitiâ induti munus* offerunt; concipiuntur iſti ex jure Chriſti Deo in gratum cibum commendare, quos fides in Chriſtum purificavit. De voce מַגִּישִׁים vide ad *Cap.* 1: 7. ſub quâ etiam miniſterium Levitarum comprehendebatur, qui munera accipiebant, & ad ſacerdotes altari adſtantes deferebant.

§. 6. Conſequens miniſterii eorum promittitur ſatis amplum, quandò verſ. 4. ſubjungitur; *& ſuave erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ.* Intellige, quotquot ex Judæis & Hieroſolymitanis adducentur ad fi-

Digitized by Google

fidem : atque ita commendabuntur precibus Deo : qui erunt loco muneris & ſacrificii ex panibus. De iis prædicatur, *hoc* munus *ſuave fore Jehovæ.* Vox ערב metaphorica eſt, ac *ſuavitatem* notat, quæ eſt in cibis, ita Salomo *Prov.* 20: 17. *Suavis eſt homini panis mendacii.*

De ſacrificiis legalibus Judæorum improborum negatur Deo fuiſſe *dulcia. Jer.* 6: 20. *Hoſ.* 9: 4. quare etiam hic notari ſacrificia N. T. ſpiritualia putandum eſt : in quibus fides rem Deo gratam facit.

§. 7. Additur autem *ut diebus ſeculi, & ut annis antiquis.* Per *dies ſeculi* intelligere licet tempus promiſſionis, quo ſacrificia Habelis, Noächi, ac cæterorum Patriarcharum per fidem Deo grata fuiſſe tenemus. *Per annos antiquos* intelligere videtur tempus legis, quandò cultus Moſaicus vigebat puriſſimus; à quâ puritate poſteriores turpiter deſciverant. Obſerva *Caph* ſimilitudinis non ſemper in ſacris notare æqualitatem, ſed interdum convenientiam & ſimilitudinem qualemcunque : ut tamen plus ſit in ſubjecto, quam in exemplo: atque verti poteſt *non minus quam.* Sic ſenſus erit Deum hoc munus non minus gratum habiturum, quam unquam teſtatus eſt ſe habuiſſe grata munera veterum piorum; imò potius longè acceptius fore hoc munus Deo, quam unquam fuerunt munera priorum, quantâ quantâ licet cum ſimplicitate cordis, puritate vitæ, promptiſſimaque animi devotione oblata : quæ Deo ſuaviſſimum dicuntur exhalaſſe odorem : ut legitur *Gen.* 8: 21. *Exod.* 29: 18. Simili modo ampliora promittuntur in comparatione ad præterita : *Ieſ.* 1: 26. *Ier.* 46: 26. *Thren.* 5: 21. *Amoſ.* 9: 11.

§. 8. Quæ hic eum in modum promittuntur, non ſpectant ad vulgaria Sacerdotum Judaicorum ſacrificia,

 ſed

ſed ad *Levitarum*, ab iis ſeparatorum, munia; qui gratiâ Dei in Chriſto ſanctificati hoc agerent in novo populo; in quo ſacrificium cordis curarent; atque ita corda filiorum ad patres reducerent.

Verſ. 5. *Et accedam ad vos propinquius ad judicium, & ero teſtis velox contra magos, & contra adulteros, & contra perjuros, et contra fraudantes mercedem mercenarii, viduam et pupillum, et declinantes advenam, et qui non timent me, dixit Jehovah Deus exercituum.*

§. 1. Tandem oſtendit, quid poſt iſtam præparationem eſſet futurum; factâ enim iſtâ ſeparatione inter populum carnalem & ſpiritualem, monet omnia *ad judicium* (de quo mota erat quæſtio) fore parata, & ipſum Deum judicii acceſſurum propinquiùs, ad ſententiæ ſuæ exſecutionem. Ut ſic erudiantur pii per oraculum Dei: quandò venturus ſit ille dies, & quomodò? idque hoc in loco cum iis communicatur, ut habeant, quæ ad quæſtionem *ubi eſt Deus judicii?* reponant.

§. 2. Caput reſponſi eſt: *&* (aut *tunc*) *accedam propinquiùs ad vos ad judicium.* Objectio Legiſperitorum, pios in Deum delaſſans fuerat; quod *Deus judicium* diutiùs *differret*, quam oportebat, ſi credendum ſit jam ante ratam fuiſſe apud eum condemnationis in Sacerdotes & Levitas ſententiam. Nunc verò indicat in anterioribus eſſe indicatam cauſam iſtius moræ atque dilationis, quæ quam primum ceſſaret, eum quoque incitaret ad properandum. Copula *vau* ſæpè tem-

pus

Digitized by Google

pus conſequens notat: ergo peractâ ſeparatione illâ, & ſtatuminato cultu N. T. *tunc accedam propinquiùs.* Verbum קרב notat *appropinquare*, & propinquiùs accedere: quod de Deo impropriè dicitur, qui non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm. Verum ut *Judex* accedit, quandò initia judicii admovet. Hic *Judex* eſt Deus pater, vindicem gloriæ filii ſui, & cauſſæ credentium acturus. Quandò dicit *ad vos accedam tunc propinquiùs*, non intelligo eos, qui pœnas darent; ſed quorum cauſſam ageret, puniendo hoſtes illorum: quoſque à puniendorum afflictionibus liberaret. *Ad judicium*, inquit, ſcilicet exſequendum: non aliter ac ſi ſe in populo ſuo manifeſtaret, ut qui inter defenſiones ſuorum fulminaturus eſſet in hoſtes.

§. 3. *Et ero*, inquit oraculum Dei porrò, *teſtis velox.* Deus *ſe teſtem* declarat æque ac *Judicem. Teſtis* eſt in foro humano, qui ad reorum convictionem vocatur, ut actionis pravæ juxta cum reo conſcius. Talibus teſtibus non eget Deus, ipſe omniſcius, & homines intimè perluſtrans, explorator renum & cordium. Ita Deus ut *teſtis* allegatur *Ier.* 29: 23. *Ego ſum Iudex & teſtis.* Conf. *Iob.* 16: 20. in bonum; & in malum. 1 *Sam.* 12: 5. Additur *velox*, qui ambages non quærit: in convincendo efficax, etiam in momento, in condemnatione publicâ feſtinus, in ſupplicio inferendo opinione citiùs omnia mala ferè ſimul immittens. Si enim *ipſe teſtis eſt*, inquiſitione non egens, nulla erit in exſecutione pœnæ mora, aliundè exſpectanda. Ipſas convincet ſine ullâ ſermonis prolixitate conſcientias, & convictos juſtis ſuppliciis ilicò obruet. Qui teſtis eſt, cujus ſcientiam nemo effugit; ille etiam *Iudex* erit, cujus ſententiam & ſupplicium nemo ſanè ſubterfugiet; ut nihil reſtet, niſi prompta & feſtina judiciorum exſecutio.

Digitized by Google

§. 4. Hinc catalogum conficit ſceleratorum, in quos pœna judicii irrueret; ſub quâ deſcriptione latent etiam crimina, iram illam Dei provocantia: in quo catalogo videas recenſeri, qui audiunt

1. *Magi*, ſeu præſtigiatores, מכשפים, qui incantationibus & præſtigiis agunt; qui videri vellent miracula Chriſti ſe poſſe eludere. Sicuti Moſi in Ægypto res erat cum Magis, argumentum à potentiâ Dei (quem Moſes ut Legationis ſuæ auctorem allegabat) enervare laborantibus: ita quidam artibus ſuis magicis hîc pinguntur, inter primos regni Chriſti hoſtes collocati; hoc agentes, ut omnem attentionem à miraculis Chriſti & diſcipulorum ejus avertant, atque admirationem, indè natam, ſufflaminent.

2. *Adulteri* ſecundo loco notantur; ſub quo nomine veniunt, quotquot copulam viri cum unâ uxore in carnem unam tam opere, quam ſpiritu violant: quale crimen in Polygamiâ, divortiis, & repudiatarum connubiis committebatur palam: in matrimonii uſu non recto, ſemen Dei non quærente, qui finis ſolus vagas coërcet libidines, idem fiebat obtectè & in hominum animis. Ex pravo hoc fonte tam perverſa iſti tempori foret progenies.

3. *Perjuri* ſequuntur; quales ſunt homines doloſi & fallaces, jurisjurandi formulis, quas non obligare ad fidem ſtatuebant, homines decipientes, & quovis modo jusjurandum non ſervantes, quod hominum eſt, per fas & nefas terreſtria quærentium: atque ita tertium Decalogi præceptum, licet ſub ſeveriori comminatione intimatum, temerè tranſgredientium.

4. *Fraudantes mercedem mercenarii*, nec non *viduam & pupillum* quarto loco apponuntur: quod eſt hominum injuſtorum, imbelles ſuo jure deſtituentium,

& the-

Digitized by Google

& theſauros improbitatis ſibi, licet ſub ſpecie quâdam juris, accumulantium. Qualia vitia contra ſanctam legem commiſſa, eo magis ſunt deteſtanda, quo ſeveriùs à Deo increpantur.

5. *Declinantes advenam* notantur porrò. Quidam hæc vertunt, *inclinantis jus peregrini*, atque vocem משפט per breviloquium hîc omiſſum, ex lege *Deut.* 27: 19. eſſe ſubintelligendum volunt. Metaphorum ajunt à librâ deſumptam, quæ ſi in alteram inclinet partem, vituperatur. Ita accuſatio in iis *judicium* notabit *iniquum*, ex odio contra peregrinos, etiam ubi cauſſa eorum erat optima, pronuncians. Aliàs notare poteſt proſelytarum corruptionem, dum iis peſſimè abutuntur ad pravorum conſiliorum exſecutionem.

6. Addit: *& qui non timent me*; id eſt, qui nullo timore Dei correpti omnia ſcelera effuſè perpetrant.

Verſ. 6. *Quoniam ego ſum Jehovah, qui non mutor, etiam vos filii Jacob non conſumpti eſtis.*

§. 1. In his dictis invenio Spiritus Dei epiphonema, quo veritatis & conſtantiæ gloriam ſibi vendicat; atque iſtis ſuis virtutibus radicatam fuiſſe ſeminis Jacobi conſervationem oſtendit: in cujus rei gratiam Deus nunc tolerantiam exercet, nunc iterum ſuis ſeparatis erga pertinaces μακροθυμίαν ſuam abrumpit.

§. 2. *Ego*, inquit, *ſum Iehovah*: quæ enunciatio frequens cum ſit in ſacris, ſingulis in Deitate perſonis competit. Qui ergò hîc loquitur, eſt *Iehovah*, verus Deus Iſraëlis, ſub hoc nomine proprio ab omni creaturâ omnibuſque Diis falſis diſcretus. Eſt tamen alius à legato fœderis, cui teſtimonium præbet: & alius à Patre

tre legante, cujus verba allegat: ac proindè eſt tertius ab utroque, qui ſub nomine *Spiritus Iehovæ* in ſacris innoteſcit: atque ipſe etiam *Iehovah* appellatur.

§. 3. Addit לא שניתי, quod per ellipſin relativi אשר poſitum concipi poteſt: quare ob majorem rei evidentiam verto, *qui non mutor*. Eſt in ipſâ nominis יהוה ſignificatione incluſum quoque, præter alias Deitatis perfectiones, præſtantiſſimum *immutabilitatis* attributum: quod cum effato ſuo tanquam fundamentum ſubſternere intenderet Spiritus, totidem verbis hic ſubnectit, & apponit, quo attentionem auditorum ad illam perfectionem divinam plus acuat. Sicuti *Deitatis* eſt *non mutari*: ita *Iehovæ eſt*, *juxta iſtam perfectionem agere*, quippe qui eam jam ab initio gentis declaravit ſalutare fœderis ſui fundamentum fore, & hoc peculiare ſibi formaſſe conſilium, ut in omnibus viis ſuis ſecuturis ſe quâ talem præſtet, teſtatus eſt. *Exod.* 6.

Hæc Dei immutabilitas, non ſolùm conſtantem omnium perfectionum in ente neceſſariò exiſtente dicit poſſeſſionem; ſed ſe extendit etiam ad cogitationes & conſilia ejus, quæ à nullo caſu intervertuntur. *Num.* 23: 23. *Pſal.* 33: 11. *Prov.* 19: 21. *Ieſ.* 14: 27. quæ *conſtantia amoris Dei* jam in principio vaticinii apud Prophetam noſtrum defenſa ſpectatur; efficiens, ut *fœdus Dei æternum* præſtet חסדי דוד הנאמנים *Ieſ.* 55: 3. Magnam iſtorum ſtudiorum partem cùm ad œconomiam Spiritus Sancti pertinere edocti ſimus, facilè agnoſcimus, ut ex ejus *immutabili benevolentiâ* derivanda ſint, quæ ad electorum ſalutem faciunt.

§. 4. Talis hic illatio cum fiat, emphaſis dictorum benè perpendenda eſt: non enim ſimpliciter dicit, *Vos filii Iacob non conſumpti eſtis*: ſed præterea fontem aperit: particulæ enim כי & ו ſibi mutuo reſpondentes,

cau-

Digitized by Google

cauſam iſtius effectus indicari, innuunt: quare *vau copula* in tali poſitione reddi ſolet *propterea.*

Filii Iacob non audiunt qualeſcunque ejus poſteri, quorum pars longè maxima erat degener ætas, *filii in quibus nulla fides*, *Deut.* 32: 20. ſed illi ſolum, qui erant *filii promiſſionis*, quos ſe dilexiſſe, & etiamnum diligere dixerat *Jehovah*, *Cap.* 1: 2.

Hos monet *non fuiſſe conſumptos.* לא כליתם. Verbum כלה uſitatâ ſuâ ſignificatione talem rei conſuptionem notat, ut nihil è re ſuperſit.

Valde imminutus erat piorum numerus, bonis morte decedentibus, malis autem eorum loco ſuccreſcentibus; imò etiam corruptâ rerum facie judicium excidii poſtulante, dum paucitas reliquiarum genti judicandæ ita erat immixta, ut nil præter commune exitium eſſet metuendum. Supponit ſæpiùs incidiſſe in periculum conſumptionis gentem univerſam, niſi hoſtibus frenum fuiſſet injectum; & pœna, ab impiis promerita, fuiſſet ex peculiari Dei conſilio dilata.

Gratia ergò, conſumptionem avertens, erat *gratia Spiritus Sancti*, tempus tolerantiæ poſtulantis; ut electos convertat, converſos ſub exploratione confirmet, exploratoſque in tuto collocet, ne cum malis pereant *Gen.* 6: 3. Conf. *Thren.* 3: 22: 23.

§. 5. Quia autem *non mutatur* Spiritus Sanctus, ut à gratiæ propoſito & ſtudiis ſalvandi electos recedat unquam: hinc profluxit, quod remanſerint ſemper ſanctificati filii Jacob: nec paſſus ſit eos aut ab artibus ſeducentium aut à ſtudiis hoſtium abſumi, aut malorum pœnis implicari ad conſumptionem. Verum potiùs, quicquid dicant tentationis delaſſantis auctores, *ubi eſt Deus judicii?* quo Deum irritent ad maturandum ſuum judicium: hoc effecit ſuâ interceſſione, ut conſumptio

non facta ſit : ſed eorum ratio habeatur , per ſeparationem à communione puniendorum (quo illud judicium evadant) ſolam manifeſtanda.

VIS ET EFFICACIA RATIOCINII DEMONSTRATA.

§. 1. QUoniam hic ſermo objectionem Legis peritorum ſolvit ; atque in ipſâ illâ ſolutione multa dicit , quæ ad fidelium inſtitutionem , multa quæ ad eorundem conſolationem faciunt ; oportet , ut vim objectionis ejuſdemque ſolutionis ritè percipiamus , benè perpendere , quâ in re nervus objectionis quærendus ſit. Probare conantur pervicaces illi Judaicæ gentis duces ſeu doctores , populum hujus temporis per doctrinam ſuam non ita corruptum eſſe, nec tantæ perfidiæ reum , pro ut antecedens accuſatio præ ſe ferebat; nec in allatis ſpeciminibus reatum iſtum committi , aut commiſſum , quem ita exaggeraverat accuſantium Hyperaſpiſtes : quod ex eo adſtruere conantur , quia non ſolum nulla exſtant indicia diſplicentiæ divinæ : ſed potius variis modis probet Deus ſuam in populo Judaico complacentiam. Non peccatum fuiſ-

ſe

Digitized by Google

ſe in fœdere cum Romanis contracto: quoniam ejus pacis fructus fuerint ampliſſimi; Romanos enim genti Judaicæ præſtitiſſe ἀυτονομίαν, ſecuritatem ab hoſtibus, illorum auctoritate ab omni hoſtilitate refrænatis, nec non omnem divitiarum affluentiam: imò ejus conſequens fuiſſe, ut Pontifices priſtinâ in populum poteſtate gaudeant. Proin ſi accuſati forent tam impii homines, atque accuſatio vult; dicendum eſſe (quod abſurdum) Deum malis benefaciendo teſtimonium dare, quod boni ſint in oculis ejus: aut, ſi temporalem hanc proſperitatem tribuendam eſſe ſtupendæ Dei tolerantiæ, putes: rationes eſſe proferendas, cur Deus judicii poſt tam diutinam tolerantiam ſe nondum exhibeat ſceleſtiſſimi, ut vultis, fœdifragii vindicem? quæ cum dari nequeant, concludendum eſſe, quod Deo minimè diſpliceant, qui tantis benedictionum divinarum gaudent fructibus, benevolentiæ Dei teſtibus.

§. 2. Hunc nodum videas ita dilui divinitùs inter bonos, ut ſermo cauſas iſtas efflagitatas divinæ tolerantiæ aperiat; oſtendendo iniquam illam inſultationem ex ignorantiâ ſignorum temporis profluxiſſe. Poſtulabat enim *dies excidii*, ut antequam adſit, & digna ſceleribus ſupplicia inferat, mittatur *Meſſias* cum ſuo prodromo; & ante templi ſubverſionem, unà cum everſione reipublicæ comminatam, ad templum ſuum veniat Dominus templi, unà cum prodromo ſuo: ac ſibi ex poſteris Jacobi colligat electos, in ſuum peculium à carnali gente ſeparandos, ne judicio excidii cum improbis eorumque malis implicentur. Hunc rerum nexum cum Prophetæ, conſilii Dei interpretes, aperuerint: fruſtra adverſarios poſtulare, ut Deus judicium ſuum, in fœdifragos definitum, præcipitet, innuit.

§. 3. Ad quæſtionem ergò *ubi ſit Deus judicii?* reſpon-

ſponſum præbere Deum nunc monet, dum jubet reſpicere prodeuntem in publicum poſt illam adverſariorum irritationem Prodromum Chriſti, prophetam divinitùs miſſum, nec non ipſum Dominum, filios Levi conflare laborantem: qui accuſationem factam, ut legati Dei confirmarent, continuarent, & ſigna temporis recluderent; indicaturi proximè ab ultimis his ſuis monitis, eos, qui ſe non converterent, in diem iſtius iræ fore relinquendos, & promeritis ſuppliciis delendos. Qui ergo erudiri velit, *ubi ſit Deus judicii?* ille revocandus erat ad animadverſionem ſigni temporis, quo illa diſtantia facile erat menſurabilis: erat enim Deus ille à tergo hujus moliminis, ab opere iſto conflationis & collectionis electorum ex iſto populo proximè ſecuturus.

§. 4. Si cauſas iſtius tolerantiæ velint; tenendum illis erat dilationem illam fieri *propter electos in populo*, Spiritu Sancto ſuper eos, ſicuti olim ſuper mundum antediluvianum, deliberante, & judicium ſeveritatis quoad exſecutionem differri volente, donec *veri filii Jacobi*, populus electus, eſſet ad Chriſtum adductus, & ab impiis ſeparatus, quem iſto judicio, ſicuti olim Noachum è diluvio, & *Lothum* ex interitu Sodomæ, ereptum volebat. Hoc autem moliri Spiritum Sanctum erudiuntur propter immutabilitatem ſuam, amoris æterni conſtantiam præſtantem: qui enim Abrahamo & Jacobo ſemen addixerat, quod in Chriſto juxta cum gentibus quarumcunque regionum *benediceretur*, illius erat curare, ut ſemper pars populi ſupereſſet ſanctificata, & permaneret pars ſanctificanda, quam nullæ adverſitates conſumerent: quæque ergo, ne cum damnatis pereant, neceſſariò in anteceſſum divinâ auctoritate ex corruptiſſimâ Synagogæ communione ad exitum

erat

erat evocanda, ſeparanda, & ita in tuto collocanda, ut Judæorum pervicacium ſuppliciis non implicetur. Judicent nunc, an non graviſſima fuerit Deo cauſa tolerantiæ ſuæ exercitium, licet in corruptiſſimo tempore, ita poſt adventum Chriſti protrahendi?

DEMONSTRATIO

Rei divinæ per

EVENTUM.

§. 1. HÆc omnia ad amuſſim fuiſſe adimpleta per ea, quæ hiſtoria N. T. *de Jeſu*, Mariæ filio, domino noſtro, enarrat, nobis per collationem vaticinii cum iis, quæ in euangelio narrantur, nunc oſtendendum eſt: ac primo loco eum veniſſe in publicum dicto cum apparatu ſeu præparatione: habuit enim prodromum, omnes characteres propheticos, hic loci deſignatos, accuratè referentem, *Johannem Baptiſtam*.

I. Fuit ille *Johannes Baptiſta* (ita à Baptiſmi adminiſtratione cognominatus) vir optimus, Zachariæ ſacerdotis ex claſſe Abiæ filius, ex Elizabethâ matre oriundus. Quod ne quidem ipſi Judæi inficias ire poſſunt: de eo enim hæc apud *Joſephum* hiſtoriographum Judaicum, Ant. L. 18: 7. legimus, ubi *Herodis Antipæ* Tetrarchæ vitam & geſta deſcribit. *Iohannem*, inquit ille, *qui Baptiſta cognominatus eſt. Tetrarcha neca-*

necavit, virum optimum, Iudæos ad virtutum ſtudia & imprimis pietatis ac juſtitiæ, ſimulque ad Baptiſmi lavacrum excitantem: quod ita demum Deo gratum fore ajebat, ſi non ab uno tantum alterove peccato abſtineant, ſed animis prius per juſtitiam mundatis addant & puritatem corporis. Cumque magni concurſus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ avidâ, Herodes veritus ne tantâ hominis auctoritate defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex ejus conſilio, judicavit ſatiùs eſſe, priuſquam novi quid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere: itaque vinctum miſſum in Machæruntem illic occidi imperat: quod factum ſecuta eſt Iudæorum exiſtimatio, ab irato Deo perditum eſſe Herodis exercitum. Neque de hiſtoriâ dubitant Judæi poſteriores; auctor enim Chronici Regum templi ſecundi hiſtoriam eandem hoc modo refert. *Antipas etiam impiè egit, & abominanda patravit præ omnibus, qui ante ipſum fuerant: quippe accepit uxorem Philippi fratris ſui à ſub poteſtate ejus, quæ jam ante ei pepererat: redarguit autem ipſum ob hanc abominationem R. Iohannes, ſacerdos Magnus, & percuſſit eum Antipas, ac morte eum affecit.* Hos ſecutus longè poſt, R. David Ganz, auctor libri Tzemach, qui rem ita refert. *Herades Antipater, quem nonnulli Tetrarcham appellant, fuit filius Herodis primi, frater Archelai, fuitque rex tertius de familiâ Herodis. Etiam iſte fuit impius peſſimus, & viæ perditor, plurimos ſapientum Iſraëlis percuſſit gladio; & accepit uxorem fratris ſui Philippi, eo adhuc vivente, ſibi in uxorem. Iohannem verò ſacerdotem magnum, quod ob hoc facinus eum redarguiſſet, interemit gladio, cum plurimis ex ſapientibus Iſraëlis.*

II. Suſcepit ille hoc opus, quod apud Prophetam no-

noſtrum vocatur *præparatio viæ Domino*, rem ita interpretante Spiritu Sancto; egit enim, ne Judæis quidem in allatis eorum teſtimoniis diffitentibus, *rigidum & intrepidum caſtigatorem morum*, qui ne quidem hâc in cauſâ Tetrarchæ, terræ Domino, pepercit: egit *Doctorem in populo*, *& reformatorem*, ſub baptiſmi ſignaculo populum *ad reſipiſcentiam* vocantem, & ad fructus proferendos, reſipiſcentiâ dignos, obligantem; id eſt, *ad pietatis & juſtitiæ ſtudium*, uti eſt apud *Joſephum:* quod tam piè, tam ſeriò, tantâque patefactione ſui apud hominem conſcientias peregit, *ut magni concurſus ad eum fierent:* eamque ſibi conciliaverit *auctoritatem*, ut *iſtius doctrinæ avidi* penderent *ex ejus conſilio. Joh.* 5: 35. dicit *Chriſtus*, quod *ad parvum tempus ſe exhilaraverint in ejus luce. Matth.* 21: 26, dicitur, quod *turba* communiter *Iohannem* cenſuerit *Prophetam fuiſſe*; etiam poſtquam Herodis gladio fuerat ſublatus. Specimina prœconii, quo populum *ad reſipiſcentiam*, & ad morum correctionem hortatus fuit, exſtant in euangelio *Matth.* 3: 7 10. *Luc.* 3: 7-14. ex quibus conſtat, quod non contentus externâ pietatis larvâ, valdè hypocriſin perſtringens, docuerit *non ab uno alterove peccato tantum abſtinendum, ſed animis priùs per juſtitiam mundatis addendam eſſe puritatem corporis*; uti Joſephi teſtatur narratio. Neque ſanctiori modo via præparari Chriſto ingreſſuro proximè concipi poteſt, quàm homines ad ſanctam concupiſcentiarum carnalium & præjudiciorum ſapientiæ humanæ exutionem revocando; quæ ſola poterant receptioni Chriſti eſſe impedimenta & obſtacula.

III. Peregit quoque hoc prœconium reſipiſcentiæ cum indicatione rationis temporis, eam tunc præſertim flagitantis, monens *regnum cœlorum adventare*, & eſſe

Digitized by Google

eſſe præ foribus, atque ſe *reſipiſcentiam* illam efflagitare, ut parati ſint ad ingreſſum in cœleſte illud regnum Chriſti: ſumma enim prœconii ejus contracta exhibetur, his verbis, *Matth.* 3: 2. Μετανοεῖτε ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεια τῶν ȣρανῶν. Ut totum ſuum miniſterium propter Chriſtum ſuſceptum fuiſſe indicaret, ac populus intelligeret ſe prœconium reſipiſcentiæ urgere, ut eorum animos ad excipiendum Chriſtum præparet: monuit turbam, ne putaret ipſum eſſe Chriſtum, ſed *venire poſt eum, cui non erat dignus corrigias ſolvere, quippe major ipſo:* qui à ſe baptizatos aquâ *baptizaret ſpiritu:* addens ipſum ad ſeparationem in populo faciendam venire, ſub emblemate agricolæ, vanno triticum à paleis ſeparantis: quod propheta ſub emblemate conflatoris dixerat. Conf. *Matth.* 3: 11. 12. Imò ille ipſe eſt, qui etiam adventantem *Ieſum*, à quo eum cognovit, ut ſe majorem excepit, & ſuo teſtimonio ſemel atque iterum ornavit. Prius factum, cum ſub primâ ſolenni baptiſmi adminiſtratione apud Jordanem eum exciperet. *Matth.* 3: 13-17. Teſtimonia autem, quæ Jeſu publicè dedit, præclariora, ſub ſecundâ ſolennioris baptiſmi apud Bethabaram, & tertiâ in Enon propè Salim factâ adminiſtratione, attentâ lectoris perpenſione digna ſunt; quorum unum legere licet *Ioh.* 1: 19-34. quo Jeſum declaravit *agnum Dei, portantem peccata mundi, & filium Dei:* alterum extat *Ioh.* 3: 25-36. quo eum declaravit *ſponſum eccleſiæ*, ſemet verò ejus paranymphum: *eum loquentem deſuper, & verba Dei, oſtentans,* imò *filium Dei, cui pater omnia tradidit in manum:* quare *credentem in ipſum habiturum vitam æternam: refragantem verò ei, non viſurum vitam, ſed iram Dei manſuram ſuper eum, affirmavit.*

IV. Quæ ille non fecit proprio motu aut conſilio: ſed

Digitized by Google

ſed ut LEGATUS DEI, in eum finem miſſus; undè in noſtro vaticinio dicitur מלאך id eſt, *angelus ſeu legatus Dei:* hæc autem legatio ejus divina ad opus prodromi Chriſti curandum, conſtat partim ex modo nativitatis ejus, partim ex diſtinctâ ejus vocatione ad munus baptiſmi. Non fuit ille natus, imò ne quidem conceptus, niſi poſt præmiſſum & delatum ad patrem, in templo thura adolentem, oraculum, quo *Angelus Gabriël*, ejus conceptionem prædicens, *futurum ejus miniſterium*, prægnanti exponit ſermone *Luc.* 1: 14-17. quem pluribus explicuit parens & adumbravit *Luc.* 1: 76-79. Verum abhinc, cum ad maturam veniſſet ætatem, huic ſuperacceſſit verbum expreſſæ vocationis divinæ, à quo initium euangelii factum eſt. *Luc.* 3: 1. 2. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου, Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυζανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, ἐπ' Ἀρχιερέων Ἀννὰ καὶ Καϊάφα, ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν τοῦ Ζαχαρίου υἱὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Hinc ipſe Johannes in teſtimonio ſuo ad Bethabaram *Joh.* 1: 33. ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν, οὗτος ἐστὶν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Et rurſus *Joh.* 3: 28. ſe teſtatum fuiſſe dicit, ego non ſum Chriſtus, ſed ἀπεσταλμένος εἰμὶ ἔμπροσθεν ἐκείνου. Manifeſtò alludens ad verba textus, quæ in noſtro vaticinio leguntur. Sic dicitur etiam *Joh.* 1: 6. *extitit homo miſſus à Deo*, de Johanne. Quare verba Prophetæ noſtri etiam haud malè alligantur & applicantur *Johanni* in noſtro Euangelio. *Matth.* 11: 10. *Marc.* 1: 2. *Luc.* 1: 76. 7: 22.

§. 2. *Jeſus* ipſe, quem *Johannes*, ut ejus Prodromus, jure divinæ vocationis, & ex divinâ revelatione

declaravit eſſe dominum illum, & filium Dei, etiam proximè eum, atque è veſtigio ſecutus eſt: qui *ingreſſus templum*, ut domum patris ſui, ipſe ſe geſſit, ut dominum templi, *ex quo expulit oves & boves, nec non collybiſtas. Joh.* 2: 15. 16. quod & alterâ fecit vice: *Matth.* 21: 12. ſicuti & *quotidiè conſedit inter homines docens in templo*, *Matth.* 26: 55. Nec diſſimulavit, profitens *ſe templo majorem*; *Matth.* 12: 6. ſcilicet ut *Dominus templi*. Imò in ipſo quoque templo partem tentationis ſuſtinuit & ab angelis adoratus fuit, *Matth.* 4: 5-7. *Eveſtigio* inquam, nam ſub primâ, quam in ſolenni confluxu populi celebravit, baptiſmi adminiſtatione, *Iohannes* vix eum baptizaverat ſub finem, quin *Ieſus* incepit quoque, qui hactenus latuerat, munus ſuum; *Luc.* 3: 21-23. ac exhibuit *ſe doctorem* in munere Chriſti prophetico obeundo. Præcipuè ſuſcepit munus *legati fœderis*, dum vocaret homines ad ὁμολογιᾶν fœderis *Hebr.* 3: 1. Nec omiſit ſuos monere, quod *effunderet ſanguinem N T. ad remiſſionem peccatorum*, *Matth.* 26: 28. Sub hujus muneris prophetici adminiſtratione facta quoque eſt illa *filiorum Levi conflatio*; quâ errores doctorum correxit, *Matth.* 5: 20. 48. 6: 1. . 6. ac eorum vitia in templo ſermone increpatorio rigidè reprehendit toto cap. 23. *Matthæi.* Quos vero ad diſciplinam ſuam tranſtulit præparavit in populum ſibi peculiarem, primâ occaſione poſt fata ſua ſeparandum; dum pars reproba, ſuis præjudiciis excæcata, offenderetur ex ejus doctrinâ, licet ſtupendis confirmatâ miraculis. Ut nihil hìc tribuatur huic domino, quod ille non cum munere ſuo prophetico diligenter curaverit.

§. 3. Hæc præſtitit *Ieſus* eo tempore, ſicuti & *Iohannes*, quo iſta juxta noſtram prophetiam fieri debuerunt; & ſub eâ qualitate temporis, quæ hìc notatur.

1. Vin-

Digitized by Google

I. Vin tu tempus cognoſcere, quo totus ille apparatus juxta noſtrum Prophetam fieri debuit? attende id fieri debuiſſe ſtante *templo ſecundo*, & vigente Sacerdotum miniſterio in ſacrificiis, licet Deo haud gratis, & ad finem œconomiæ iſtius vergentibus. Poſt contractum fœdus cum filiâ Dei peregrini, in quo adhuc perſtarent: & ante judicium exterminii irrogatum, quod rempublicam unà cum templo ſubverteret, hoſtibus objicientibus judicii iſtius moram. Nunc lege *Lucam*, & intelliges incepiſſe rem omnem *anno Tiberii* XV. æræ vulg. XXVIII, cujus æræ ann LXX *Titus Veſpaſianus* urbem occupavit, vaſtavit, muroſque dejecit, ac templo conflagrato cultui iſti ac reipublicæ finem impoſuit, poſt elapſos ab hoc euangelii principio annos circiter quadraginta duos. *Cum Pilatus Iudæam adminiſtraret*, juſſu *Tiberii* procuratorem agens, ſub cujus præfecturâ etiam uterque (cum *Iohannes* tum *Chriſtus*) curſum abſolvit ſuum: ipſe poſt *Archelaum*, in exilium relegatum, fuit Procuratorum Romanorum quintus, ac nobile argumentum fœderis cum Romanis initi, adhuc vigentis, quo Judæi, ad eorum poſtulatum, provincia Romani regiminis, facti erant. *Iudæis* proindè adhùc ab aliquot annis *cum filiâ Dei alieni ſcortantibus*. Facta hæc ſunt *Herode*, *Philippoque* fratribus, Herodis magni filiis, ac *Lyſaniâ* in partibus ſuis Tetrarchis: atque *Annâ & Cajaphâ Pontificibus* in populo auctoritate pollentibus: ac proin quando ἀυτονομία cum templo adhuc vigebat in populo. Quid age tempori apud Prophetam deſignato convenientiùs? nec toto illo tempore, intra notatos terminos incluſo, alius comparuit, qui Jeſu noſtro opponi poſſit, ut *Chriſtus*.

II Si qualitatem temporis attendamus; juxta vatem noſtrum ponit *illud tempus*, quo adventus Chriſti in

templum cum publico muneris prodromi & domini exercitio foret conſpicuus, ceu corruptiſſimum; quandò multa genera vitiorum inter Judæos carpenda venirent, quorum hic ſit catalogus. *α.*) *Magia* notatur cum ſuis præſtigiis, à Perſis in Occidentem introducta, quæ hoc ſeculo non ſolum *Græcos*, verum etiam *Iudæos* contaminaverat. Exempla exſtant in libris N. T. hiſtoricis, quæ conferantur. *Act.* 8: 9-11. 13: 6. 19: 13. 14. Ex Joſepho patet, ut Judæi non alieni fuerint ab artis magicæ ſpecie quâdam, dum non puduit eos *Salomoni* non ſolum artes, ſed & libros magicos adſcribere, quaſi ab ipſo compoſitos. Idem auctor eſt, quod populus ſe facile paſſus eſt falli à Magis, quippe iſti arti fidem certatim adhibens. *Impoſtores*, inquit, *& Magi, turbas illectas poſt ſe trahebant in ſolitudinem, pollicentes ſe divinitùs iis oſtenſuros clariſſima ſigna & prodigia, perſuaſaque multitudo mox pœnas luit dementiæ*: *Ant.* L. 20: 8. Huc facit Kabbala Judaica, quæ fœdis cum inſcriptionibus, ac verborum quorundam muſſitationibus morbos quoſdam curare molitur; quaſi horum ope Spiritus quidam, miraculorum patratores, evocari poſſent. Adde, quod ipſi *Thalmudici* requirant in ſenatore, magni Synedrii membro, ut artem illam calleat, quo de ſimilibus cauſis ſtatuere queat. *β.*) *Adulterii* quoque notatur frequentia, cujus criminis rei erant & polygami, & qui repudiatis uxoribus alias ducebant, aut repudiatas ſibi in uxores adſciſcebant: prout Chriſtus hanc rem jure interpretatur *Matth.* 5: 32. Ἐγὼ δὲ λεγω ὑμῖν, ὅτι ἂν ἀπολύζῃ τὴν γυναῖκα ἀυτȣ̃, παρεκτὸς λόγȣ πορνείας, ποίει ἀυτὴν μοιχᾶσθαι: καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήζῃ, μοιχᾶται. *γ.*) *Perjurii* rei erant vulgo, cum ex dogmate Pharizæorum erant pejeratores, tradentes non obligari ſe, ſi per cœlum aut terram, aliaſque crea-

creaturas jusjurandum fecerint; quod Chriſtus illis objicit *Matth.* 5: 33-37. 23: 17-22. undè & gentibus dederunt ſcandalum: quod ex *Martialis* epigrammate dudum probarunt viri docti, ubi cecinit.

> *Ecce negas, juraſque mihi per templa Tonantis.*
> *Non credo: jura verpe per Anchialum.*

δ.) *Artes defraudandi* multos, imò & viduarum domos atque rem familiarem exhauriendi ſtudia illis exprobravit etiam Dominus, *Matth.* 23: 15. dicens *Væ vobis, vos Scribæ & Pharizæi, hypocritæ: quoniam devoratis domos viduarum, & quidem ſub larvâ longè precantium: propterea accipietis* περισσότερον κρίμα. ε.) Quomodò declinaverint proſelytas conſtat quoque ex deſcriptione Chriſti *Matth.* 23: 15. ubi poſt idem Scribis & Pharizæis interminatum væ, dicit: *quod circumirent mare & aridum, quò quenquam faciant proſelytam: aſt quandò factus eſt talis eum faciant filium gehennæ, duplo pejorem, quam ipſi erant.* ζ.) Pluribus aliis quoque vitiis ſcatentem fuiſſe populum, quibus ſe *Deum non timere* probabat, ex ipſâ Joſephi hiſtoriâ, peſſima gentis ſtudia non ſine deploratione & pudore enarrantis, perſpicuum eſt, adeò ut facilè in caſtra latronum & perditiſſimorum hominum tranſiiſſe vulgus apud eum videas. Imò ipſi legiſperiti, diſſimulantes vitia temporis, hîc egregiè pinguntur ut *Deum delaſſantes.* Ita præ primis poſt ſeparationem electorum, ex populi communione eductorum, videre licuit, quibuſcum ſcoriis mixti fuerant, quos ut nobilius metallum ab iis ſejungere debuit Chriſtus.

§. 4. Reſtat ut videamus, quænam etiam convenienter huic prophetiæ miniſterium Chriſti conſlantis

Digitized by Google

fuerint conſecuta, cùm reſpectu electorum tùm reſpectu reproborum.

I. Reſpectu electorum videmus, ut inventi fuerint, *qui Chriſtum dominum quærebant, atque iſto legato fœderis delectabantur*: tales enim fuerunt, qui ad Johannis Baptiſtæ præconium accedentes magno numero baptiſmum recipiebant, & poſtea ad Jeſum tranſiebant: qui inſigni animi lætitiâ dicebant, εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐςι μεθερμηνευόμενον, ὁ Χριςὸς, *Joh.* 1: 42. Hi autem ſermonibus Chriſti correpti, ejus efficaciam experti ſunt in animis ſuis, atque in ſe operantem ſentierunt *inſtar ignis*, amorem & Zelum Dei in ipſis accendentis, quo conſtanter ei adhæſerunt *Luc.* 24: 32. dum alii, ut ſcoriæ ſolent, ab eo recederent, vim lucis & ignis non ſuſtinentes; quia opera eorum prava erant. Hinc Johannes in exordio de hoc effectu euangelii monet *Ioh.* 1: 11. 12. 13. *Venit ad ſua, aſt ſui eum non receperunt: quotquot autem eum receperunt, iis poteſtatem dedit ſe gerendi filios Dei, credentibus in nomen ejus: qui nec ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati erant.* Hi vero credentes poſtmodum in novum populum coäliti, non ſolùm à Synagogâ ſejuncti ſunt; verùm etiam donis Spiritus Sancti ad ſingularem nitorem & decus inſtructi, auri & argenti inſtar, à ſcoriis repurgati, effulſerunt. Inter quos fuerunt *ex filiis Levi* cum Levitæ, tum Sacerdotes; quotquot gratia Dei ſibi ſanctificare deſtinaverat. Notatur hoc *Act.* 6: 7. Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίςει. Ex iſtâ hominum claſſe inter Apoſtolos fuit *Barnabas Act.* 4: 36. atque haud dubium eſt ex iſtis varios exercitatos, fuiſſe ad miniſterium regni Chriſti applicatos, qui ad converſionem cæterorum ex Judæis coöperantes, multos in gratum Deo

munus

Digitized by Google

munus adduxerint: undè *Iacobus* multas *myriades credentium ex Iudæis allegat. Act.* 21:20.

II. Reſpectu reproborum tamen eventus docuit longè maximam Judæorum turbam perſtitiſſe in perfidiâ: atque propter concupiſcentiarum & præjudiorum prædominium non potuiſſe conſiſtere coram Chriſto conflante & gentem explorante: qui ſcoriarum inſtar relicti, in ultimam inciderunt impietatem & barbariem. A quo tempore Deus ſuos ex pernicioſiſſimâ illâ communione eduxerat, factum eſt, ut judicii iſtius dies *velociter* advenerit; atque Chriſtus *teſtis & vindex malorum* in eos immiſerit Romanos, pro jure dominii ſui eos tradens in manus hoſtium, quibuſcum ſcortati fuerant: ortum enim eſt internecinum illud Judaicæ genti cum Romanis bellum, anno æræ vulgaris LXVI. atque finitum eſt cum totius reipublicæ Judaicæ exterminio anno ejuſdem æræ LXX.

ELEN-

ELENCHUS
QUARTUS
Contra
Sacrilegos expoſtulationem faciens.
MAL. III: 7-12.

§. 1. HActenus Propheta in enarratione viſionum ſuarum expoſuerat *litem Dei cum Sacerdotibus, Levitis, & Legis peritis*: eorumque crimina, ut Dei benedictionem ab iis avertentia, & judicium Dei provocantia, expoſuerat. Nunc ſe accingit ad *litem Dei cum populo* exponendam; referens, quid hìc & viderit & audiverit. Ne *vulgus* criſtam erigat, & omnem culpam penes ſolos duces, ac Sacerdotes eſſe autumet, atque definitum illud Dei judicium aliquid ſtatuiſſe contra ſe, ut haud credibile exiſtimet: ſtatuit Deus per prophetam etiam vias ſuas in populo juſtificare ex prædominio cupidinis terreſtrium, omnem pietatem exſtinguentis, ac ſtatuta Dei negligentis.

§. 2. Nunc igitur Deo res eſt *cum populo* in communi: qui conſpicitur, ut *cultum Dei haud ſincere curans*: quippe in atriis quidem ob temporis difficultatem cum querelis & ſupplicationibus comparens, quò varia infortunia deprecando avertat, & Dei reditum ad priſtinas benedictiones roget. Sed interim *ſuo* in cauſſâ cul-

Digitized by Google

cultus divini *officio deficiens.* Juſſerat Deus ut *decimæ & primitiæ* Sacerdotibus & Levitis, hæreditate deſtitutis, cederent in alimoniam. *Num.* 18: 21. & ne cultus publicus ſuis deſtituatur ſubſidiis, eas in theſauros templi congererent, quæ ad eum finem erant conſecratæ: *Prov.* 3: 9. Hæc qui negligit, major rerum mundanarum, quam Dei æſtimator eſt. Imò quod probè notandùm eſt, hunc neglectum *ſacrilegii* notâ infamari in textu videas: ut conſtet animus in populo, ἐπίγεια quærens, & ad omnia ſceleſta in Deum perpetrandum pronus: quid enim non auſurus eſt, quem timor Dei ne quidem à ſacrilegio cohibet?

§. 3. Hic *populus* concipi debet præſenti in ſcenâ quaſi *ad concionem coalitus & in Theocratiâ Judaicâ Deum Regem conveniens*; quem publicâ colat ſupplicatione, & obnixè ad auxilium roget. Expertus olim fuerat ampliſſimas providi numinis benedictiones in terrâ iſtâ; & potentiſſimam ejuſdem contra gentes (perniciem populi quærentes) defenſionem. Nunc verò experiebatur omnia contraria, ſub unâ voce *maledictionis* comprehenſa. Quare concio denuò adeſt, multis rogatura ſuſpiriis, ut clementia Dei ad antiquam redeat beneficientiam, nec populum deſerat.

§. 4. Facies temporis, huic ſcenæ conveniens, eſt ex annonæ defectu, & gentilium contemptu, triſtior: dum mala iſta, quibus hæc gens, olim felix, tunc premebatur, ita invaluerant; ut univerſalem poſt ſe tractura tabem viderentur. Ita increſcens quotidiè *pauperies*, *gentiumque livor* mala erant omina, nil niſi populi interitum præſagientia. Hujus rei apprehenſio populum cogebat ad concionem ſupplicatoriam, quam indicavimus, celebrandam.

§. 5. Interim repræſentatur *Deus*, ut *concionem* il-

Digitized by Google

lam fortè per miniſtrum *compellans*, & de cauſſâ averſionis & indignationis ſuæ eam monens. In hoc ad populum (ita præpoſterè agentem) alloquio eundem per modum expoſtulationis arguit; atque haud exſpectandum eſſe à ſe, ut ad priſtinam redeat benevolentiam & munificentiam, niſi ipſi redeant ad *reſipiſcentiam* (per quam jura templi ſolvant, & nominis Dei timorem vitæ correctione probent) pluribus exponit.

ANALYSIS

Hujus Pericopæ.

OBſervemus itaque in hoc ſermone expoſtulatorio *Deum*, *populum* corripientem, & ad officium pietatis ut ἀναπολόγητον conſtituat, ſub variis promiſſionibus, quaſi ultimatò revocantem.

I. Correptio divina continet accuſationem inter iteratam oblocutionem confirmatam.

A. Accuſatio objicit crimen antiquum per reſipiſcentiam & converſionem ad Deum corrigendum: quod notatur titulo *receſſionis à ſtatutis Dei* Cap. 3: 7. *A diebus patrum veſtrorum declinaſtis à ſtatutis meis, ut non ſervaveritis. Revertimini ad me, & revertar ad vos: dixit Jehovah* Deus *Exercituum.*

B. Oblocutio diſſimulat aberrationem, ac poſtulatam reſipiſcentiam ut minus æquam reſpuit. verſ. 7. b. *At dixiſtis, quâ in re revertemur?*

C. Convictio, deſcendens ad ſpecimen criminis, ex-

extinctæ pietatiş argumentum continens, & ex eo malorum cauſam deducens.

1. Crimen ſpeciale inter obmurmurationem populi indicatur. verſ. 8. *An ſpoliaret homo Deum? nam vos ſpoliatis me & dixiſtis quâ re ſpoliavimus te? Decimis & ablatione.*

2. Pertinacia ingenii exaggeratur ex obfirmatione animi contra hoc monitum ſub ipſis Dei caſtigationibus. verſ. 9. *Maledictione vos maledicimini, & ſpoliatis me, gens univerſa.*

II. Incitatio ultima, urgens, ut per ſolutionem debiti fructum reſipiſcentiâ dignum exhibeant; ubi.

A. Conſilium Dei exponitur, de inferendis in domum ſuam decimis integris. verſ. 10. a. *Afferte totas decimas in domum theſauri, ut ſit cibus in domo mea.*

B. Suadela à feliciori ſucceſſu ſupplicationum.

1. In terreſtribus. verſ. 10. b. *Et explorate me, agite, in hoc, dixit Jehovah* Deus *exercituum: ſi non aperiam vobis cancellos cœli, & effundam vobis benedictionem ultra id, quod ſufficit.* verſ. 11. & *increpabo vobis comedentem, ut non corrumpat vobis fructum terræ: & non orba erit vobis vitis in agro: dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

2. In ſpiritualibus, populi conditionem ad inſignem beatitudinem extollentibus: verſ. 12. *Et beatos vos dicent omnes gentes: nam eritis vos terra voluptatis: dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTUALIS.

Verſ. 7. *A diebus patrum veſtrorum declinaſtis à ſtatutis meis, ut non ſervaveritis. Revertimini ad me, & revertar ad vos: dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

§. 1. Incipit hic ſermo Dei ab *accuſatione increpatoriâ*, quam extendit *ad totam gentem:* in quâ gentis *impœnitentia* notatur tanquam inolita, & avita ſe contra verbum Dei obfirmandi cacoëthes. *Declinaſtis*, inquit Deus, *à ſtatutis meis*; סרתם מחקי. *Præcepta Dei* inter varias S. literarum appellationes vocantur חקים, δόγματα, quibus agendi circumſcribitur libertas, Domino rem omnem legibus ita definiente, ut nihil addere liceat, vel demere. In quibus ſola Dei, ut ſupremi Domini, ſpectatur voluntas. Huc revocamus, quæ cultum templi externum attingunt, omnemque ejus ordinem & rationem diſponunt: imo etiam quæ rationem conſequendæ ſalutis ex teſtamento gratiæ definiunt.

Verbum *declinare & recedere* ſignificat. Culpa igitur, iis imputata, eſt, quod *receſſerint à ſtatutis Dei*, partim per obſervantiam traditionum humanarum, legem infringentium; partim per abuſum rerum externarum, haud debito modo adhibitarum: ut ſi quandò in iis, quæ ſaltem figuræ erant, ad exercitium fidei in Chriſtum ordinatæ, vel chirographum conſtituebant, quærebant cauſam juris. Præprimis concipitur omnis cultus ut Dei amorem per rerum terreſtrium cupidinem exſtinguens,

Digitized by Google

guens, undè potius ex conſuetudine agendi, aut ex neceſſitatis apprehenſione atria frequentare, quam ex intrinſecâ pietate cernebantur.

Notat antiquam illam fuiſſe culpam, quandò addit *à diebus patrum veſtrorum.* Gloriantur Judæi in traditionibus & expoſitionibus patrum: quod, niſi cum caſtigatione ad normam legis Dei fieret, notatur ut lubricum fidei & morum principium; cum quidam errores, & deviationes jam à diebus patrum obtinuerint: antiqua enim fuit etiam erronea iſta opinio de propriâ juſtitiâ, in legis obſervatione quærendâ: & ſupinitas, intrinſecam pietatem in externis exercitiis negligens, quæ omnem cultum in hypocriſin mutat, aut planè negligit.

§. 2. Additur, *ut non ſervaveritis:* ולא שמרתם hæc conſecutivè vertimus: plus eſt alias *declinare à ſtatutis*, quam ea *non ſervare.* Sæpè Deus commendat, *ut ſervent ſtatuta ſua.* Nunc ex declinatione à ſtatutis infert eorum non obſervantiam, & inobedientiam. Q. D. Tantum abeſt ut *ſervaveritis ſtatuta mea*, ut potius ab iis à vobis declinatum & receſſum fuerit: atque ita effectum fuit, ut planè contra meam commendationem *non ſervata* fuerint inter vos *ſtatuta mea.* Hæc accuſatio juſtificat ſententiam Dei de ſupplicio etiam à populo ſumendo: avita enim & quaſi hæreditaria impietas populi Deo Judici jus cedit eum vel funditùs delendi, & contemptum cultus ſui debito ſupplicio vindicandi.

§. 3. Huic increpationi ſubjungit obligationem *revertendi ad ſe*, ſi velint, ut *revertatur Deus ad illos:* ut in priori accuſatione detegatur redeundi neceſſitas: idem enim eſt, *recedere à ſtatutis Dei*, *ac recedere à Deo*; quippe qui non invenitur, niſi in obſervantiâ

 ſtatu-

Digitized by Google

ſtatutorum ſuorum, in quibus erat indicatio viæ, ducentis ad Deum.

Præſcriptio officii ergò eſt in verbis שׁובו אלי *revertimini ad me.* Hoc præceptum invitationem continet ad *pœnitentiam & reſipiſcentiam*; & quaſi ſummam obligationis ejus, qui velit cum Deo redire in gratiam. Quandò additur *ad me*, notatur juſtus ille redeundi terminus ad quem: *Jer.* 4: 1. *Joel.* 2: 13. *Zach.* 1: 3. In hoc præcepto continetur juſtum prœconium euangelii, & ejus, qui Chriſto viam præpararet: & eorum, qui populum novum Chriſto, dum in terris ageret, colligerent.

§. 4. Sub hâc demum conditione ſpem facit gratiæ impetrandæ denuò, dum annectit *& ego revertar ad vos*: niſi quis malit vertere, *ut ego revertar ad vos*, quod ſaltem includitur. Hæc *reverſio Dei ad eos* ſupponit Deum ab ipſis eſſe alienatum, & quaſi receſſiſſe ab eis Quod nemo facile de diſceſſu ac receſſu aut de quocunque motu locali acceperit, qui Deum veneratur omnipræſentem. Verum eſt in iis metaphora, quâ Deus *recedere* à populo dicitur, quandò efficit, ut non ſentiant amplius præſentem ejus munificentiam & defenſionem. *Redire* verò ei tribuitur, quandò populum denuò recipit in gratiam, atque ſublatis pœnis iterum ſicuti antehâc, bonis ſuis accumulat, & glorioſis liberationibus ab hoſtium machinationibus ſartum tectum conſtituit. Hoc ultimum multis ſupplicationibus rogare quidem concipitur populus. Sed ejus ſpem non facit Dei effatum poſt peccatum, niſi *redeunti ad Deum* per pœnitentiam. Hunc ergò declarat ſolum atque unicum nexum eſſe, qui ſpem reſtituat peccatori: *revertimini ad me*, *& revertar ad vos*: quæ regula nullam habet exceptionem. Conf. *Zach.* 1: 3. *Jer.* 3: 1. dicit,

re-

Digitized by Google

revertere ad me, *& ego ſuſcipiam te.* Hoc niſi fiat, omnibus pereundum erit: hoc qui fecerit, verâ pœnitentiâ, etiamſi ſerâ, optato non carebit fructu. Phraſis mutuata à conſuetudine hominum eſt, qui offenſi vultum à ſe mutuò avertunt, & commercium fugiunt: placati verò, & in gratiam redeuntes, ut anteà ad invicem accedunt, & opem præſtant. Imò Deus hìc potius ut pars offenſa conſpicitur, & opem negans; qui rogatus ad opem priſtinam, eam negat, niſi debito modo redeant, & in quo ab eo receſſerant, id corrigant.

§. 5. Dignatur hoc jam ſæpiùs uſitato ſignaculo: *dixit Jehovah* Deus *exercituum.* Hoc dicto aperuit cauſam miſeriæ temporis, & reſpondit ad fruſtraneas illas populi querelas & ſupplicationes: viam perveniendi ad votum ita aperiens: ut rem perpendentes periculum evadant.

Verſ. 7. b. & 8. *At dixiſtis* (vel dicetis) *quâ in re revertemur? An ſpoliaret homo Deum? nam vos ſpoliatis me, & dixiſtis* (vel dicetis) *qua re ſpoliavimus te? decimis & ablatione.*

§. 1. Pingitur hìc *populus*, ut *in hypocriſi* ſibi adhùc placens, & diſſimulans ſe ullâ in re indigere *pœnitentiâ:* imò planè neſcire, quâ in re defuerit officio ſuo. Ita in gente iſtâ notatur inolita planè obſtinatio. Sic Judæi carnales ſibi in externis legis obſervantiis placebant (Deum nihil aliud ab ipſis poſtulare putantes) ut ad vocem euangelii, ſpiritualia omnia alia poſtulantis, obſurduerint: qui ſtupor eſt hominum, nec verbum Dei ex mente ejus intelligentium, neque ſe ad illam normam

rite

ritè examinantium. Incorrigibilium eſt, dum neſciunt quid ſit vera *μετάνοια*, non ſentire pœnitentiæ indigentiam.

§. 2. Ad cauſſæ ſuæ aſſertionem tamen Deus provocat ad exemplum aliquod illuſtre, quo eos reos arguat: quod ſolum ſi eſſet in illis culpandum, debuiſſet illos tamen ad converſionem in ſaccum & cinerem revocare, omneſque vias eorum ipſis facere ſuſpectas, ut ſemet ad ſerium viarum ſuarum examen applicent. In illud exemplum allegat *crimen ſacrilegii* in Deum commiſſum.

An ſpoliaret homo Deum? Verbum קבע hìc ante omnia excutiendum eſt, ut de mente Dei rite ſtatuamus: raró, imò non niſi hìc, & ſemel *Prov.* 22: 23. in ſacris occurrit. Ex contextu utriuſque loci colligunt Magiſtri actum *rapinæ* ſignificare: undè *expilare*, *ſpoliare*, aut vi alicui rem eripere vertitur.

Verſiones antiquæ ſenſum præbent prout Interpretes rem conceperunt. Chaldæus. *An iraſcetur homo adverſus Deum, quod vos me ad iram provocatis?* LXX. Μήτι πτερνιεῖ ἄνθρωπος θεὸν, διότι ὑμεῖς πτερνίζετε με. *An ſupplantabit homo Deum, quod vos me ſupplantatis.* Verum hi videntur legiſſe עקב, aut exiſtimaſſe verba illa duo idem ſignificare, ut ſæpè ſolent voces & verba metatheſin ſeu tranſpoſitionem literarum recipientia. Theodotion & Aquila vertunt ἀποςερήσει *defraudabit*. Vulg. *Si adfiget homo Deum, quod vos me configitis:* quaſi Deus hìc Judæis exprobraret, quod Chriſtum cruci adfixerint. Ita Hieronymus in commentariis ſcribit, ſe id aliquandò accommodaſſe ad paſſionem Chriſti, qui à populo ſuo confixus eſt. Verum nullus hìc, inquit *Capellus*, de cruce Chriſti ſermo, qui enim hoc cohæret cum expoſtulatione de decimis non ſolutis? credit tamen ille Interpretem reſpexiſſe uſum

uſum verbi in linguâ Syriacâ; ubi notionem verbi *figendi*, *configendi*, aut *effodiendi* exercet. Qui ab iſtâ verſione recedere non audent, exponunt, *Deum tanto afficere dolore, ac ſi quem jaculo configeres.*

Nos, quæ plana ſunt, ſequimur. *Homo ſpoliare*, aut expilare *Deum* dicitur: qui, quæ Dei ſunt, & Deo ad uſum cultus externi conſecrata, ad ſe rapit, quocunque id prætextu fiat. Conferuntur hic אדם & אלהים, *homo* ex pulvere terræ *terrenus*, Dei conceſſione terræ colonus, nil juris habens in res terreſtres, niſi in quantum Dei munificentia ei portionem dedit ſuam. Huic res eſt cum Deo, omnium non ſolum domino, ſed & legiſlatore, qui ſub exſecratione ſancire leges & obligare ſubditos ſolet. Quæ maxima eſt inter utrumque diſparitas. Jam axioma naturâ cognitum hìc interrogativè proponitur: horrendum eſſe impietatis crimen, ſi homo audeat expilare Deum: & vix cadere in quenquam. Quaſi dicat neminem eſſe tam barbarum & ob omni ratione alienum, qui ſacrilegium in numen, quod colit, commiſſum non ex animo deteſtetur. Ita gentiles notarunt *Dionyſium*, qui ſtatuam Jovis ſpolians, detracto ei magni ponderis amiculo, *æſtate pallium aureum ei oneri eſſe: hijeme augere frigus, dixit: ſeque pro eo redditurum laneum; quod ad utrùmque anni tempus eſſet aptiùs.* Nota interrogationem hanc divinam in præſenti expoſtulatione & obteſtatione includere ultimam ejus indignationem: Q. D. *an homo Deum ſpoliaret?* ut Deus id impunitum dimittat, & nullo indicio hoc ſibi diſplicere oſtendat? ut ſe non à tali ſceleſto juris ſacri violatore avertat, omnemque ab ea munificentiam ſuam & defenſionem tollat? imò eum ultimo ſupplicio tradat? Quæ iſtum animi affectum exprimunt verba, abrupta eſſe ſolent.

Digitized by Google

§. 3. Hoc tamen crimen imputat populo : dicens *nam vos ſpoliatis* (aut expilatis) *me* : alii *quod vos expilatis me.* Nota ſacrilegii reatum, hic allegari, ut probetur, Deum ſummo jure ſe à populo avertiſſe, eundemque ſublatis ſuis benedictionibus, & negatâ ulteriori defenſione in miſerum iſtum ſtatum præcipitaſſe gentem, quam reſpiciebat *ut ſacrilegam:* id eſt, ita omni timore & honore Dei deſtitutam, & avaritiæ ac injuſtitiæ vitiis defœdatam, ut ad earum concupiſcentiarum ſatietatem vel Deum ipſum expilare auſit. *Ulcus* igitur, quod tangit, omnium ſcelerum continet complexum, & indicium animi, omnia jura divina & humana ſuſque deque habentis

§. 4. Introducuntur quidem iſti homines, ut & illam culpam diſſimulantes, ſed eopſe etiam depinguntur, ut carnaliter inconſiderantes, & ab exploratione ſui alieni. Tribuitur enim illis denuò *interrogatio per modum inſtantiæ ?* quæ pertinacis ingenii nota eſt : quâ *dicendo* rogant; *quâ re ſpoliavimus te ?* Simulant itaque ſe etiamnum ſibi *iſtius ſpolii* non eſſe conſcios. Ita ſibi placent in externis: ut ſub iſtis velamentis ne ipſi quidem videant, quæ in abyſſo impuri cordis lateant: atque ut factum ſtatim allegandum pro ſpolio non habuerint.

§. 5. Verum, ut hæc larva iis detrahatur, Deus ad aliquod *ſacrilegii ſpecimen* pergit, quod ſanè pro animi in Deum ſacrilegi indice hâc vice poterat eſſe ſatis; quodquè ſufficienter probabat, quomodò ad omnia alia audenda eſſent diſpoſiti: non enim putandum eſt, in hoc ſolo opere ſacrilegum eorum animum poſſe ſubſiſtere, ut non ad ulteriora pergat. *Specimen* itaque *ſacrilegii* ex tali mentis diſpoſitione profluens ponitur *in decimis & ablatione*, non integrè ſolutis.

Vo-

Digitized by Google

Voces המעשר & התרומה hîc probè ſunt intelligendæ: Prior *decimas* ſignificat, ſive decimam totius maſſæ partem, ab eâ ſeparandam. Ex inſtituto legis divinæ *Levitæ* (quibus nulla agrorum aut vinearum in diſtributione terræ portio adjudicata fuerat, ne curâ rei familiaris à ſacris abſtraherentur) quotannis, excepto anno Sabbathico, *decimas meſſis* accipiebant, ut haberent, undè viverent. Hæ decimæ iterum erant decimandæ, quæ portio decima decimarum audiebat, *Sacerdotibus* tradenda. Accedebant etiam *decimæ ſecundæ*, quas Dominus meſſis poſt primas quoque à maſſâ auferebat, Hieroſolymis abſumendæ in feſtis: niſi quod decimæ iſtæ ſecundæ anno tertio & ſexto in pauperum uſus fuerint convertendæ, atque etiam cum peregrinis communicandæ, nec non Levitis in civitate cujuſque ſuâ.

Ab his omnibus diſtinguuntur תרומות: quæ erant *meſſis primitiæ*, ante decimationem auferendæ, atque etiam Sacerdotibus tradendæ: quibus *ablatis*, tota demum quæ relinquebatur maſſa erat decimanda. Notat alias omne id, quod in donum à peculio aufertur, *Prov.* 29:4. quare vertitur *ablatio*, ἀπαρχὴ, ἀφαίρεμα: ac cedebat in uſum ſacrorum. Verum תרומה גרולה ſumebatur ex iis, quæ terra ex ſatis proferebat, quæquè nemo niſi vir ſacerdotalis comedere debuit. Leges ejus extant *Exod.* 25:2. 30:14. *Lev.* 7:14. 32. Rei auferendæ quantitas non erat lege definita, ſed cujus vis libertati relicta: Thalmudiſtæ tamen inter quadrageſimam & ſexageſimam totius definiunt.

Qui autem in his ſolvendis ſuo deërant officio, ſive nihil, ſive non juſtam cederent portionem, hìc loci dicuntur *ſpoliare Deum*; quia Deus in iſtâ templi œconomiâ ut pater familias ſpectandus erat, Sacerdotes & Le-

Digitized by Google

Levitas alens ut domeſticos ſuos : qui cum ſummus erat omnis proventus dator & largitor , tantum ſibi vendicabat , quantum juſſit cum domeſticis ſuis communicari.

Verſ. 9. *Maledictione vos maledicimini , & me ſpoliatis , gens univerſa.*

§. 1. Poſt indicatum culpæ ſpecimen accedit ad ejuſdem pravitatis exaggerationem : quæ deſumitur partim ab incorrigibili eorum pertinaciâ , quippe qui ne quidem ob id maledictione percuſſi reſipiſcant. Partim ab univerſali gentis labe , quæ proſerpere viſa eſt ad univerſam gentem.

§. 2. *Maledictione* , inquit , *vos maledicimini :* in quibus eſt miſeræ conditionis populi declaratio. Singularis hìc eſt Græcorum Interpretum ἀβλεψία , quandò verba במארה אתם נארים vertunt , ἀποβλέποντες ὑμεῖς ἀποβλέπετε. Jam ante de *maledictione iſtâ* vidimus *Cap.* 2 : 2. quæ non ſolam annonæ dicit penuriam ; ſed quicquid malorum in hâc ſcenâ affligebat populum , & quotquot averſi à populo animi Deus dabat tunc indicia. Inter quæ numeramus etiam traditionem populi in manum populi Principis advenæ & exactorum , populum quotidiè emungentium. Ob quæ mala jam concipimus eos concione totâ Deum ſupplicantes , ut *redeat ad eos* cum antiquâ ſuâ clementiâ. Verùm in his notare debebant , *maledictionem divinam* , tranſgreſſi fœderis Dei crimen punientem, illatam fuiſſe juxta denunciationem maledictionum legis , quibus fœdus illud ſancitum fuerat , *Deut.* 28 : 15-68. *Joſ.* 8 : 34. 35. Hujus cauſa erat , *ſpoliatio miniſterii & pauperum* ;

quæ

Digitized by Google

quæ Deum, juſtum Judicem, ad illam vindictam provocabat.

§. 3. Huic ſubjungit: *& me ſpoliatis*: id eſt, ſpoliare pergitis. Finis iſtarum caſtigationum erat populum Iſraëliticum revocare ad pœnitentiam, & reformationem; præprimis à crimine, jam olim in patribus, cum primo populi ex captivitate reditu, tam ſeriò correpto: *Nehem.* 13: 10.. 13. Notatur enim hæc culpa ut antiqua, & reviviſcens; ac ne nunc quidem, cum Deus eos affligeret, ad animum revocata: ac proin ut eo tempore in gente iſtâ incorrigibilis. Scio quoſdam *vau* copulam hic reddere ut cauſalem; *quia vos diripuiſtis me.* Verum hoc minus neceſſe eſt, & emphaſin imminuit. Gravior ſenſus eſt, quod ne quidem ſub ipſis caſtigationibus Dei & judiciis à malo caſtigato abſtineant.

§. 4. Tandem exaggerat malum illud à communi tabe, dum adjicit הגוי כלו *gens univerſa.* Corruptam eſſe lectionem apud Lxx. ubi legitur τὸ ἔτος συνετελέσθη, licet antiqua ſit, monet *Capellus*: ac veram eſſe vult τὸ ἔθνος συντελές. Cum *univerſam gentem* dicit, obſervandum: ut non pauci ex plebe obnoxii fuerint huic ſacrilegio: ſed *omnes* à minimo uſque ad maximum eorum: omnibus certatim à decimis & primitiis detrahere auſis.

Hoc tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi pars nulla ſe ab iſto malo ſervaſſet intaminatam; ſed ea pars concipitur adeo imminuta, ut hic numerum non faciat. Præterquam, quod illa videri poſſit quaſi in oculis Dei ab his ſecreta, & per prodromum ac Chriſtum ab illâ fæce ſeparata: quicquid enim reliquum erat, & ad collectionem novi populi non confluebat, in hunc modum corripitur.

Digitized by Google

Verſ. 10. *Afferte totas decimas in domum theſauri, ut ſit cibus in domo meâ: & explorate me, agite, in hoc; dixit Jehovah* Deus *exercituum; ſi non aperiam vobis cancellos cæli, & effundam vobis benedictionem ultra id, quod ſufficit.*

§. 1. Ab accuſatione expoſtulatoriâ nunc tranſit ſermo Dei ad provocationem quandam, quâ eos incitat ad experimentum divinæ benedictionis capiendum. Dixerat verſ. 7. *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Nunc utrumque amplificat. Poſtulat fructum, pœnitentiâ dignum, quo probent mentem immutatam ipſo opere: & ſpondet ſigna iræ depoſitæ, in variis beneficiis gratiæ manifeſtandæ.

§. 2. Poſtulat verò, ut in ſignum mutati animi producant opus correctum, dicens; *afferte totas decimas*, non truncatas aut doloſè imminutas, ut feciſtis ante hâc; idque præſtate ſine ullâ fraudatione. Conf. *Deut.* 12: 6. *Neh.* 10: 37. . 39. 13: 12.

Hæc operis mutatio includebat. 1. Mortificationem omnis avaritiæ, & amoris rerum hujus vitæ inordinati: ne pergant terram amare & quærere propter ventrem & genium ſuum. 2. Amorem Dei & gloriæ ejus, ut quærendæ ante omnia terreſtria; etiam cum alacri impendio neceſſitatum hujus vitæ: ut nihil tam carum, tam pretioſum, tamque in mundo adamatum habeant, quod non velint Dei in gratiam conferre in bonum publicum. 3. Juſtam reverentiam & exiſtimationem cultus publici, in quo Deus habeat populum, nomen ejus profiten-

tem

tem; & miniſtros ad lucrifaciendum ſibi quoſcunque alios, omni ope & ſubſidiis inſtructos: opus enim miniſterii hoc agit, ut homines ad veritatem adducat, in fide exerceat, in pietate, temperantiâ & juſtitiâ promoveat, & omnem ædificationem in fide & bonis operibus procûret: jam verò ex tam ſancto ædificationis noſtræ & aliorum deſiderio ſe pronum & promptum exhibere, ad miniſterii publici ſuſtentationem (quod ſine amore veritatis & pietatis non procedit) reverâ argumentum capitur veræ & ſinceræ converſionis; ea pluris facientis, quam omnes theſauros vitæ hujus, omneſque commoditates externas.

Proin prudenter, fructum exacturus pœnitentiâ dignum, eum in modum inſtituit, ut ab hoc opere emendationem vitæ incipere jubeat.

§. 3. Locus, ad quem decimas iſtas integras jubet adduci, quippe iis eum in finem deputatus, vocatur *domus theſauri*, בית-האוצר. Confer *Neh.* 10: 39. 13: 12. Erant in templo Salomonis multiplicis generis ἀποθῆκαι, & reconditoria, in quibus *decimæ & primitiæ* olei, frumenti, vini, aliaque ejuſmodi, ad âlendos Sacerdotes & Levitas neceſſaria reponebantur & aſſervabantur: ut ex hoc promptuario diſpenſationis tempore depromi potuerint.

§. 4. Uſus iſtarum additur, ſcilicet, *ut ſit cibus in domo meâ.* Intellige eſcam & victum, quo alantur Sacerdotes, qui quotidie in *templo* miniſtrabant. Vox טרף licet ferarum ex raptu viventium eſcam notet; nihilominus etiam ad omnem victum, etiam hominum transfertur. Hinc vox græca τροφὴ ex multorum ſententiâ ortum ducit.

Domum ſuam vocat Deus *templum*, propter œconomiam, quam in iſto templo, ut paterfamilias inter domeſti-

meſticos ſuos ſervat, qui miniſterium domus iſtius curantes, ibi quoque erant curandi & ſuſtentandi.

§. 5. Suadet hoc conſilium per modum provocationis, ut experimentum capiant. *Et explorate me*, *agite*, *in hoc*; *dixit Jehovah* Deus *exercituum*. Lxx ἐπιστρέψατε *convertimini*: ita illi ſæpius verba negligentes, ſenſum reddunt: ſcilicet mens dictorum eſt, ut per *converſionem* ante præſcriptam capiant benignitatis divinæ experimentum. Verbum בחן *explorare*, *probare*, actum notat; quo, quod boni in re quapiam occultum eſt, in apertum trahitur: ſicuti auri & argenti bonitas igne probatur; *Job*. 7: 18. 23: 10. *Pſal.* 66: 10. Eſt probatio quædam Dei mala, quæ *tentationis* rationem habet; quando quis fidem Dei in dubium revocans, Deo aliquid præſcribit, ut ſibi fidem faciat: aut dubitationis ſuæ terminationem ab aliquo actu Dei ſuſpendit. Quod, cum Iſraëlitæ feciſſe dicuntur, Deum magnoperè ad iram provocaſſe declarantur. *Deut*. 6: 17. 18. Aſt occurrit in ſacris & alia exploratio Dei, quâ fides noſtra probatur; quandò non pro incerto habetur viæ alicujus præſcriptæ exitus: ſed contra, quando fides deſiderat gloriæ Dei manifeſtandæ anſam dare, & viam illam eo ſtudioſiùs calcare, ut eandem gloriam citiùs manifeſtatam videat. *Hanc ſui probationem* Deus ipſe exigit, & lege quaſi præſcribit hoc loco: atque nihil aliud poſtulat, quam ut ad vias Dei attendant, eas cum promiſſionibus fœderis Dei conferant; quid Deum deceat intelligant; & ne per illos ſtet, quo minùs verbum bonum conſequantur, ſollicitè curent. Audiverant *verbum bonum* in propoſitione benedictionum, *malum* verò in expoſitione maledictionum: edoctiquè ſunt in fœdere nexum expoſitum inter reſipiſcentiam hominum & gratiam Dei ad benedicendum:

cendum: nec non inter impœnitentiam eorundem & iram Dei ad maledicendum. Jubet ergò, ut *viam reſipiſcentiæ* eligant, & *omni ſtudio promoveant*, quo matura detur Deo anſa benedicendi, ſeſeque in populo exercitio bonitatis ſuæ glorificandi: atque ita veritatem verbi ſui boni glorioſo exemplo denuò confirmandi. Hoc autem præſtari nequit, niſi reſipiſcentiæ ſtudium cum fide iſtius eventus ſincerâ animi convictione et perſuaſione ſuſcipiatur.

Notandus quoque eſt in particulâ נא (quæ eſt *obſecrantis*, aut *excitantis*) ſingularis loquentis Dei *quaſi affectus*, quem exprimimus voculâ *agite*: quæ eos ad parem cum Deo promptitudinem & alacritatem excitat. Illi Deum inſimulabant, ut qui difficilis eſſet exoratu, & tardus ad reditum cum benedictionibus ſuis. Deus contra ſe promptum exhibet & paratum ad primam remotionem obſtaculi. Mox ſe daturum quod petunt; ſi corrigant malum, quod committunt, ſpondet. Non eſſe illam tarditatem in ſe; ſed tarditatem in populo, admonitum de praxi reſipiſcentiæ cum fructibus ejus, non ſtatim ſeſe componente, innuit. *Feſtinate* ergò vos, & moras rumpite. Hæc *dixit* Deus, qui ſe adeoque non inteſtatum reliquit in populo pervicaci: quò reddantur ἀναπολόγητοι.

§. 6. Bonum, quod experimento ſentirent, in hunc modum exponitur. *Si non aperiam vobis cancellos cœli.* Vox ארבות notat feneſtras, cancellos, & in hiſtoriâ diluvii cataractas. Phraſis *aperiendi cancellos cœli* videtur proverbialis, 2. *Reg.* 7: 2 19. Ejus oppoſitum eſt *claudere cœlum, ut deſit pluvia, & terra non det proventum, Deut.* 11: 17. (alias minatur *cœlum ferreum Lev.* 26: 19. & *æneum, Deut.* 28: 22.) ut proin *cœlum clauſum* notet ſiccum ſine pluviâ, *aper-*

tum verò udum, quod *pluviam* (quæ fertilitatis mater eſt) effundit. Notandum *terram promiſſionis* deſcribi, ut eâ in re longè Ægypto diſſimilem, quod tota in fertilitate penderet *à cælo*: *Deut*. 11: 10. . 12. Dein, alligaſſe Deum regimen providentiæ ſuæ in dandis aut negandis pluviis, populi obedientiæ, aut inobedientiæ. *Deut*. 11: 13-17. 28: 8. 23. 24. Conf. *Mal*. 2: 2. 3.

§. 7. Conſequens cœli reſerati indicat porrò: *& effundam vobis benedictionem* והריקותי לכם ברכה. Quandò hìc vox ברכה adhibetur, illa *benedictio* notat rem ex benevolo Dei juſſu profluentem. Ita ברכה pro *dono* & beneficio. *Gen*. 33: 11. *Jud*. 1: 15. Maluit tamen hâc uti appellatione, quam pluviarum, ut doceat nos, pluvias ſolas abſque benedictione divinâ non reddere terram fœcundam; non enim ea pluviæ vis ineſt, niſi Deus cætera omnia moderetur. Dein hâc voce utitur in oppoſitione ad *maledictionem*, ſupra verſ. 9. commemoratam, quam ſpondet Deus ſe ſublaturam; ſi reſtipulationem fœderis in bonâ conſcientiâ adhibeant. Conf. *Deut*. 28: 8. Verbum הריק *evacuare* notat, & hinc *effundere*, ac *depromere*, quaſi ad evacuationem uſque: *Gen*. 42: 35. atque etiam de effuſione aquarum copioſâ dicitur, ſicuti in imbribus fieri aſſolet: *Eccl*. 11: 3. Notat hìc ergò largam & copioſam benedictionis effuſionem.

§. 8. Additur porrò עד בלי די. *Ultra id, quod ſufficit*. Hebr. *ut non ſit ſufficientia*: ſeu *uſque ad non ſufficientiam*. Hæc phraſis non ita obtinet in aliis linguis: quæ ratio eſt, cur verſiones in modo verſionis varient. Particula negativa בלי additur voci די, quam poſtulante ſenſu negligunt Lxx & Vulg. verſ. vertunt enim

Digitized by Google

nim LXX. ἕως τοῦ ἱκανωθῆναι, & Vulg. *uſque ad abundantiam.* Qui retinent, ellipſin volunt, *eo uſque, ut non ſufficiatis*: ſcilicet ut non ſufficiens ſit copia *hominum* ad colligendum, *vaſorum* & *inſtrumentorum* ad comportandum, aut *horreorum* ad recondendum, quicquid meſſis ſuppeditabit. Sicuti in exemplo 2 *Reg.* 4: 3-6. Q. D. Tantam vini, frumenti, olei aliorumque fructuum dabo copiam, ut neque vaſa, neque horrea aut cellæ capere queant. Cl. Coccejus negationem ſufficientiæ ita accipit, ut non notet minus, ſed plus. Sic *non mediocris* eſt plus quam mediocris: οὐκ ἀρκούντως, οὐκ ἀποχρώντως eſt eximiè, pluſquam ſatis: inquit vir doctiſſimus. Ergò *ultra id, quod ſufficit, pluſquam ſatis eſt* hîc promittitur fideliter ſolventi decimas & primitias.

Nec nova eſt illa promiſſio, ſed expreſſè propoſita *Prov.* 3: 9. 10. *Honora dominum de tuâ ſubſtantiâ, & de primitiis omnium frugum tuarum da illi, & implebuntur horreâ tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* Hæc imitatus eſt ſcriptor apocryphus. *Eccleſ.* 35: 11. Conf. *Deut.* 12: 6. 7.

Nota porrò *ultra id, quod ſufficit*, notare meſſem non tantum ſufficientem ad neceſſitatem; ſed quam maximè ſuperfluam ad *diſtractionem*: undè ſolebant magnæ accedere colonis divitiæ: quippe qui, quod ultra neceſſitatem habebant, legitimo vendere poterant pretio.

Verſ. 11. *Et increpabo vobis comedentem, ut non corrumpat vobis fructum terræ: & non ſterilis (vel orba) erit vobis vitis in agro: dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

§. 1. Pergit hic Deus in beneficentiæ ſuæ commemoratione, quam ergà eos, qui ſe miniſtris ſuis & circa miniſterium publicum occupatis, nec non pauperibus, beneficos præſtant, habebat paratam. Opus autem beneficentiæ divinæ, quod nunc recenſet, conſiſtit in averſione malorum, quæ uberiorem ſegetem poſſent evertere, aut ſpem creſcentem eludere.

§. 2. *Increpabo*, inquit, *comedentem.* De poteſtate verbi גער vidimus Cap. 2: 3. nunc verbum *increpandi* notat potentem juſſionem divinæ providentiæ, quâ efficeret, ne quicquam damnum inferat feliciori ſegeti. אוכל *comedens* vocatur, quicquid ſegetem abſumere ſolet, omne genus locuſtarum, avium, ferarum, & quid ni etiam hoſtium, qui cum exercitibus terram invadentes, etiam fruges conſumere in agris ſolent, atque ita ſpem agricolæ decollare. Hæc pertinent ad felicem ſegetis ſucceſſum, ut læta ſit meſſis.

§. 3. Hujus increpationis conſequens hunc in modum ſubnotatur: *& non corrumpet vobis fructum terræ:* vel *ne corrumpat* &c. *Fruges* quæ tam frumenta, quam legumina ſub ſe comprehendunt, in ſacris vocantur פרי האדמה *Gen.* 4: 3. & alibi, in contradiſtinctione ad *fructus arborum. Terra* harum frugum mater eſt, quæ ex ſinu ſuo protrudit omnia, ad humani generis ſuſtentationem facientia.

Corrumpere autem *fructus terræ* dicuntur, quæ ſatum

tum ita lædunt, ut fruges non proferat: quo in caſu omnis agricolæ labor evaneſcit, & terra non dat proventum ſuum. Hoc ſe averſurum promittit Deus (cujus providentiæ & imperio omne genus animalculorum, minimorum etiam, uſque ad locuſtas & bruchos ſubeſt. *Exod.* 4: 4. 6: 12-15. & 19. *Joël.* 1: 4.) qui tale quid promittit ſupplicanti. 2 *Chron.* 17: 13-15.

§. 4. Tranſit à frugibus ad arbores, & *vitem* hìc loco arborum quarumcunque nominat: partim metonymicè: partim quia terra Canaän præ aliis terris celebrata fuit à vinearum copiâ & cultu commodo *Num.* 13: 24. *Deut.* 1: 24. Conf. *Deut.* 32: 14. Adde, quod *vinea* alteram partem neceſſitatum vitæ humanæ adimpleat. Dum enim panis *eſcam*, vinum verò *potum* ſuppeditat, eumque generoſiorem, nihil homini deeſt ad vitam hanc animalem ſuſtendandam: quapropter ſub *pane* & *vino* plenaria hominis alimonia continetur. *Gen.* 14: 18. *Pſal.* 104: 14. 15. הגפן בשדה, *vitis in agro* dicitur: an quia in planitie feliciùs provenit & grandiores protrudit botros, ſicuti *botrus* ex *Neël Eſcol* adducta, id eſt ex *valle Eſcol?* *Num.* 13: 23. 24. An quia in agro ſine ſepimento, & remotiùs ab oculo creſcens? quam benignior Dei cura defenderet, & illæſam conſervaret. Verbum elegans eſt in textu תשכל, quod de abortu animalium adhibetur *Gen.* 31: 38. *Job.* 21: 10. Hìc verò metaphoricè transfertur ad vineam, quæ *abortire* dicitur, quandò non protrudit *uvas*, ex quibus vinum exprimatur. Alluſio eſt ad vocem אשכל, quæ *botrum* ſignificat.

Promiſſio itaque, negans *orbam* aut ſine fructibus ſterilem fore *vineam* eorum, felicem vindemiæ ſpondet ſucceſſum.

§. 5. Suſpenditur illa plagarum averſio *à converſione populi*; quæ perpetua viarum Dei regula eſt. 2 *Chron.* 17: 13-15. *Jer.* 18: 7. 8. 26: 3. Præſertim, ſi *converſio* redeat ad curam ſacrorum. Conf. *Hag.* 2: 16-20. ubi eos vocat ad attentionem, quâ experimentum capiant benedictionis divinæ, à quo largâ manu ad reædificationem templi ex ſuis contuliſſent, quæ neceſſaria forent. Adde *Jeſ.* 1: 18. 19.

Verſ. 12. *Et beatos vos dicent omnes gentes; nam eritis vos terra voluptatis: dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

§. 1. Concludit hìc ſermo tandem in promiſſione gloriæ gentis, apud quaſcunque alias mundi nationes reportandæ: ſi nempè ſe eum in modum ad Deum convertat. Quâ in re maximum divinæ benedictionis conſequens ſpectandum foret.

§. 2. Hoc conſequens eſt; *& beatos vos dicent omnes gentes.* Inter Abrahami promiſſiones erat *Gen.* 12: 3. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Nota, ut hìc committantur *populus Judaicus* & *omnes gentes*; & conjungantur, ſi ille populus ſe convertens fiat hæres benedictionum divinarum.

Supponitur hìc ſpes *vocationis gentium* quarumcunque, quæ per fidem in Chriſtum ſub N. T. reciperentur ad communionem benedictionum ſpiritualium. Illæ *omnes gentes dicerent hos beatos*: id eſt agnoſcerent non ſolùm animo, verùm etiam ore *profiterentur* felicem illum populum propter bonorum magnitudinem, quibus eum præ aliis omnibus ornatum animadverterent.

Hæc opponuntur ſequelis maledictionis: ſicuti enim ſub

ſub maledictione, ſi ſeſe non converterent, ab omnibus gentibus riderentur, & contemnerentur: ita nunc contra ſi ſeſe converterent, & quandò Deum experirentur benignum, ut *felices & beati* à gentibus erant prædicandi.

§. 3. Cauſa tantæ prædicationis datur: *nam eritis vos terra voluptatis.* ארץ חפץ *terra voluptatis* dicitur per Hebraiſmum pro *terrâ gratâ*, ſpectantem voluptate afficiente. Abeſt affixum, ut dubium relinquatur cui grata ſit futura. Quidni id ſtudio ſit? ut omni reſpectu dicatur. 1. *Grata* jam Deo; qui nolit eam perdere: imò contrà, qui videat eam fini ſuo jam planè reſpondere. 2. *Grata gentibus*, quæ videant in eâ pietatem & gratiam Dei habitare: dum cernitur inſtructa omnibus ad vitam & pietatem neceſſariis. Vocatur aliàs ארץ חמדה *Dan.* 11: 16. *Zach.* 7: 14. Conf. *Jeſ.* 62: 4. *Gloria omnium terrarum Ezech.* 20: 6. 15.

Hæc profluunt ex amore iſto, quo Deus gentem Judaicam, propter fœdus cum eâ olim initum, proſequitur, ex quo fieret, ut gens illa aliquandò ad Chriſtum ſit revocanda & ſuo tempore convertenda: nec non in terram patrum ſuorum reſtituenda: prout piè credimus, innixi variis in hanc rem conſcriptis prophetiis.

VIS

Digitized by Google

VIS RATIOCINII DEMONSTRATA.

§. 1. SPectanda eſt hìc ante omnia *legis æquitas*, quæ populo Dei *decimarum & primitiarum* penſionem quaſi tributi loco impoſuit, atque occurrit, *Lev.* 27: 30. ubi *decimæ* dicuntur eſſe *Jehovæ*: *& Jehovæ ſanctæ*: & *Num.* 18: 21. Omnes æquitatis & juſtitiæ cenſores mecum facilè agnoſcent. 1. *De jure divino eſſe*, eum, qui liberrimus eſt poſſeſſionis cujuſcunque largitor, cui omnia noſtra debemus, etiam repetere poſſe, quæ vult, & præſcribere lege, quid & quantum cum aliis communicari velit. Conceſſum homini in ſublunaria dominium (quo nos gratificavit divina munificentia) non tollit jus Dei arbitrarium in eadem ipſa: quippe qui homines per eam benevolentiam ſolùm conſtituit bonorum ſuorum diſpenſatores, ſalvâ repetundi poteſtate, ſi quandò ei tale quid viſum foret: aut legiſlatoriâ ejus auctoritate, ſi quandò communicandi cum aliis legem ſtatuere velit. Hæc abſoluta ſupremi mundi domini poteſtas, nemini non agnoſcenda, efficit, ut quilibet obligatus ſit tantum de iis in uſus ſacros tranſferre, quantum lege ſuâ definire ſummo rerum arbitro placuerit. Qui aliter inſtituit, abſolutum Dei dominium ſceleratè abnegat, & quæ Dei ſunt præter jus & fas ad ſe rapit. 2. Nec minus æqua eſt ratio legis, quæ *decimas & primitias* eum in uſum ac finem inſtituit, ut cum

Digitized by Google

cum ſacrorum miniſtris & pauperibus communicentur, quæ ad vitæ ſuſtentationem forent neceſſaria: confœderatio enim politica, quæ pactum ſocietatis introduxit, ex pluribus unum corpus conficit, & conjunctos ad mutua auxilia adſtringit, ut, dum incerta ſunt humana omnia, nobis mutuo ſuccurramus, & vacillantes erigamus, ac inter potentes mutua officia commutemus. Ex priori fundamento pauperes ex elæemoſynis erogandis alendi ſunt: ex poſteriori remunerandi, qui pro communi utilitate vacant. Non omnia poſſumus omnes, undè curæ diviſæ ſunt: & qui in partem laborum veniunt, æquum eſt, ut etiam partem fructuum ſortiantur: quique ut ſpiritualia ſua dona communicent ad animarum culturam, toti ſtudiis iſtis vacant, exigente id laborum cumulo, etiam partem ex terreſtribus accipiant; ne ſuo damno pro communi utilitate vigilent; & dum curarum multitudine ab aliis rebus aucupandis diſtrahuntur nihilominus habeant, undè honeſtè vivant, oportet: eſt enim operarius dignus mercede ſuâ. Ab eorum numero, qui in ſacris pro populo occupantur, excludi nefas: quantum enim mens præſtat corpore, tantum labor, miniſtrum Dei occupans, dum animos hominum ad ſalutem ædificare annititur, præſtantior eſt omnibus cæteris laboribus, vitam noſtram animalem ſolum curantibus; ut etiam hic æquiſſima ſit officiorum & laborum commutatio. 3. Accedit etiam ratio politiæ Iſraëlis ſpecialis, quæ cum *Theocratia* audiat, *Deum ipſum* agnovit *Regem*, cui templum erat inſtar palatii, *Sacerdotes & Levitæ* aulicorum loco, majeſtati regiæ conſervandæ invigilantium, cauſas populi ad hunc regem deferentium, & voluntatem ejus ad populum referentium. Hæc forma Reipublicæ beatam reddebat populi conditionem, quippe qui nec prudentio-

rem, nec potentiorem, imò adde etiam nec clementiorem ſibi aut conquirere, aut præoptare poterat ſtatus ſui rectorem ac defenſorem. Proin ut dicebam iſta tributi loco pendere, quæ ad iſtum finem impendenda erant pro rei dignitate, debitum erat, quod res ipſa poſtulabat. 4. Hiſce addo & aliud æquitatis fundamentum, quod reipublicæ Iſraëlis fuit peculiare, atque in lege allegatur; *tribum Levitarum* ſcilicet in ſortilegio terræ, licet pari cum cæteris tribubus gauderet jure naturali, nihilominus partem hæreditatis in agris non accepiſſe, ut in bonum gentis ſacris vacaret. Qui ergò ejus partem accipiebant, tenebantur ad partem ex reditibus & proventu terræ ei reddendam, ne ipſi cogerentur omiſſis ſacris partem petere, agroſque ſuos colere: undè neglectus diſtributionis decimarum aliquandò neglectum cultus publici poſt ſe traxit: vide *Neh.* 13:10. 11. Quantæ igitur neceſſitatis & utilitatis eſt in republicâ benè inſtitutâ, ut in eâ cultus Dei vigeat; tantæ etiam æquitatis eſt, ut ſinguli in eum neceſſaria faciant impenſa. Quod etiam ipſi gentiles agnoverunt, qui hâc in parte hunc ordinem ſecuti etiam ſacris ſuis *decimas* deſtinarunt, notante vito eruditiſſimo *Joh. Dougtejo* in analectis ſacris ad locum *Gen.* 14: 20. „ Decimas (inquit ille) ſolutas legimus Jovi, *Herod.* l. 1. c. 84. *Pindar. Olymp. Od.* 2. Decimas datas Apollini. *Eurip. Rheſ. Act.* 3. *Pauſan. in Phocic. Liv.* l. 2. c. 21: 23. Decimas partorum in bello devotas Marti, *Lucian. in l. de Saltat.* Decimas tributas Herculi, *Diodor. Sicul. l.* 2. Undè *Herculana portio*, pro decimâ in proverbium exivit. „ Decimas donatas Minervæ, *Xenoph. H. Gr.* l. 1. „ Decimas ſacratas Dianæ, *Xonoph. de exp. Cyri* l. 5.
„ Nec tantùm Diis ſingulis hoc modo decimas ſol-

Digitized by Google

„ vebant, ſed etiam ſingulis de rebus. De agris, ἱερὸς „ ὁ χορὸς Ἀρτεμίδος. Τὸν δὲ ἔχοντα καὶ καρπέμενον τὸν δε- „ κάτον καταθύειν ἑκάςε ἔτες. *Ager Dianæ* Epheſiæ „ *ſacer eſt. Eum qui poſſideat, & fructus ex eo per-* „ *cipiat, quotannis Decumam conſecrare. Xenoph. u-* „ *bi ſupra l. 5.* Ἀπάγει δ' ἕκαςος Ἀθηναίων τε̃ αὐτε̃ κλήρε „ δεκάτην. *Athenienſium quiſque decimas frugum ſua-* „ *rum ſeparat*, ſacrificiis publicis commodiſque com- „ munibus deputandas: *Diogen. Laërt. in Solon. l.* 1. „ De rebus in foro venditis: οἱ Ἴνδοι δεκάτας ἐκλέγεσι „ τῶν πωλεμένων. *Venditarum rerum Decimas exigunt* „ *Indi.* De rebus venditis, at immolatis, *Ariſto-* „ *phanes in equit.* Act. 1. ſc. 3.

Καὶ σε φανῶ πρυτάνεσιν
Ἀδεκατεύτες τῶν θεῶν ἱερῶν ἔχοντα κοιλίας.

At referam ego prytanibus
Non decimatos te Deum ſacros Poſſidere ventriculos.

„ Super quod Scholiaſtes ibidem. Ἔθος μὲν εἶχον τὰς „ δεκάτας τῶν θυομένων τοῖς πρυτάνεσιν οἱ μάγειροι διδόναι: „ *Mos erat coquis Athenienſibus, ut rerum ſacrifica-* „ *tarum decimas ſupremis urbis Rectoribus offerrent.* „ De ſpoliis in bello captis, quæ ἀκροθίνια dicuntur, „ teſtes ſunt *Dion. Halicarnaſſ.* l. 1. Ἀκρωθίνια λαφύ- „ ρων, *decimæ ſpoliorum*, & *Herodot.* l. 8. c. 121. „ πρῶτα μὲν νῦν τοῖσι θεοῖσι ἐξεῖλον ἀκροθίνια, *ibi ante om-* „ *nia Diis primitias* (ſeu prædæ decimas) *ſelegerunt.* „ Uno verbo: *quæque*, inquit Feſtus, *veteres Diis* „ *ſuis offerebant.*

Fuit lex iſta Judicialis in quantum ex decimis & primitiis poſtulavit Deus pro miniſtris ſuis impenſa facien-

 da:

da: cum lex moralis exigat, ut vitæ ſubſidia non deſint, qui ſacris incumbunt & vacare rogantur. Arbitrii principis eſt, modum definire, quo dotetur eccleſia, & alantur eccleſiaſtici; res ipſa juris divini eſt: nec ſine contemptu numinis negligitur. Ordine inſtituto populi eſt conferre, quæ à Principe in eum finem præſcripta ſunt, nec quicquam detrahendum, cui cultus Dei cordi eſt. Salomoni ea res audit *Deum honorare opibus ſuis*, *Prov.* 3: 9. quod, qui negligit, Deum contemnit.

§. 2. *Juſtitia ſupplicii*, quo legis iſtius violatores plectere viſum fuit Deo, atque ſe deteſtari crimen præambulâ maledictionis immiſſione indicaverat, defenditur ſolidè ex peccati iſtius titulo: Interpretatur enim Deus *decimarum & primitiarum* detruncationem, ut *ſpolium in ſe commiſſum*, quod gentes *ſacrilegium* vocant: quodque Deus pro occulto *impietatis* habet argumento. Hi rigidè inter gentes puniebantur. *Ulpianus multos ad beſtias damnaſſe ſacrilegos, nonnullos vivos exuſſiſſe, alios in furcâ ſuſpendiſſe*, commemorat. *Julius Paulus* l. 5. Sent. T. IX. *Qui noctu manu facta prædandi ac depopulandi gratiâ templum irrumpunt, beſtiis objiciuntur: ſi verò per diem leve aliquid de templo abſtulerint, vel deportantur honeſtiores, vel humiliores in metallum damnantur.* Quod ſi potentiores manus ſuas ſacris injicerent, credebantur divinæ vindictæ expoſiti; nec tales impunitos dimittere numen, eo modo læſum & contemptum; quia *injuriam* iſtam in ipſam *tendere majeſtatem divinam* agnoſcunt omnes, nunquam impunitè violandam. Qui ſacra ſpoliârunt, divinâ manu ſæpiùs cecidiſſe & miſerè periiſſe, leguntur. Exempla *Antiochi*, ex morſu conſcientiæ ſacrilegium exprobrantis, exſtincti. 1 *Macch.* 6: 12. 13. 16.

2 *Mac-*

Digitized by Google

2 *Macch.* 9: 11-18. 28. *Heliodori*, divinis flagellis à direptione templi repreſſi. 2 *Macch.* 3: 23-28. *Craſſi*, poſt violata ſacra Judaica in expeditione Parthicâ cæſi: & multorum aliorum rem confirmant. Nec mirum. 1. Quoniam *ultimus* eſt *impietatis gradus* & *nota* non ſolum *excuſſi ex pectore timoris Dei*, ſed & profanitatis, cultum Dei nullo pretio habentis. Qui contemptus honoris divini non poteſt non iram Dei provocare ergà ſceleratos. 2. Etiam minimus gradus violationis iſtius ſignum eſt animi, lucrum & divitias longè ante Dei gloriam ponentis, ac terrena præ cœleſtibus quærentis, nec non ex peſtifero iſtiuſmodi diſpoſitionis principio à regno Chriſti alieni. Quare, tales cum Eſavo comparandi ſunt, qui primogenituræ jura fratri ob neſcio cujus pulmenti & oluſculi delicias vendidit, ac propterea benedictionum Dei exhæres factus eſt. 3. Quid quæſo ex lege talionis magis æquum cenſeri poteſt, quam ut qui Deum ſpoliare auſit, ſpolietur: qui detrahit Deo, quæ Dei ſunt, ei detrahatur benedictio divina in proventu terræ? juſta talio eſt, ut non accipiat amplius, qui datori bonorum negat, quod ejus erat, & de ſuo repetit. Ex quibus omnibus palam eſt, in Theocratiâ populum, in Deum regem iniquum, jure merito à Rege deſeri, beneficiis regiæ procurationis deſtitui, & ſi regiâ longanimitate abutatur diutiùs per contumaciam, reverſionem poſtulatam negando, nil præter ultimum ſupplicium habere exſpectandum; jam olim divinis oraculis comminatum.

§. 3. Accedit tandem demonſtrandus *illus nexus*, qui hic *inter reſipiſcentiam & antiquarum benedictionum recuperationem* collocatur: quique ſub illo proponitur effato, quo dixiſſe iis dicitur Deus, *revertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Nemo neſcit alteram il-

 lam

lam ſtipulationem fœderis gratiæ poſtulare hominis peccatoris *ad Deum converſionem*, quâ omiſſâ viâ ſuâ aberrante & à Deo abducente, reſipiſcens, cum propoſito emendandi vitam anteriorem ad Deum ſupplex redit, peccata cum dolore & deteſtatione animi profitetur, gratiam in Chriſto rogat, & ut novæ vitæ propoſitum ſuccedat felicius auxilium Spiritus Sancti implorat humillimè. Hujus principium eſt *timor Dei*, omnia ſua conſilia & facta ad honorem Dei ſollicitè componens. Sinceritatis nota eſt *criminum* ex prædominante antehâc concupiſcentiâ ortorum *fuga & emendatio*: quod ſtudium fructus profert reſipiſcentiâ dignos. Iſtiuſmodi *reſipiſcentiæ conſcientia* fiduciam parit reſtipulationis, ex fœdere agentis, omneſque promiſſiones Dei fœderales ex jure fœderali repetentis: fruſtra enim eſſe non poteſt, qui Deum quærit in viâ, quam ipſe ad gratiam ſuam inveniendam præſcripſit. Fundatur autem *ille nexus* in veracitate Dei, & conſilio gratiæ de ſalvandis electis per donum fidei & reſipiſcentiæ: quibus omnem amorem ſuum non ſolum addixit, ſed fœdere & jurejando firmavit. Eſt in illâ converſione renovatio mentis ad imaginem Dei, quam reſpuere ſanctiſſimum noſtrum exemplar, aut ab amicitiâ ſuâ & intimâ ſuâ conjunctione excludere non poteſt. Eſt in eâdem glorificatio nominis Dei, quæ non poteſt non ei in Chriſto eſſe grata & accepta. Quare vult, ut ejus fidem hâc in parte explorent, non dubitantes, ſed credentes.

PRO-

Digitized by Google

PROPHETIÆ

Hujus implementum

HISTORICUM.

§. 1. POpuli Judaici ſtatum circa primordia euangelii, ſub hâc *maledictione primordiali* ita luctuoſum fuiſſe, uti hîc depingitur, Deumque ſentiiſſe, ut benedictiones externas, potentemque ſuam defenſionem ſuſpendentem, ac populum ſub afflictionibus penuriæ manuque principis advenæ relinquentem (qui enervatos propediem tolleret) res evidens eſt ex iis, quæ per teſtimonia hiſtorica jam ante comprobavimus. Romanæ emunctiones, & annonæ defectus, aliquoties repetiti, accedentibus latronum & Arabum depopulationibus, ſenſim ceperunt exhaurire vires gentis Judaicæ. *Joſephus* inter alia *Eleazarum*, latronum Principem commemorat, qui ſub Felice Procuratore captus *per viginti annos regionem fuerat deprædatus:* ut proximè à morte Chriſti populum eum in modum infeſtare ceperit. Herodes inſignem ex prælio cum Aretâ, Arabum Rege, cladem retulit, quam terræ depopulationes ſequi ſolent. Ac tantum abeſt, ut Deus ſe à populo exorari paſſus ſit, ut potiùs omnia quitidiè vergerent in pejus. *Fames*, ſub *Claudio* veniens, & per annos aliquod continuata ferè exſtinctionem gentis minabatur, niſi id malum *Helenæ*

lenæ & aliorum auxilium avertiſſet. Depauperatam indè Chriſtianorum eccleſiam ex Judæis ſervavit credentium ex gentibus liberalitas.

§. 2. Cauſa malorum fuit, quod *tota gens*, quæ ſe ad Chriſtum adduci per euangelium haud paſſa fuit, *ſtatuta Dei* ex inveteratâ animi labe *non ſervaret* : licet videri vellet pro lege maximo flagrantiſſimoque. Zelo imbutum habere pectus : adeò ut ſub *Pilato* & dein ſub *Petronio* potiùs mortem oppeterent, quam admitterent imaginum Cæſarum introductionem. Aſt jure merito tamen culpantur, ut diſceſſionum à ſtatutis Dei rei ; quia, cultum illum externum cum profeſſione Judaiſmi non ex fide, & amore Dei, ſed juxta dictamen concupiſcentiæ retinebant ; quæ huic accommodata erant, eligentes, cum cæterorum prætermiſſione : à verâ pietate alieni & eorum, quibus Deus erat glorificandus, incurioſi. Si horum genium attendamus, *Mammona* colebant, & in ipſo cultu externo non ſpiritualia, ſed terreſtria carnales iſti homines quærebant, Deum in externis ad mundanas benedictiones demereri cupientes : φιλαργυρία & lucri cupido eos invaſerat cum omnis internæ pietatis exſtinctione. Hoc *vitium* notatur in Pharizæis *Luc.* 16: 14. atque proprium eſſe ſolet vulgo, curis mundanis immerſo, quæ mundi ſunt plus curantes, quam quæ gratiæ & vitæ : in ſtudio rerum corporearum ita occupato, ut animam negligat. Hic genius perſplendebat in juvene gloriante, quod omnia præcepta fecerat à teneris : ſed cum Chriſtus illi commendaret omnia diſtrahere, & pretium inter pauperes dividere, triſtis abiit. *Matth.* 19: 20-21. Ubi amor mundi, divitiarum, & commodorum hujus vitæ antecellit amorem Dei, ibi omnis cultus tantummodò externus eſt : & Zelus fucum facit, nec ſtatuta Dei ſervan-

vantur integrè aut ex ſcopo. Docuit hanc cauſam fuiſſe, cur vocationi euangelicæ minùs auſcultarint Judæi *Matth.* 22: 5.

§. 3. Specimen hujus ingenii in populo notatur in defraudatione *decimarum & primitiarum*, quod proponitur ut avitum crimen: quia illud jam olim notatum eſt in populo, *Nehem.* 13: 10. Nec obſtat, quod Chriſtus *Matth.* 23: 23. tribuat Pharizæis ἀκρίβειαν in decimatione menthæ, anethi, & cumini: cùm hæc gloriatio Pharizaica ſupponat defectum in vulgo, quoniam hoc hominum genus eo ipſo ſanctior videri voluit & religioſior præ communi turbâ. Adde, quod Chriſtus illos ſimul culpet ut hypocritas, qui in minimis exacti, in maximis & gravioribus deficiebant, fraudes ſuas tali fuco obtegentes. Conf. *Rom.* 2: 22. Perfidum ſacrilegii ingenium, ne à graviori quidem ſacrilegii ſpecie abhorrens, poſtea manifeſtavit vulgus; quando ſub Judaici belli motibus ne quidem ſacrilegas manus à ſacris templi continuit: de Zelotis enim *Joſeph.* B. J. 6: 1. *occupato interiore templi aditu; ſuper ejus portas in ſacris foribus arma ponunt, & abundare quidem ſe ſuis neceſſariis confidebant: ſacrarum enim rerum copia ſuppetebat, nihil impium exiſtimantibus.*

§. 4. Verum quoque eſt populum vocem euangelii, ad reſipiſcentiam invitantem, communiter rejeciſſe, & maximas illas benedictiones pervicaciâ ſuâ à ſe removiſſe; quare terra iſta juſto Dei judicio *anathemate* percuſſa eſt; dum illi non aliter ac olim Cananæi ex eâ ejecti ſunt. Proin hoc in ſpeculo etiamnum legere poſſunt, quantum bonum rejecerint, & etiamnum à ſeſe avertant, dum in ſuâ perſtant perfidiâ; ac finem ſtatutorum Dei non agnoſcunt: eſt enim iſte nexus inſolubilis, quem oraculum hoc revelat: ut converſio popu-

Digitized by Google

li univerſalis ad timorem Dei per fidem in Chriſtum ſibi conjunctam habitura ſit poſſeſſionem terræ cum omnimodis benedictionibus. Qui nexus etiam manſiſſet & manet adhuc ſub regno Chriſti ſpirituali: licet enim finitâ Vet. Teſt. œconomiâ terra Canaän non amplius haberet rationem formalem pignoris cœleſtis, aut umbræ hæreditatis mundi: poterat tamen ſingularem præſtare uſum, qualem habitura eſt ante finem temporum; quandò primariam & exemplarem hæreditatis mundi conſtituet partem, atque cultui N. Teſt. haud infimam præbebit ſtationem, Deo novis ſuis benedictionibus teſtimonium dante, quod eam ab anathemate liberaverit, cumque antiquis ejus poſſeſſoribus redierit in gratiam. Conf. *Deut.* 32:43. Hinc ſequitur, quod iſte nexus in præſenti inculcetur pericopâ ut verus, & certiſſimus; quo intelligant Judæi, hanc felicitatem à populo Judaico avertiſſe ejuſdem pertinaciam, ex carnali mundi concupiſcentiâ regnum Chriſti ſpirituale rejicientem, & finem ſtatutorum Dei abnegantem: quæ maledictionem benedictionis loco ſubſtituit, & in hunc uſque diem gentem Judaicam, patriâ extorrem, ſub jugo aliarum nationum ſubjecit. Verùm etiam ſimul innuit ſpem patriæ cum priſtinis benedictionibus recuperandæ decollatam eſſe, donec ad Deum redeant, & cum agnitione finis legis ſe ad Chriſtum Regem convertant.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
QUINTUS
Epicuræis oppoſitus, Pioſque ſolidâ inſtitutione erigens.

Mal. III: 13-18. & IV: 1-3.

§. 1. NUnc ultimo loco poſt pontifices, legisperitos & vulgus populi corripiendi veniunt *Epicuræi* in gente; negantes quicquid ſacrâ pagina aut ſperandum aut metuendum tradit poſt hanc vitam. Homines omnem humanam felicitatem ex hujus vitæ fortunâ expendendam eſſe ſtatuentes. Hi concipiuntur, ut *vocationi populi ad reſipiſcentiam & converſionem* obnitentes, ac ſpem digniorem, quam boni de regno Chriſti meliori conceperant, albis ut ajunt dentibus deridentes, quò omne prodromi Chriſti & euangeliſtarum ſtudium, ad populi emendationem impenſum, reddant evanidum. Quare correctio populi in communi in hâc ſcenâ reſpicitur ut res deplorata; quod Reipublicæ certum infligeret exitium. Concipe ergò hos improbos ut ita inter Judæos longè maximam partem populi obfirmantes, & Deum ac Chriſtum eum in modum conſpuentes.

§. 2. Interim ex aliâ parte in eâdem ſcenâ depinguntur pii, per euangelii præconium converſi & collecti, ac ſe mutuò pioribus colloquiis adverſus tam impiam

Digitized by Google

adverſariorum deblaterationem confirmantes: qui ſe ſuis dictis timore Dei imbutos & tam inſulſam doctrinam deteſtantes comprobant: ſe à ſpe remunerationis divinæ ne quicquam per iſtas objectiunculas dimoveri teſtificantes.

§. 3. Deſcribit porrò Propheta noſter, ut in viſione ſuâ viderit Deum intercedentem, atque paucis ſermonem ſuum ad impiam iſtam hominum colluviem dirigentem, ut eos accuſaverit blaſphemiæ, ac duri ſermonis contra ſe, & vias ſuas. Eſt autem ille ſermo comparatus ad eorum correptionem brevis, atque audax eorum conſilium acriter perſtringens, quo eos apertos cauſæ ſuæ hoſtes declarat: cæterum eos ut homines incorrigibiles omittens, imminenti judicio abhinc puniendos.

§. 4. Pluribus tamen agit cum piis, profeſſionem ſpei retinentibus, ac in timore nominis ſui pergentibus: quos longiori ſermone affari dignatur. His autem pollicetur ſe manifeſtaturum, quid diſcriminis intercedat inter juſtum & injuſtum, Deum timentem & profanum: quamque non fruſtrà laborent, qui Deum colentes, ejus cuſtodiam obſervant. Præprimis ſpondet in eum finem diem, qui diſcrimen illud palam faceret, quo ſub alis ſolis juſtitiæ ad defenſionem ſuſcepti lætabundi ac à malo immunes exirent: cæteri verò horrendo ſuo judicio, toto orbe ferè inſpectante, plecterentur.

§. 5. Induit ergò Deus ſpeciem differentis cauſæ ſuæ deciſionem uſque ad diem judicii, à Judæis ſumendi, quo ipſâ ſuppliciorum illatione impia iſta ratiocinia confunderet: & quam nequiter impii tolerantiam ac manſuetudinem ſuam in pejorem interpretarentur partem; idque in propriam perniciem, oſtenderet. Interim hoc agens,

agens, ut pios confirmet in propoſito, quos jubet perſeverare in exſpectatione diei, quo ſuos aſſerendo improbos plecteret.

ELENCHI

Hujus Analyſis.

NOtemus igitur in totâ hâc pericopâ.

I. Epicuræos ob profana colloquia correptos divinitùs: ubi occurrit.

1. Accuſatio generalis. Cap. 3: 13. *Duri ſunt contra me ſermones veſtri, dixit Jehovah.*

2. Exceptio, indicationem criminis in ſermone poſtulans: *& dixiſtis, quid collocuti ſumus contra te?*

3. Probatio criminis per indicationem duriorum ſermonum, profana eorum dogmata continentium, verſ. 14. 15. *Dixiſtis: vanum eſt ſervire Deo: & quid emolumenti, quod obſervamus obſervantiam ejus? & quod ambulavimus atrati coram facie Jehovæ* Dei *exercituum? Igitur nos beatos prædicamus feroces: & ædificati ſunt facientes improbitatem; & explorarunt Deum, & effugerunt.*

II. Pios à colloquio ſuo habito confirmatos, ubi obſervetur.

A. Colloquium piorum inter ſe ad mutuam erectionem verſ. 16. *Tunc colloquebantur timentes Jehovam, quiſque ad proximum ſuum. Sanè attendit Jehovah & audivit: & conſcriptus eſt liber memorialis coram facie ejus pertimentibus Jehovam, & reputantibus nomen ejus.*

 B. Con-

B. Confirmatio divina, per internuntium communicanda, quâ exponit

1. Gratiam ſuam erga hos pios exſerendam. verſ. 17. *Et erunt mei dixit Jehovah Deus exercituum, in diem, quo ego faciam peculium, & parcam iis, quemadmodum parcit quis filio ſuo, qui ſervit me.*

2. Effectum diei judicii utriuſque claſſis.

a. Enunciatio generalis ſpondet manifeſtationem diſcriminis hominum utriuſque claſſis. verſ. 18. *Et denuò videbitis* diſcrimen *inter juſtum & impium: inter colentem Deum & non colentem.*

b. Amplificatio hujus enunciati, quam deſcribit, indicando differentem utriuſque partis ſortem in die definito.

I. Judicium impiorum. Cap. 4: 1. *Nam, ecce dies ille venit ardens ut clibanus, & erunt omnes feroces, & omnis faciens improbitatem ſicut palea: & inflammabit illos dies ille veniens (dixit Jehovah* Deus *exercituum) adeò ut non relicturus ſit ipſis radicem & ramum.*

II. Felicitatem piorum in duplici relatione; A. Conditionis propriæ verſ. 2. *Et exorietur vobis, timentibus nomen meum, SOL juſtitiæ, & ſanitas erit in alis ejus, & egrediemini, & augeſcetis ut vituli ſaginarii.* B. Superioritatis ſupra hoſtes. verſ. 3. *Et conculcabitis improbos: quia erunt cinis ſub plantis pedum veſtrorum, eo die, quem ego facio: dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

EX-

EXPOSITIO TEXTUALIS.

Verſ. 13. *Duri ſunt contra me ſermones veſtri; dixit Jehovah: & dixiſtis; quid collocuti ſumus contra te?*

§. 1. Tandem hìc Deus cernitur arguere peſſimum hominum genus, quod inter profeſſos hoſtes ſuos recenſet; quibus attribuit *ſermones contra ſe* dicens: *duri ſunt ſermones veſtri contra me.* Hi *ſermones* poſtea allegantur, & nunc culpantur, ut *contra Jehovam* militantes, Deo injurioſi, & gloriæ ejus detrahentes: quippe vias Dei, in ſcripturis revelatas, planè ſubvertentes. Imò *duri* dicuntur; quia Deum faciunt *durum*, & gratiâ ac bonitate deſtitutum. Alii vertunt *invaluerunt*, qui volunt impudentiæ incrementum & doctrinæ peſſimæ progreſſum indicari: ita concipiuntur illi argumentis & modis confirmare laboraſſe iniquam Deo hæreſin; quibus multos homines carnales pertraxerant in ſuam ſententiam, peculiarem ſectam conſtituentes, atque multos iſtius profeſſionis hæreticæ diſcipulos facientes.

§. 2. Illi accuſati depinguntur porrò, ut contra illam accuſationem inſurgentes, expoſtulando & petendo, ut illis dicatur, *quid collocuti ſint contra Deum? & dixiſtis*, reponendo cum ultimâ impudentiâ: *quid collocuti ſumus contra te?* Verbum נדבר *in Niphal* non uno modo accipitur ab interpretibus. Chaldæus & Rabini nonnulli volunt hoc verbo indicari *contradicendi perſeverantiam & frequentiam.* R. David Kimchi tamen hoc verbum in iſtâ conjugationis formâ ſenſu *colloquen-*

Digitized by Google

quendi venire probat ex verſ. 18. *Pſal.* 119: 23. *Ezech.* 33: 30. Ita נִפְתַּל *colluctari*: & נִלְחַם *compugnare*. Res ipſa evincit ſermones hìc notari, cum aliis habitos, quos in aſſenſum ſententiæ ſuæ pertrahere ſuis moliebantur cavillationibus.

Verſ. 14. *Dixiſtis: vanum eſt ſervire Deo: & quid emolumenti, quod obſervamus obſervantiam ejus? & quod ambulavimus atrati coram facie Jehovæ Dei exercituum?*

§. 1. Reſponſum ad interrogationem iſtam impudicam, quod flagitant, accipiunt. *Dixiſſe* in colloquiis & diſputationibus, imò & defendiſſe feruntur, quæ hic allegantur. Inter quæ eſt aſſertio, *vanum eſſe ſervire Deo.* Solet ſcriptura profanorum hominum dicta odioſè exprimere; ſed tamen ex mente dogmatizantium, atque ita ex vero: qui enim dicit *Deo ſervire* eſſe ſtudium ſine præmio, cui Deus nihil nec in hâc nec in futurâ vitâ retribuit: ille reverà dicit *vanum eſſe*, ſeu ſtudium ſine fructu *ſervire Deo.* Hoc autem dicunt, qui ſtatuunt poſt mortem nihil ſperandum, nec corporis reſurrectionem, nec animæ conſervationem: & ſimul agnoſcere coguntur impiis in hâc vitâ ſæpius multa lætiora & feliciora evenire præ piis. Hæc quandò Dei cultoribus eveniunt, reverâ *in vanum Deo ſerviunt* ex horum hypotheſi. Quod qui ſuis ſermonibus urgent, contra Deum loquuntur, atque omnem pietatis flammam in hominum animis exſtinguunt. Cum contra teſtatus ſit Deus, ſe nunquam dixiſſe Iſraëli, *quærite me fruſtra. Jeſ.* 45: 19.

§. 2. Hoc ut confirment, provocant ad experientiam qua-

Digitized by Google

quare ſequens interrogatio ſpeciem probationis induit; quâ rogant; *quid emolumenti*, ſcilicet adduxit; *quod obſervamus obſervantiam ejus?* ſpem vitæ futuræ negantes, nunc etiam impugnant fructus hujus vitæ, quos ſub titulo *emolumenti* proponunt. Verbum שמר cum ſuo derivato quaſi per reduplicationem conjunctum, *obſervare obſervantiam*, diligentius religionis & cultus Dei ſtudium notat: Conf. *Jon.* 2: 8. *Ezech.* 38: 7. Alluſio tamen ſatis manifeſta eſt ad ephemerias Sacerdotum, Levitarum & civium, qui ſtationarios agebant, ac vicem ſuam obſervantes totum referebant populum. Hæ משמרות dicebantur: vide modò 1 *Chron.* 9: 23. Quare indicatur hâc enunciatione cultus publicus, quem in templo peragebant: atque tranſfertur ad omnem cultum. Conf. *Prov.* 8: 34. 35. Negant indè aliquid emolumenti hiſce temporibus redundaſſe in populum; quippe quæ ex anterioribus conſiderantur ut tempora *maledictionis*, ut videre eſt verſ. 9. quibus Deus non reſpiciebat eorum ſacrificia Cap. 2: 13.

§. 3. Imò etiam luctum publicum fuiſſe ſine fructu ex eâdem deducere conati fuerant experientiâ; dum dixiſſe ponuntur: & quid emolumenti adduxit, *quod ambulavimus atrati coram facie Jehovæ* Dei *exercituum?* phraſis *ambulare coram facie Dei in atrore* ſignificat cultum Dei in jejuniis & publicis ſupplicationibus ac humiliationibus; ut commune infortunium lugentes, & Deum ad ablationem malorum ſupplicantes ſolent. Lxx interpretès καὶ ἐπορεύθημεν οἰκέται, lege ἱκέται: nam *ſupplices incedebant* lugubri habitu. De nigredinis ſeu atroris ſignificatione haud dubitandum ex loco 1 *Reg.* 18: 45. Reſpicit indumenta atri coloris; quæ luctus & triſtitiæ erant ſigna, *Job* 30: 28. *Pſal.* 35: 13. 14. 38: 7. 42: 10. 43: 2. ſicuti & veſtimenta alba erant lætitiæ.

Eccl. 9: 9. Etiam Græci & Latini in luctu funerali atras induebant veſtes, tanquam mæroris ſigna. *Euripid.* in Alc. *Act.* 4.

Πᾶσιν δὲ θεσσαλοῖσι ὧν ἐγὼ κρατῶ,
Πένθος γυναικὸς τῆς δὲ κοινȣ͂σαι λέγω
Κȣρᾶ ξυρηκεῖ καὶ μελαμπέπλῳ ϛολῇ.

Omnes autem Theſſalos quibus ego impero;
Hujus luctus jubeo eſſe participes,
Comæ raſurâ & pullis amiculis.

Hinc *Ovidius* Metam. l. 6.

Induiturque atras veſtes, & inane ſepulchrum conſtituit.
Atrata plebs comparebat in funere Germanici: inquit *Tacitus* ann. l. 3: 1.

Nunc verò negant quicquam emolumenti populum etiam ex iis retuliſſe; qui ne quidem humiliatorum ſupplicationes exaudiit.

§. 4. Meritò hæc dicta, ut duriora, & contra Deum directa allegantur: Talia enim eo tendunt, ut omnem pietatem in hominum animis exſtinguant, funditusque evertant. Pone Deum fruſtra coli, aut ſine ſpe inventionis quæri: quis quæſo non in ipſo opere fatiſcat? ita ſupremum illud numen depingunt ut omni benignitate & miſericordiâ orbum, nominis ſui venerationem ſusque deque habentem. Ita verbis planè contumelioſis Deum proſcindebant, & à rerum humanarum curâ excludebant, quaſi cœcæ fortunæ arbitrio ac temeritati omnia permitteret.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ 15. *Igitur nos beatos prædicamus feroces : & ædificati ſunt facientes improbitatem , & explorarunt Deum , & effugerunt.*

§. 1. Hìc ſermo impiorum adornatur ut progrediens ad antitheſin, quâ illuſtrior fiat oratio: quæ ſortem Deum colentium longè deprimit infra ſortem hominum profanorum : prædicantur enim illi ut miſerè vexati , & infelices : hi vero ut beati.

§. 2. Vocantur hi *feroces* זדים : notatque vox homines , ſeſe præ aliis efferentes non ſolùm , ſed humiles atque modeſtos cum contumeliâ opprimentes , atque præ tumidâ ſuperbiâ in Deum & eccleſiam ejus elatà manu inſultantes : dum peſſimos ſuos fines ſingulari mentis fiduciâ proſequuntur. Homines , qui timore Dei deſtituti omnia ſacra ridere audent , & conculcare; nec ullâ re ſe frænari aut cohiberi patiuntur ab effectis animi petulantioris , jura divina & humana ſúſque deque habentis.

§. 3. *Hos* , inquiunt , *beatos prædicamus* , אנחנו מאשרים. Hæc verbi אשר ſignificatio in *pihel* eſt, *Gen.* 30: 13. *Job.* 29: 11: exponit enim opus judicii de cujuſdam felicitate , & beatà conditione. Cumque beatos judicent , & longè melioris conditionis feroces , quam pios , Deum humiliter colentes : arguuntur , ut temerarii judicii & principia pietatis convellentis rei : quia ex fortuna exteriori de felicitate hominum ſtatuunt. Hæc eſt ſententia hominum , ſpem futurorum poſt mortem negantium , atque nil niſi præſentem fortunam expendentium , atque in hâc vitâ ſolùm ſummum bonum obtineri penes ſe ſtatuentium.

 §. 4.

Digitized by Google

§. 4. Vocantur etiam *improbitatem facientes*. Vox רשעה omne factum ſignificat, quod ſua pravitate quenquam jure civitatis indignum conſtituit, atque in foro judicii ad ſupplicium excidii aut exilii damnandum. Transfertur in ſacris à civitate terreſtri ad civitatem Dei, notatque factum ſpe juſtitiæ auctorem deſtituens, & ex gratiæ Dei communione excludens. *Improbitatem facere* igitur eſt fundamentalia regni Dei jura violare & rejicere., ipſoque opere ſe vita æterna indignum comprobare, dum ſe manifeſtis commaculant ſceleribus, quibus ſe totos tradunt.

§. 5. Dicuntur tamen tales *ædificati*, id eſt, conſecuti domos, agros, familiam & amplam poſteritatem, omniaque fortunæ bona, quæ mundani homines avidè captare ſolent. Vide *Job.* 22: 23.

§. 6. Nec his contenti addunt, *etiam explorarunt Deum*, Lxx reddunt verbo ἀντιςῆναι: ſed verbum בחן propriè *probare* & *explorare* ſignificat. Hìc venit ſenſu *tentationis* dum homines, de Dei verbo, veritate, potentiaque dubitantes, divinæ longanimitatis & patientiæ experimentum capiunt, eumque quaſi provocant, ut ita exemplunt cedat. Qualis tentatio Dei inter graviora ponitur crimina: *Deut.* 6: 14. *Pſal.* 78: 41. 56. 95: 9.

§. 7. Huic nihilominus ſubjiciunt, *& effugerunt*, ſive *evaſerunt*, atque ita impunè abierunt. Verbum נמלט *evadere* ex periculo notat, ut avis, quæ ex laqueo evadit, *Pſal.* 124: 7. Mens aſſertionis eſt, tales ſæpius ex publicis calamitatibus & privatis periculis, in quibus alii occubuerunt, immunes exiiſſe, ab omni incommodo liberi, vitamque ad ultimam ſenectutem protrahentes Ut non ſatis ſit tales florere opibus cæteriſque omnibus rebus abundare; ſed etiam videan-

Digitized by Google

deantur præ aliis emiti ex periculis atque judiciis, à quibus evadunt ſalvi & incolumes. Quale quid impiis evenire obſervant & pii: *Job.* 21: 7-15. *Jer.* 12: 2. *Pſal.* 73: 5.

§. 8. In hiſce gravius aliquod dictum contra Deum putandum eſt: quippe, qui non ſolum pietate hominum non afficiatur ad beneficentiam; ſed ne impietate ſceleſtiſſimorum quidem provocetur ad iram aut judicium: quo ſermone etiam orbatur omni juſtitia: quaſi ipſi malum & bonum res eſſet indifferens; quæ ſumma adverſus ejus decentiam blaſphemia eſt.

Verſ. 16. *Tunc colloquebantur timentes Jehovam, quiſque ad proximum ſuum. Sanè attendit Jehovah & audivit; & conſcriptus eſt liber memorialis coram facie ejus pertimentibus Jehovam & reputantibus nomen ejus.*

§. 1. Narratio prophetica hìc elenchi divini fructum ſubnectit inter pios, prout ei in viſione ſua tota ſcena objecta fuit: ſcilicet Verbum elenchi operatum fuiſſe in iis colloquium de impietate iſtius hæreſeos, quam propterea & ipſis deteſtandam, fugiendamque pariter agnoſcunt. Cujus colloquii finis eſt ſe invicem in ſpe ſalutis confirmare, atque in elencho Dei acquieſcere.

§. 2. Appellantur hìc oppoſitum ſocietatis corpus conſtituentes *timentes Jehovam*, in oppoſitione ad feroces impietatem facientes, & Deum tentantes: à quibus hominem cohibet *timor Jehovæ*, qui ſapientiæ & pietatis eſt initium, dum ex agnitione Jehovæ ut ſolius

Digitized by Google

veri Dei, ac decentiæ ejus non audet ei tribuere quicquam, quod ejus decentiæ detrahit, nec facere, quod iram ejus provocat: idque ex ſtudio, ei placendi, & in ejus amicitia ſe lætificandi. Metuit quicquam cogitare de Deo, quod ejus gloriæ ſit contrarium, aut facere, quod vel ullam virtutis abnegationem includit, aut ejus majeſtatem obſcurat: contra ac adverſarii, quibus defectus timoris Dei erat malorum omnium fons ac ſcaturigo.

§. 3. *Hi colloquebantur* (vide de verbo נדבר verſ. 13.) *tunc* ſcilicet cum & impia adverſariorum audiviſſent colloquia, & Spiritus Sancti elenchum. Ita adſtipulantes verbo Dei, & contra omnem ſapientiam carnis ſeſe etiam opponentes.

§. 4. *Quiſque ad proximum ſuum.* Hebr. *Vir ad ſocium ſuum*, viæ ſuæ comitem, & ejuſdem, in hâc vitâ peregrinationis ac ſtudiorum conſortem. Hebraiſmus eſt ſatis frequens.

§. 5. *Sanè attendit Jehovah & audivit.* Diſſentiunt hìc interpretes, dum alii hæc verba ad narrationem propheticam trahunt, atque exponunt de attentione Dei ad colloquium piorum, cum ſubſequente conſcriptione commentarii. Alii accipiunt ut materiam colloquii piorum complectentia & argumentum piæ collationis exponentia; ut attentio Dei, quam profitentur, ſpectet ad impiorum colloquia, quam colligunt ex perceptione elenchi auditi. Poſterior ſenſus nobis videtur ſimplicior, ut colloquium piorum notetur cum ſermonis argumento: atque tunc *vau* copula vim aſſertionis exercet. Conf. *Pſal.* 94: 4.

Attendere & audire dicitur Jehovah in oppoſitione ad ejus tolerantiam antecedaneam, quâ diu viſus fuerat iſta Epicuræorum dicta neglexiſſe, non confunden-

dendo illud hominum genus. Quæ tolerantia ejus etiam ad fidelium tenderat explorationem, cum ratiociniis carnis non nunquam luctantium. Nunc verò anoſcunt tolerantiam Dei non eſſe interpretandam per *non attentionem:* cum ex audito Dei elencho contra palam fiat, Deum audiviſſe ea cum deteſtatione, licet reſponſum hoc elencticum diſtulerit. Videntur *timentes Deum* hìc corrigere cogitationes ſuas, antea hæſitantes circa vias Dei: aut ſaltem nunc in nervum erumpere, ut oppugnatas à carne cogitationes jam confirment & ſtabiliant.

§. 6. Additur, *& conſcriptus eſt liber memorialis coram facie ejus.* Nota ut ספר זכרון *liber memoriæ* dicatur qualecunque volumen, in quo notantur, quæ oblivioni tradi non debent: publicum monumentum, in quod res memorandæ referuntur, & ad perpetuam memoriam inſcribuntur. Hinc V. V. *liber monumenti.* Alluſio fit ad commentarios, in quos Regum juſſu præclare geſta referri ſolebant, ut in memoriam redacta oportunam recipiant compenſationem. Exempla vide Eſth. 6: 1. 2. 12: 4. Confer, 1 *Reg.* 4: 3. Hoc metaphoricè tranſfertur ad gubernationem Dei, cui tribuuntur libri in die judicii aperiendi *Dan.* 7: 9. *Apoc.* 20: 12. Hinc ipſe Spiritus Sanctus depingitur habens *atramentarium ſcriptoris ad renes ejus, Ezech.* 9: 2. & *Jeſ.* 65: 6. *Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinum eorum.* Confer *Pſal.* 56: 6. *jactationem meam numeraſti ipſe, pone .. in rationibus tuis.* & *Job.* 31: 35. *Et librum ſcribat ipſe, qui judicat.* Additur *coram facie ejus,* ut perpetuò inſpiciat: atque ita nunquam obliviſcatur. Senſus metaphoræ eſt, Deum nunquam obliviſci malorum, quæ hoſtes ejus ſcelerate perpetrarunt, nec

præ-

Digitized by Google

præclarè geſtorum, quæ ſub certamine eccleſiæ pii magno animo præſtiterunt: ut non ſemper ſit taciturus ad utriuſque partis opera; quippe qui malis mala, bonis verò bona retribuet in tempore.

§. 7. In quorum id fiat bonum & ſolatium ſubjungitur: *pertimeſcentibus Jehovam & reputantibus nomen ejus.* Notantur hìc objecta gratioſæ Dei curæ: quæ ſunt ipſi illi colloquentes; qui dicuntur (ut vidimus §. 2.) *timentes Jehovam;* non homines, ut apoſtatæ, & mancipia humanæ auctoritatis; non Deos alienos, ut gentes & idololatræ; ſed Deum Abrahami, ut unum ſolum verum Deum audiendo, & ab ejus mente ne hilum recedendo. Hi dicuntur etiam *reputantes nomen ejus. Nomen Jehovæ* notat omne id, à quo in verbo ſuo & confeſſionibus piorum celebratur: omnem ejus gloriam, undè in laudibus fidelium exaltatur: quicquid ei tributum, ei famam, auctoritatem, & amorem conciliat. Circa hoc *nomen* legitimè verſantes dicuntur id *reputare*; verbum חשב *cogitare* ſignificat, & cogitando *putare*, atque ita rei pretium expendere, illudque in ſuo ſubjecto agnoſcere. In hac mentis operatione notandum eſt ſtudium *exiſtimandi* Jehovam, ut omnis perfectionis ampliſſimum poſſeſſorem, omnis virtutis puriſſimum exemplar, omniſque boni unicum & uberrimum fontem: ex quâ exiſtimatione ſponte reſultant reverentia, amor, fides, ſpes, noſtrique ſubjectio ſub ejus arbitrio in ipſa cruce. Hi concipiuntur ita *Jehovæ* accepti, ut eorum nomina, paſſiones & ſtudia ſuo placuerit inſcribere commentario, ne eorum fructus pereat: imò ut eorum in gratiam etiam in eodem volumine notare voluerit hoſtium facinora & injurias, quibus dilectos ſuos opprimere laboraverant, ut in die judicii retributione malorum eos condemnet, eccleſiam ab

Digitized by Google

ab eorum injuriis liberet, & bonam cauſſam ſuorum juſtificet.

§. 8. Etiam hòc colligunt *colloquentes* ex manifeſtato Dei elencho: ſcilicet Deum non obliviſci iſtorum profanitatis & arrogantiæ, & paſſionis proborum, qui fuerant ſub iſtorum impietate lugentes, & omne opprobrium ferentes: atque opponunt libri iſtius mnemonici conſcriptionem dogmati iſti Epicuri, quo Deum res humanas curare negabant, atque omnem ſpem proborum, aut metum profanorum poſt hanc vitam exſtinguere laborabant.

Verſ. 17. *Imò erunt mei, dixit Jehovah* Deus *exercituum, in diem, quo ego faciam peculium, & parcam iis, quemadmodum quis parcit filio ſuo, qui ſervit me.*

§. 1. Redit Propheta ad narrationem ſuam, refertque reſponſum, quod audiverat, divinum piorum colloquium confirmans, atque ſpem fidelium ratificans. *Vau* copula hìc facit ad exaggerationem: quare vertimus per *imò*. Alloquium eſt ad Prophetam, cui committit hoc verbum confirmatorium, ut cum piis omnibus communicet: quo intelligant Deum eorum conſtantiam in ſpe eum in modum approbare: quippe ipſo opere manifeſtaturus in tempore, quod eos habiturus ſit ut peculium ſuum.

§. 2. Promiſſio divina eſt, *erunt illi mei*. *Alii* vertunt, *erunt mihi peculium*. Sed verſio, quam poſuimus, magis reſpondet accentibus, quia voces in textu עשה ׀ סגלה cohærent. Spes, quam *timentibus ipſum* concedit, maxima eſt: *erunt mei*, id eſt, por-

tio mea: quæ elocutio exprimit aſſertionem Dei interceſſoris, qui ſibi vendicat, quos jure redemptionis ſuos fecit. *Pſal.* 16: 6. *Jeſ.* 43: 1.

§. 3. Quos ſuos vocat, eoſdem etiam ornat titulo *peculii.* Vox סגלה κειμήλιον ſignificat: quicquid pretioſum eſt, & quâ tale diligenter recondi, & ſtudioſè aſſervari ſolet: ut ſunt gemmæ, uniones, aurum, & argentum pretioſè cælatum, quæque inter maximas gazas recenſentur: res ſelectiſſimæ & chariſſimæ, quæ in deliciis habentur, & tanquam ſingulares reconduntur. Vide *Eccl.* 2: 8. 1 *Chron.* 29: 3. Cogita hic optimam divitiarum partem, non ſine maximo pretio acquiſitam & emptam. Hoc titulo inſignitur *populus*, aliquandò ſummâ Dei gratiâ ornandus: ad quam promiſſionem hìc fit alluſio, quæque extat *Exod.* 19: 5. *Deut.* 6: 6. 14: 2. 26: 18. *Pſal.* 135: 4. Conf. *Jeſ.* 43: 4.

§. 4. Ad oportunitatem temporis facit, quod additur, *in diem, quo ego faciam peculium* Hebr. *quo faciens peculium* ſcilicet ſum, aut ero. *Dies* notat tempus alicui rei definitum. Dies hic notatur, ut tempus *faciundi peculium. Facere peculium* eſt ſibi comparare peculium, & omni modo transferre in ſuam poteſtatem, atque adornare, ſicuti qui gazam colligit, ornat, & in locum ſuum recondit. Proin, quandò *de populo peculii* dicitur, ſeu de eccleſiâ, includit præter redemptionem ejus actualem vocationem, & exornationem per dona Spiritus Sancti, nec non introductionem in ſtatum quietis N. T. unâ çum conſtitutione ordinis & defenſionis. Eſtque *ille dies acceptationis* (*Ieſ.* 61: 1-3.) qui ſe extendit *ab horâ redemptionis* uſque ad horam introductionis libertatis, ac conſtitutionis eccleſiæ Chriſtianæ: quo etiam ſuos ex Judæis ſepararet à com-

Digitized by Google

communione carnalium & ſpem patrum ac Chriſtum abnegantium. Vocatur etiam *ille dies redemptorum.*

§. 5. Conſequens iſtius amoris & defenſionis ponitur in verbis; *& parcam illis.* Verbum חמל notat illud compaſſionis & miſericordiæ exercitium, quo quis ita eripitur ex communi pereundi periculo, ut effecta iræ eum non tangant. 1 *Sam.* 23: 21. 2 *Sam.* 21: 7. *Pſal.* 72: 13. Nec ſolùm notat *ignoſcere*, ſed etiam prudentiſſimè conſulere & proſpicere, ut in tuto ſit, ac non lædatur. *Ezech.* 36: 21. Mens dicti eſt; Deum curaturum, ut ſeveriori judicio ſuo adventante, eccleſia ſua abſque læſione in tuto ſit: & ejuſdem mali, quod impiis immitteret, haud particeps. Confer quoad rem *Dan.* 9: 27. *Zach.* 11: 7.

§. 6. Exaggeratio iſtius gratiæ fit per comparationem: *quemadmodum parcit aliquis* [vir] *filio ſuo.* Ita confert Deus clementiam ſuam cum ϛοργῇ parentum: ſicut enim pater non exuit amorem ſuum, quo complectitur filium ſuum, neque eum ex domo ſua expellit, etiamſi in eo animadvertat nævum quendam leviuſculum: Ita ſpondet Deus ſe acturum cum ſuis, etiamſi in die gratiæ invenirentur adhuc plus juſto adhærere rebus abolendis. Nota hìc œconomiam gratiæ Nov. Teſtamenti habituram Deum, ut paterno affectu ſuos proſequentem. *Pſal.* 103: 13. ac fideles adopturam in filios, *Hoſ.* 1: 10.

§. 7. Verum ut diſtinctius teneamus, quis ſit futurus gratioſæ iſtius protectionis & benedictionis hæres, adjicit, *qui ſervit* (aut colit) *me.* Id eſt, *quicunque me colit.* Ita antea in plurali deſignati, nunc in ſingulari deſcribuntur, aſt ſenſu partitivo. *Colere Deum* eſt illi præſtare opus ſervi, qui domini ſui auctoritatem agnoſcit, & per obedientiam ejus voluntatem, in præ-

Digitized by Google

ceptis notificatam, ſedulo peragere ſtudet, ex agnitione obligationis, quam habet, ad ſeſe juxta voluntatem domini in omnibus componendi. Sic notat verbum עבד *opus facere* in Superioris uſum, aut honorem ex cjus arbitrio. *Gen.* 29: 25. *Exod.* 21: 6. *Deut.* 15: 12. 1. Ita, *Deum colens* omnem propriam voluntatem ac conſilium abnegat, atque ſolam Dei legem ſequitur. Honorem Dei quærit in viis, quas ipſe indicavit. Omnem etiam graviſſimum laborem quem Deus exigit alacriter & ſedulò præſtat, neque ullo periculo ſe abſterreri patitur ab officio; quod Deum à ſe poſtulare videt. Ita ſub domini poteſtate eſt, ut in eâ ſubjectione ſe felicem agnoſcat, ac ſub eâ lubens manere velit, agnoſcens ſe, omniaque ſua Dei eſſe, cui competit de ſe & ſuis diſponere pro lubitu. Hæc intendit lex, quæ *Deum colere* ſeu *ei ſervire jubet*, *Deut.* 6: 13. 10: 12. 20. 11: 13. 13: 4. 1 *Sam.* 7: 3. 12: 24.

§. 8. Dixerant verſ. 14. improbi iſti Epicuræi, *in vanum eſſe Deo ſervire*: negat hoc Deus, & ſpondet ei, qui colit ipſum, ſeu ſervit paternam clementiam, quæ includit *miſericordiam Deut.* 32: 36. *Pſal.* 135: 14. & liberationem è manu hoſtium. 1 *Sam.* 7: 3. 12: 20-22. Imò tales ſervi comparantur cum filiis, tenerrimè à Deo ut patre diligendis.

Verſ. 18. *Et denuò videbitis diſcrimen inter juſtum et impium, inter colentem Deum et non colentem.*

§. 1. Alloquium Dei, quod hîc narratur, ſe nunc non ſolum ad Prophetam, verum ulterius ad totam mul-

multitudinem piorum extendit, qui concipiuntur ut Dei peculium jam porrò diſtinguendi ab impiis.

§. 2. Singularis Hebraiſmus obſervandus eſt in textu Hebræo, qui legit *& revertemini & videbitis*; ושבתם וראיתם. Quidam alloquium ad impios dirigi hic exiſtimant, quos à Deo vocari ad reſipiſcentiam ſtatuunt: Sed malè: cum impii hìc ſpectentur ut judicandi, eo quod obfirmati corde negaverint reſipiſcentiam, & vocem prodromi ac Chriſti non audiverint: prout ſequentia etiam probant. Judæorum interpres *Abarbenel* verbum שוב hic loci accipit de reditu mentis per mortem ſeparatæ ad corpus, atque exponit de reſurrectione corporum in die ultimi judicii. Aſt nec illud conſiſtere poteſt: quia verbum ſimpliciter poſitum, nunquam reſurrectionem ſignificat: neque hoc loco agitur de judicio univerſali, ſed de judicio nationali gentis Judaicæ, quo diſcrimen erat manifeſtandum inter carnales illos poſteros Abrahami, & veros ſpirituales, in fide patrum conſtantes. Fortè melius vertas *tunc revertimini ut videatis* ſeu diſcernatis inter juſtum & injuſtum: quod eſt opus videntium & ſpiritualiter diſcernentium. In quâ conſtructione verbum שוב à multis redditur adverbialiter per voculas *denuò*, *iterum*: ut alibi quoque obtinet. Vide *Dan.* 9: 25. *Pſal.* 85: 7. Q. D. Novo exemplo videbitis diſcrimen.

§. 3. Diſcrimen illud ponit *inter juſtum & impium*: uti *juſtus* in relatione ad regnum Dei eſt, qui per fidem jure civitatis gaudet: ita רשע *improbus* eſt homo, qui illo jure deſtitutus, judicio divino in die iræ obnoxius eſt. Omnis, qui ſpernit Chriſtum & regnum ejus, ſive ille ſit profanus, ſive hypocrita; modo juſtitiæ Dei ſe non ſubjiciat, *impius* habetur in ſacris & ὑπόδικος.

§. 4. *Juſto* conjungit alterum elogium, appellatque hominem *qui Deum colit*, ſupponens fructum fidei & juſtitiæ fidei eſſe, à verè credente indivulſum, ut *Deum colat*, ſeu ſemet voluntatis Dei ſtudioſum ſervum cum omni juſta obſervantiâ, in ſpiritu & veritate præſtet. *Improbo* jungit *Deum non colentem*, ſeu ejus voluntatem non cum ſubjectione ſui curantem. Nec id à vero alienum agnoſcet, qui tenet fidem ſolum purificare corda, & ſine fide impoſſibile eſſe, ut grata faciat Deo. Qui filium non recepit, etiam patrem non habet, quippe ad quem non eſt aditus, niſi per filium.

§. 5. Negaverant homines profani ſpem fidei & cultus Dei, ſeu ullum eſſe pietatis fructum: cum feliciores ſint in mundo profani, quam Deum quærentes. Contra ſpondet Deus die judicii viſuros pios inter partes illas ad oculum documenta curæ divinæ, apertè facientia ad iſtorum juſtificationem coram mundo: & ad horum damnationem: non aliter ac olim in diluvio orbis viſum inter Noächum juſtum, Deum colentem, & progeniem improbam. Quare ſtatim ſubjungit opus Dei, quod diſtinctam utriuſque conditionem manifeſtaret.

AD

Digitized by Google

AD CAPUT QUARTUM.

Verſ. 1. *Nam ecce dies ille venit ardens ut clibanus: & erunt omnes feroces & omnis faciens improbitatem ut palea: & inflammabit illos dies ille veniens, (dixit Jehovah* Deus *exercituum) adeò ut non relicturus ſit ipſis radicem et ramum.*

§. 1. SUſcipit nunc porrò in ſe Propheta ex hoc ipſo Dei oraculo argumentum exponere, quo per allegatum ſcenæ exitum vias Dei juſtificet & ab Epicuræorum objectione vindicet. In quem finem diei ſupplicii partim certitudinem, partim gravitatem prædicit, indicans, quo pacto per illum rerum eventum diſcrimen, quod improbos inter & pios intercedit, manifeſtaretur.

Quare præſens hoc effatum per particulam ætiologicam cum ſuperioribus nectit, quo probationis vice fungatur: *nam ecce*, inquit, *dies ille venit:* ſeu propè & præ foribus eſt.

§. 2. *Dies ille veniens* eſt dies judicii ſeu ſupplicii, quo dudum latam ſententiam exſecutioni demandaret Deus; qui dies à quibuſdam haud recte applicatur diei judicii ultimi, ad conſummationem mundi ſpectantis; quoniam cum impiorum ſupplicio hìc jungitur piorum ſanatio cum incremento ſanctitatis: quod non eſt patriæ cæleſtis, ſed ſtadii, ac profectus in ſtadio. Proin hunc diem reſpicimus, ut judicii temporalis & particularis, ad condemnationem impietatis Judæorum defini-

ti,

Digitized by Google

ti, quo gentis iſtius refractariæ apoſtaſiam ſeverum in modum puniret Deus, ac puniendo detegeret.

§. 3. *Venire* dicitur *dies ille ut clibanus ardens.* Nil frequentius eſt in ſacris, quam Dei iram & vindictam comparare cum *igne ardente* (*Deut.* 4: 23. 24. 9: 3.) quod præ primis Deo tribuitur, populum Judaicum rebellem punire volenti (Conf. *Deut.* 32: 22. *Pſal.* 50: 3. 97: 3.) atque ille ignis in ſuo ardore & vehementiâ confertur cum *clibano* ſeu *fornace ardente*, cujus flamma propter reverberium longè vehementior eſt igne, qui in libero ſuccenditur aëre: quare etiam materiam ei injectam citius corripit, & ad abſumptionem penitius penetrat. Imò ſolet ignis in fornace coärctatus, conſtipatus, & ex juſtâ reverberatione propter illam flammarum condenſationem ferè duplicatus etiam quævis metalla diſſolvere. Monet igitur hæc parabola vim iræ divinæ judicium populo refractario illaturam, quod non ſolùm inſtar ignis vulgaris externa populi lamberet, ſed ut *ignis clibani* ſolet, ſubitò & medullitus omnia interiora ſubverteret ipſa reipublicæ fundamenta penitus abſumendo & devorando. *Judicium clibani* videas in uſu fuiſſe inter Babylonios, *Dan.* 3: 6. Jam confer cum hoc loco *Pſal.* 21: 10.

§. 4. Sicuti pœnam exaggerat ex deſtructionis gravitate; ita quoque idem præſtat ex puniendorum levitate: addens, *& erunt omnes feroces & omnis faciens improbitatem ut palea.* Ad pœnam damnati vocantur *feroces & improbitatem facientes*, de quibus diximus ad Cap. 3: 15. quibus opponuntur Deum, ejuſque nomen timentes. In duas iſtas claſſes dividuntur Judæi iſti damnati & ſupplicio debito afficiendi: objecta iræ divinæ comparantur cum *paleâ* aut ſtipulâ, quæ facilè flammam concipit, igni admota, ignem populantem

haud

haud ſuſtinens: ut vera ſit ignis alimonia, & levior, quippè quæ celerrimè accenditur & feſtinatò abſumitur. Sæpiùs improbi in ſacris cum aridâ & facilè combuſtibili materiâ, ad ignem concipiendum paratiſſimâ componuntur: uti *cum ſtipulâ*, *Exod.* 15: 7. *Jeſ.* 5: 24. 33: 11. 47: 14. *Obad.* verſ. 18. *Nah.* 1: 10.

Notetur hìc oppoſitio; cap. 3: 15. prædicabantur illi *feroces & impietatem facientes beati*: quos tamen ex effato hujus textus ignis ille voraciſſimus avidè corriperet, ex quo colligas, quàm iniquum & perverſum ſit priorum judicium, qui ex læto rerum ſucceſſu in principio nimis maturè definiunt, quinam ſint beati? cum ante finem nemo beatus dici poſſit: fore enim in die illo ut ſpes iſta evaneſcat, & tam præmaturum judicium hominum temeritatis notam ſubeat.

§. 5. Hinc pergit ad effectum, ſubjungens, *& inflammabit illos dies ille veniens.* Nota *inflammationem* proponi ut effectum, quod conſumeret eos, ut ignis clibani facere ſolet. Opus Judicis tribuitur *diei judicii*, quia dies quaſi malum parit & ſecum ducit, quod iſti diei ex conſilio Dei alligatum eſt.

§. 6. Quouſque autem progrederetur *inflammatio* diei iſtius adjicit? dum ait: *diem iſtum illis non relicturum radicem & ramum.* Hæc locutio proverbialis eſt, & metaphorica, quâ reſpublica judaica comparatur cum vite (*Pſal.* 80: 9-12. *Ieſ.* 5: 1.) cui radicem tribuit, & ramum. Depingit Dei oraculum ſub emblemate *radicis & rami* rationem ſtatus: *radix* enim eſt ſymbolum principum & gubernatorum: *ramus* vero repræſentat familiam cum toto corpore cohærentiam: eſt enim de uſu *radicis* vitem, aut quamcunque aliam arborem ſuſtinere: quæ cum dicitur *non relinquenda*, notatur eleganti hoc Symbolo Magiſtratus Judaici abolitiò.

Digitized by Google

Conf. *Hoſ.* 3: 4. *Mal.* 2: 12. Quod ſi *nec ramus* illis non avulſus ſit *relinquendus:* tenendum erat, quotquot reliqui forent per hoc judicium ſpectari, ut qui in omnes oras diſſiparentur. Niſi potiùs *ramum* concipiamus, ut principium novæ plantationis, variæ enim arbores ex ramis avulſis & plantatis excreſcunt.

Adeoquè mens dictorum eſt, adeò omnia eſſe abſumenda, ut *ne ramus* quidem ſuperſit ad novam plantationem, qui ſpem faciat reſtitutionis reipublicæ.

Verſ 2. *Et exorietur vobis timentibus nomen meum, Sol juſtitiæ, & ſanitas erit in alis ejus, & egrediemini & augeſcetis ut vituli ſaginarii.*

§. 1: Eſt in his verbis antitheſis, appoſita, ut futurum inter pios & impios diſcrimen evadat illuſtrius: atque talia dicuntur, quæ ad ſolidiorum piorum conſolationem ſpectabant enixè. Idem ille dies, qui ferocibus & improbis ſummum inferret ſupplicium, timentibus nomen Dei conferret maximum gratiæ beneficium; quia lucidus eſſet, ex ortu ſolis juſtitiæ.

§. 2. Qui lucidiſſimum atque adeò & gratiſſimum piis faceret diem, vocatur *ſol*, non naturalis, ſed ſpiritualis, & antehàc non viſus cum iſto ſplendore. Nomen *ſolis* in ſacris, quandò ſub emblematicâ venit ſignificatione, Deo aſſeritur. *Pſal.* 84: 12. Verùm etiam *Chriſtus*, legatus fœderis dicitur אור גדול φῶς μέγα, *Jeſ.* 9: 1. & *ſol exoriens ſicut lucente matutino*, 2 *Sam.* 23: 4. In quibus manifeſta eſt ad ſolem alluſio, qui diem facit. Licet in nomine *Cyri* regis quidam agnoſcant *ſolis* ſignificationem; nihilominus quem hìc

hìc deſignat oraculum Dei illuſtriorem faceret diem. Ille ſol occiderat jam, ſed quem hìc ſpondet ſermo propheticus oportuno tempore *oriretur*, ut beatum faceret populum. Proin inſpiciendum ut Chriſtus hoc nomen Dei exhauriret, in quo notatur.

1. *Splendor divinæ gloriæ*, qui per inhabitantem in ipſo Deitatem coruſcaret, & ſe conſpiciendum in ipſius glorificatione præberet. Huc reſpicit oratio fidei *Hab.* 3: 4. *Etiam inſtar jubaris adſit ſplendor* gloriæ ejus; ſic divina ejus majeſtas ſplendorem, cum jubare ſolis comparandum, habere agnoſcitur: vocaturque כבוד אלהיכם *gloria Dei*, quam Deo ſoſpitatori noſtro in ſacris tribui videre licet. *Jeſ.* 40: 5. *Pſal.* 50: 2.

2. *Lux illuminans* etiam in ipſo obſervatur, cujus eſt tenebras propellere, diemque lucidum & lætum efficere: quod etiam Chriſto tribuitur, *Jeſ.* 42: 6. 49: 6. Extra Chriſtum enim nil niſi caligo eſt & nox atra: id eſt, ignorantia Dei, cum multimodis dubitationibus & erroribus, nec non, qui indè proveniunt terrores & fremitus contra Deum. Ille verò hanc ignorantiam propellens omnem Dei virtutem & gratiam in luce ponit, ut ad credentium ſpem & conſolationem cognoſcatur, dum & verbo & potenti ſuâ vi hominum animos illuminat, quò gloriam ſuam & patris cum lætitiâ ad ſalutem percipiant. *Ieſ.* 9: 1. 60: 1. 2.

3. Sicuti *ſol* non ſolùm lucis, ſed & *caloris fons eſt planè inexhauſtus*, qui nonquam non pleno impetu ſua ſpargit beneficia & diſſeminat, atque interim viribus haud minuitur. Ita infiniti valoris eſt quoque ille Dominus noſter, à quo ſperamus efficaciſſimum vitæ & caloris vitalis principium in ſpiritualibus, ſcilicet *amorem Dei* infundi in cordibus, ex quo omnis vita ſpiritualis, ſeu actio recta profluat.

4. Tandem addere licet, quod ſicuti *Sol ſolus* dominatum cœli obtinet, cui orienti ſidera & umbræ cedunt: ita etiam Chriſtus agnoſcendus ſit ſolus atque unicus in regno cælorum Princeps atque Dominus, qui fugatis legis umbris omnia eccleſiæ veteris ſidera obtenebraret.

§. 3. Audit porrò *hæc lux mundi* in textu noſtro *Sol juſtitiæ*, ut eo clariùs teneamus eam denominationem hîc ſymbolicam exercere ſignificationem: licet enim *Orpheus*, ſolem venerans, eum quidem inter alia encomia, ornet titulis, quod ſit ζωῆς φῶς: nec non Δεικτὴς καὶ ὄμμα δικαιοσύνης, nihilominus hîc aliud quid excellentiùs notari evidens eſt, nempè eum, in quo eſt *juſtitia*, & qui per eam nobis *ſolis* beneficia in ſpiritualibus præſtat.

Haud dubitandum in hoc effato reſpicere oraculum ad *juſtitiam ſeculi*, quam intra LXX hebdomadas eſſe *adducendam* prædixerat Gabriel apud danielem, *Dan.* 9:24. *Juſtitia*, ut donum gratiæ ſpectata, & ex Chriſto ad nos derivanda, notat *jus regni & vitæ*, quo Chriſtus gauderet, ipſe juſtificandus, & juſtificaret ſuos. Scilicet oportebat eum jure potiri, quo legitimam ad patrem deferret reſtipulationem, quâ ſuum ſibi laboris pretium repeteret, & ſanguine ſuo redemptos ſibi in peculium tradi à patre poſtularet. Ab hâc juſtitiâ ipſe *juſtus* foret in ſe κατ' ἐξοχὴν ſupra omnes creaturas, qui titulus ei quoque aſſeritur apud Prophetas, *Jeſ.* 53:11. *Jer.* 23:5. *Zeph* 3:5. *Zach.* 9:9. Neque id ſolum, verum etiam ab *hâc juſtitiâ* audiret *Jehovah juſtitia noſtra Jer.* 23:6. ſeu *fons omnis juris*, quod gratia Dei unquam derivaret in credentes, quippe qui *per cognitionem ſui juſtificaret multos*, *Jeſ.* 53:11. Hæc *juſtitia* celebratur ut fundamentum

regni

Digitized by Google

regni & throni Chriſti, quam Pater Filio adjudicaret, *Pſal.* 72: 1. ad regnum ejus fulciendum, *Jeſ.* 9: 6. *Pſal.* 79: 1. *Hæc juſtitia* etiam prædicatur ut credentibus imputanda; *Hab.* 2: 4. coll. cum *Gen.* 15: 6. ad juſtificationem in Chriſto quærenda *Ieſ.* 45: 24. 25. & à Deo inſtar hæreditatis donanda, *Ieſ.* 54: 17. quæ Dei ſalutis noſtræ gratiâ dono data accipitur. *Pſal.* 24: 5. *Hæc juſtitia* commendatur ut veſtis & operimentum gloriationis, *Pſal.* 132: 9. *Ieſ.* 61: 3. quo indumento obtectus quiſquis eſt, ille etiam peccata habet obvelata, *Pſal.* 32: 1. et pacem cum Deo, *Ieſ.* 32: 17.

Verum examinandum porrò, quâ emphaſi voces *ſolis & juſtitiæ* conjungantur, quæque iſtius combinationis ſint cauſæ et rationes? Appellaverint gentes in cultu ſuo idololatrico *Solem Sadocum & Σωτῆρα* ſeu *juſtum* et *Soſpitatorem*: atque Ægyptii *Iſidem* ſeu lunam Deam δικαιοσύνην *juſtitiam* uti apud *Plutarchum* & in inſcriptione apud Cl. *Cuperum* in Harpocrate fieri obſervant viri doctiſſimi. Hic tamen in majori emphaſi illud encomium Chriſto tribui, & quidem cum oppoſitione ad Deos gentium putandum eſt, ut notetur in ipſo verum eſſe, quod in iis ne quidem umbram veri habet. Notemus ergò *ſolem juſtitiæ* dici eum

1. Eo quod gratiſſima illa *juſtitia* in eodem Chriſto ſole ſpectetur ut *potiſſima pars gloriæ*, quâ ille ſolis inſtar fulget ſplendetque: habet itaque ſe ut jubar eum undiquâ que incingens, quo tanquam coronâ circumdatus glorioſus ſpectatur: hâc enim *juſtitiâ* nil ſplendidius aut ſpecioſius excogitari poteſt: quia quicquid ille, regiæ majeſtatis & poteſtatis in regno cœlorum poſſidet, id ex hâc juſtitiâ prorumpit, oriturque, et per eam præcellentior incedit: *Pſal.* 45: 4. 5.

2. Poteſt etiam *juſtitia illa* conferri cum radiis ſolaribus, quatenus jus illud ſe porrigit ab iſto ſole uſque in terram, ſeu à capite glorificato ad electos in mundo, cum effectu *illuminationis*; atque ſic *juſtitia* Chriſti imputata, in euangelio tradita, et ab ipſo Chriſto eſt in fœdere oblata Chriſtum ſiſtit ac manifeſtat, tanquam ad confugium fidei propoſitum; cujus ope Deus ipſe conſpicitur, ut ſalvâ ſuâ decentiâ juſtificans impium. Mens autem hujus myſterii cognitione illuſtrata, tunc demum Deum cognoſcit ut gratioſum, atque videt in iſtâ luce, quæ nemo extra cognitionem Chriſti videre poteſt. Conf. *Pſal.* 36: 10. Coll. *Ieſ.* 64: 4.

3. Accedit, quod *illa juſtitia*, à quo donatur electis, cauſa ſit omnis ſolatii, lætitiæ, et vitæ: *Sol* enim iſte radiorum in morem fructus juſtitiæ extra ſeſe diffundens electos intimè penetrat, conſcientiam credentium refocillat, voluntatem amore Dei perfundit, atque cordi alacritatem adſtituit: quâ in igneo pollet vigore ad vivificandum.

§. 4. Hujus *Solis juſtitiæ* ſpondet *exortum*: qui in exaltatione Chriſti conſiſtit; in quantum per eam juſtitiæ iſtius impetratæ fit manifeſtatio. Tempora anteriora gentibus profundam noctem Judæis ob legis umbras, Deo rem ita diſpenſante, crepuſculum faciebant. Chriſti, obvelatam ſub humili carne gloriam circumferentis, præſentia auroram præbuit, radios quoſdam ante conſpectum gloriæ ſuæ præmittentem, ac plenarium exortum præparantem, 2 *Sam.* 23: 4. *Hoſ.* 6: 3. *Ieſ.* 21: 12. 13. Aſt, quando exaltatus eſt demum *induit majeſtatem ſuam & decus ſuum*, *Pſal.* 45: 4. 5. Sed quoniam *exortus ille gradualem* quoque notat *ſolis juſtitiæ progreſſum*, in eo conferri poteſt quoque cum ſole oriente, in quantum ſol naturalis poſt lucem etiam gra-

datim

Digitized by Google

datim calorem auget, quandò horizontem prætergreſſus ad verticem pergit, atque terram hanc directis magis radiis ferit: ita enim effici debuit, poſt primam Chriſti exaltati manifeſtationem, ut umbræ ſenſim increſcente libertatis Chriſtianæ cognitione imminuerentur, œconomia ſolatii evaderet efficacior, & Zelus amoris Dei pro nomine Dei odium mundi perferentis prodiret ardentior.

§. 5. Hujus beneficii hæredes definiuntur ſub appellatione *timentium nomen Dei*: quæ eſt deſcriptio eorum, qui cap. 3: 16. dicebantur *timentes Jehovam & reputantes nomen ejus*, contracta. Ibi vidimus, quid per *nomen Dei* eſſet intelligendum: & quid *timor Dei* notet. Hic autem *Timor nominis Dei* eſt affectus venerantis nomen illud Dei venerabile, quod manifeſtatum eſt in Chriſto, *Deut.* 28: 58. Illius nominis gloriam ullo modo ſeu dictis ſeu factis offuſcare abhorrens. In iſto *timore nominis Dei* etiam *fides* incluſa tenetur, quia, quod in nomine Dei prædicatur, rejicere non audet; & per conſequens ſine contradiſtinctione per fidem recipit: nec ſuſcipere aut pro principio fidei & morum admittere ſuſtinet, quod auctoritate divinâ caret, quales ſunt traditiones humanæ, *Jeſ.* 29: Neque etiam *nomen*, in quo confugium quærat, nominare audet, niſi quod Jehovah in eum finem nominavit, ne gloriam Dei in alienum transferat: ille igitur, in cujus medio eſt nomen Dei, veretur offendere aut exacerbare, ſed ad pacem cum Deo faciendam colit, atque exoſculatur.

Tales hic ſpectantur, ut peculium Dei, objecta gratiæ & miſericordiæ divinæ, & tanquam hæredes juſtitiæ à Chriſto *ſole juſtitiæ* pro jure ſuo colluſtrandi & perficiendi, quippe curæ Chriſti & arbitrio ad ſalutem tradendi.

Digitized by Google

§. 6. Radii iſti ſolares, de quibus monuimus, ſub *alarum* nomine veniunt, quæ phraſis de ſole naturali conſueta eſt: ita Pſaltes *auroræ alas* tribuit, *Pſal.* 139: 9. Dii gentium, qui pro ſole colebantur, etiam apud Gentiles alati pingebantur, ut *Mercurius*, de quo Ovidius in Ep. Paridis ad Helenam

Conſtitit ante oculos actus velocibus alis
Atlantis magni Pleionesque nepos.

Macrobius rem ita exponit: *Mercurium pro ſole cenſeri multa documenta ſunt. Primum quod Mercurii ſimulacra pennatis alis adornantur, quæ res monſtrat ſolis velocitatem: nam, quia mentis potentem Mercurium credimus, & ſol mundi mens eſt; ideò pennis Mercurius quaſi ipſa, natura ſolis ornatur. Hoc argumentum Ægyptii lucidius abſolvunt, ipſius ſolis ſimulacra pennata fingentes.* *Jupiter* ipſe in columnâ Antoninâ ſub imagine *ſolis alati*, expanſis brachiis, infra alas porrectis, inſtructus pingitur, ſimul nimbos & fulgura emittens, ut *Pignorius* ad Chartarium refert in notis. Quandò *Orpheus* Jovem exhibet ut univerſi gubernatorem, per omnia excurrentem, cjus *humeros* tanquam duabus magnis alis inſtructos deſcribit. Ratio emblematis haud obſcura eſt: ſicuti enim aves, ſe ad volatum componentes, alas ſuas expandunt, & ultra corporis ambitum protendunt: ita *ſol oriens* extra ſphæram ſuam lucem quam fundit, quaquaverſum per orbem radiorum operâ expandit.

§. 7. Hinc porrò *Sanitas*, (מרפא) quæ in *ſolis juſtitiæ alis* id eſt radiis celebratur, perpendenda eſt. Alluſio fit ad ſolem naturalem, qui radiis ſuis omnia ſubcœleſtia fovendo & calefaciendo vitam in rebus langueſcen-

ſcentem igneo quodam vigore exſuſcitat & reſtituit. Eam ob cauſam Gentes Apollinem ſeu Phæbum ut Medicinæ inventorem prædicârunt: agnoſcentes quod *ſol* calorem & motum ad vitam cum omnibus rebus vitalibus communicat, omnemque aëris temperiem, undè ſanitas præ primis pendet, ſolus moderatur. Audi *Porphyrium* apud *Euſebium* 3 Præp. E. Κάθ' ὁ δὲ ἀπαλεξίκακος ἐςὶ τῶν ἐπίγειων ὁ ἥλιος, Ἡρακλέα αὐτὸν προσεῖον.

Haud dubium eſt *Sanitatem*, cujus hìc fit mentio, ad *medicinam mentis* eſſe referendam, quam per peccatum in orbem introductum multimodis vitiorum morbis laborare neminem latet. Adde etiam plagas ſub morborum titulo venire in ſacris: *Jeſ.* 1: 5. 6. His opponitur Medicina ſeu *ſanatio* ſpiritualis, quæ læſas animi facultates per gratiam regenerationis & ſanctificationis reſtaurat: & vulnera eccleſiæ ex caſtigatione divinâ conſolidat. De ſanatione priori confer, *Jeſ.* 57: 18. 58: 8. *Hoſ.* 14: 5. De alterâ, *Deut.* 32: 39. *Jeſ.* 19: 22. *Jer.* 8: 21. 22.

Cauſa hujus gratiæ eſt Deus in Chriſto *Pſal.* 103: 3. & *Chriſtus* non ſolùm merito ſuo, ſeu juſtitiâ paſſionibus impetratâ, *Jeſ.* 53: 4. 5. verùm etiam potentiâ ſpiritus ſui, quo reſpectu *ſol juſtitiæ* dicitur *medicinam* habere *in alis ſuis*: quippe qui cum manifeſtatione & promulgatione euangelii non ſolùm multos illuminaret: ſed per ſpiritus ſui pro jure ſuo mittendi, vigorem igneum etiam actu vivificaret. Hujus enim operâ ſub præconio juſtitiæ electorum & vocatorum animis iſtum veritatis infunderet amorem, qui fidei & reſipiſcentiæ evaderet principium, ſpei & lætitiæ ſuſcitabulum, omniſque vitæ ſpiritualis fomentum.

§. 8. Pergit oraculum in ſponſione bonorum dicens; *& egrediemini*, ſcilicet ex Hieroſolymis & ex communione

 nione

nione Synagogæ à Deo abdicatæ propter pertinacem, quam commiſiſſe ſpectantur, defectionem: qui egreſſus etiam evaſionem judicii includeret: ſicut egreſſus Lothi ex Sodomâ. Conf. *Jeſ.* 52: 11. 12. *Hoſ.* 1: 11. Continet quoque notio iſta in ſe tacitam indicationem termini ad quem: nempe eos egreſſuros ex terrâ iſtâ ſub anathemate devotâ, ad hæreditandum mundum; ſicuti olim populus ex Ægypto ad hæreditandam terram promiſſionis.

§. 9. Et ne metus graviorum malorum animos eorum retineret ſuſpenſos, addit: *& augeſcetis ut vituli ſaginarii.* Comparatio fit cum עגלי מרבק. Lxx vertunt ὡς μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα: *ſicuti vituli de vinculis relaxati*: quos Cl. Lud. Capellus legiſſe affirmat מרתק *meeratok*: addens רתק *catenas*, *funes*; & *vincula* ſignificare. Vulg. *ſicuti vituli de armento*: quaſi רבק idem eſſet, quod בקר tranſpoſitis per metatheſin literis: ut idem vir doctus notat. Verùm alia eſt hìc vox in textu originali, nempe מרבק, quæ *ſaginarium* ſignificat, ſeu locum, in quo ſaginantur vituli; quod *Chaldæus* quoque confirmat. Vide 1 *Sam.* 28: 24. *Jer.* 46: 21. *Amoſ.* 6: 4. Sunt ergò *vituli ſaginarii*, vituli benè ſaginati. Nunc videndum illud tertium, in quo ponitur futura convenientia: eam videas exprimi verbo פוש, de quo egimus ad *Hab.* 1: 8. §. 4. Lxx vertunt σκιρτήσετε *Saltetis*, ut vituli ſolent ludibundi, exſilientes & tripudiantes: quod etiam apud latinos *vitulari* dicitur. Conf. *Jer.* 50: 11. Qui hunc locum ad reſurrectionem trahunt, hìc *agilitatem* corporum ſuſcitatorum è mortuis notari exiſtimant, ac admirandam celeritatem cum ineffabili gaudio in egreſſu ex mundo & ingreſſu in locum beatorum exercen-

ercendam. Verùm propiùs ad ſaginam & ſaginationem reſpicit ſenſus *augmenti*, & *corroborationis*: atque proximè facit ad exitum & expeditionem faciundam: ut opponatur promiſſio metui defectus nutrimenti ac virium, ex egeſtate annonæ ſpiritualis, & delaſſatione viæ moleſtioris, metuendi. Promiſſio igitur ſpondet è contra tantam pabuli affluentiam, ut indè affatim corroborentur & excreſcant, *ſicuti vituli ſaginati*: quò ſine ullâ moleſtiâ pergant in occupatione mundi. Similis excitatio extat *Pſal.* 23. ad omnem penuriæ ſollicitudinem animo eximendam comparata. Vide igitur ſpem factam *affluentiæ* pabuli ſpiritualis; & confer *Jer.* 31: 12. *Zach.* 9: 17. nec non *corroborationis* indè ſecuturæ cum qualiumcunque donorum incremento: ſicuti & alibi promiſſum legas penes Prophetas. *Jeſ.* 40: 29-31. *Pſal.* 84: 6-8. Hoc *augmentum* accipio de incremento cognitionis, fidei, & fortitudinis in obeundo certamine pro cauſâ Chriſti: nec non ſanctitatis ac ſolatii ſpiritualis; omnia, quæ regno Chriſti objicerentur impedimenta, præ fructu bonorum ſpiritualium ſpernentis. Ad hujus incrementi ſpem adimplendam faceret abundantiori gratiæ diſpenſatione œconomia Novi Teſtamenti, ſæpiùs apud Prophetas promiſſa.

Verſ. 3. *Et conculcabitis improbos: quia erunt cinis ſub plantis pedum veſtrorum, eo die, quem ego facio, dixit Jehovah* Deus *exercituum.*

§. 1. Præter expeditionis facilitatem ſpondet etiam ejuſdem ſucceſſum, quoad futuros belli ſpiritualis triumphos, ab iis reportandos, qui occupationi mundi ſeſe opponerent, regnumque Chriſti excludere conarentur.

§. 2. *Improbi* notantur hìc ut hoſtes, regno Chriſti ſe opponere ſtudentes, atque indè reatum ſingularem contrahentes, ob quem jure civitatis ſint excludendi; aut extra communionem eccleſiæ à Rege Duce, & Deo regni cauſſam vindicante, judicandi.

§. 3. *Conculcatio* eorundem hoſtium promittitur, ut emblema contritionis rei proſtratæ, & in terram dejectæ. Supponuntur ab aliis ex ſententiâ Dei Judicis dejiciendi illi impii, & in eum ſtatum redigendi, ut ab iſtâ dejectione cernantur proſtrati, & abhinc porrò à fidelibus conculcandi. In phraſi ad veterem illum morem alluſio latet, quo Joſua reportatâ ab hoſtibus victoriâ reges exarmatos produci, & ducibus exercitus ſui pedibus calcari juſſit. *Joſ.* 10: 24. Simile quid etiam promittitur. *Pſal.* 91: 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Idem Deo tribuitur *Pſal.* 60: 14. *Jud.* 20: 43. Ità & *dies conculcationis* memoratur *Ieſ.* 22: 5. Ritus ipſe conculcationis ultimam innuit contumeliam, quâ res conculcata nullius cenſetur pretii. *Ieſ.* 26: 6. 28: 3. *Dan.* 8: 13. nullarumque virium ad reſiſtendum. Judæi in *Seder Olam Rabba* cap. 3. hinc ineptum exſculpunt commentum. *Improbos tandem ejectum iri è gehennâ, & eorum corpora in pulverem redigenda, ac juſtorum pedibus calcanda.* Adeò inſulſam peperit ſententiam, quod ad ultimum & univerſale mundi judicium traxerint, quæ ad judicium gentis ſuæ particulare ſpectabant: diem viſitationis ſuæ non agnoſcentes.

§. 4. *Pedes* dicuntur inſtrumenta conculcationis, ac ei actioni præſtruitur *eſſe ſub pedibus*, id eſt, ſub arbitrio & poteſtate eccleſiæ. Huc refer phraſin *ponendi aliquem ſub pedibus.* 1 *Reg.* 5: 3. *Pſal.* 18: 39. 47: 4. 110: 1. Innuitur inſtrumenta perſecutionis eccle-

ſiæ,

Digitized by Google

ſiæ, quondam validiſſima, ira enervaturum Deum, atque authoritate & potentiâ exuturum, ut honoris, quo ante pollebant, loco, paterent deſpectui & oppreſſioni.

§. 5. Conferuntur cum *cinere ſub plantis pedum:* eſtque *cinis* rei viliſſimæ, viribus ac ornatu deſtitutæ ſymbolum: diciturque de miſerrimo ſtatu *Iob.* 30: 19. Hinc phraſis in cineres deprimi *Thren.* 3: 16. & in cinerem redactus eſt homo perditus. *Ezech.* 28: 18. Conferebatur *dies judicii* cum clibano ardente, in quo materia combuſtilis in cineres redigitur, dum omnis ejus textura ſolvitur, atque corpus ipſum in partes, omni ornatu & viribus ſpoliatas diſſolvitur. Quandò autem omnes impii, tanquam *cinis* ſolutus, nullum corpus politicum facerent coägmentatum aut cohærens: eum in modum forent ſub pedibus eccleſiæ, ut non forent reſiſtendo, ſed omnibus ludibrio atque contemptui.

§. 6. Additur notatio temporis, *eo die, quem ego facio, dixit Iehovah* Deus *exercituum.*

Digitized by Google

VIS RATIOCINII DEMONSTRATA.

§. 1. QUoniam tota hæc pericopa intendit hinc convictionem pravorum ad judicii divini juſtificationem; illinc corroborationem proborum per aſſertionem ſpei ex verbo fœderis, ejuſque promiſſionibus perceptæ, attendamus quam ſolidè utrumque ſcopum promoveat ſpiritus Dei.

§. 2. Convictionis methodus, quam prudentiſſimè adhibet, crimen ad titulum *contradictionis & oblocutionis adverſus Deum* revocat; quod facere, qui ſpem fidelium tollunt, ex eo commonſtrat, quod omnem zelum animi in cultu divino exſtinguunt: atque ita ſe toti legi opponunt, cujus munus eſt viam ad vitam commonſtrare. Notantur hìc homines *Epicuræi*, ſpem omnem cum hujus, tum futuræ vitæ abnegantes, Deumque introducentes, qui res humanas planè non curat. Ita aſſerunt omnem cultum & ſupplicationem Dei fruſtra ac in vanum eſſe, atque eo ipſo cultum Dei ut inutilem rejiciunt. Quæ ſi vera ſunt, falſa de ſeſe teſtatus eſt Deus in lege, cultum nominis Dei, ut partem fœderis Dei, atque ejus ſtipulationem exigens: eundemque ſub benedictionum ſuarum promiſſione præſcribens: promiſſiones enim ampliſſimæ cum hujus tum futuræ vitæ, quas Moſes in libris ſuis inculcavit, ſe ad cul-

Digitized by Google

cultum Dei habent; ut ſpes data ſub conditionis alicujus ſtipulatione: quo peragendi nos de nexu edocuit, quem conſilio ſuo inter officium & benignæ retributionis præmium conſtituit. Quare qui ſpem exſtinguit, etiam adſtipulationem exſtinguere cenſendus: atque ita aperto marte gloriæ Dei bellum indicit. Nec juvat exceptio, quâ Deum ſine mercedis intuitu colendum eſſe, quis dicat: qui ſanè colendus eſt in omni ſuâ bonitate, qualis eſt, ſeque futurum ſpondet: ubi igitur ille colenti nomen ſuum indebitam mercedem adſtituit, & à quærentibus ſe dicat inveniri velle in certâ viâ, in quâ nemo eum fruſtra quæſiverit; quomodò concipi poterit rectè agere, qui Deum ut bonum ſuum unicum & ſolidum non cupit? aut invenire deſiderans propterea viam non elegit, in quâ ſolùm deſiderii ſui fieri poteſt compos? Hoc ſaltem negari nequit, eos qui tollunt omnem ſpem boni, Epicuræos facere, & latam portam profanitati aperire: in quibus inveniuntur Deo contradicentes.

§. 3. Contra ergò, ne horum objectio ab experientiâ deſumpta quicquam turbet pios, aut ab inſtituto dimoveat imbecilles, corroborantur illi in ſpe vitæ futuræ, ac gratiæ præſentis, Deo excitante orthodoxos viarum ſuarum aſſertores, & mittente ampliorem conſilii ſui expoſitionem.

1. Pii colloquentes inter ſe depinguntur ut ſolidè ratiocinantes, & ſophiſma adverſariorum rectè diluentes: quippe qui ex eo, quod quandoquidem *malis bona & bona malis eveniant*, negant ſequi Deum non curare cultores nominis ſui aut res humanas; ſed potiùs verum eſſe, quod dum ſimili utitur tolerantiâ, ad iſtorum ſcelera & piorum mala ferentium labores attendat, & quaſi in commentario adſcribat, ut datâ oportunitate cui-

cuique retribuat ſecundum opera ſua: imò illam ipſam tolerantiam & providentiæ divinæ permiſſionem ad gloriam eorum tendere, qui eum timent, ac nomen ejus reputant.

2. Deus ipſe proponitur etiam, ut hiſce dictis ſuccenturians, & hoc pacto ſuos in ſententiâ iſtâ orthodoxâ confirmans, dum conſilium ſuum de ſtatu præſenti diſtinctiùs exponit. Quoad tolerantiæ iſtius allegatæ exercitium monet, eum ex legitimo juſtis parcendi conſilio profluxiſſe, qui cum ab heterogeneo iſto cœtu ſeparandi eſſent, ne cum injuſtis in idem judicium incidant, ad tempus erant ſub iſta exploratione exercendi, donec ab iſtâ mixturâ extracti ſeparatim colligerentur. Dein monet Deus dilationem judicii ſui non poſt ſe tracturam ejus ablationem, cum dies ille non ſolùm eſſet definitus, ſed præ foribus, quo diſcrimen inter partes fieret manifeſtum, impios cum conſilio reædificandi, nec non civitate & Republicâ perderet: timentes verò nomen ſuum ſole juſtitiæ colluſtraret, ſanaret, ex ſocietate puniendorum educeret, & omnibus benedictionibus accumularet: quo conſtet, cuſtodiam ſuam obſervantes non fruſtra coluiſſe Deum, & exſpectaſſe eum cauſſæ ſuæ vindicem; quandò enim parata ipſis emolumenta conſequerentur, nemo non agnoſceret Deum eſſe numen ſervans fœdus ſuum in omnem progeniem.

VATI-

Digitized by Google

VATICINII
Hujus Implementum
DEMONSTRATUM.

§. 1. SCenam hanc etiam convenire tempori, quod ſubverſionem reipublicæ proximè præceſſit, hiſtoria temporis faciet manifeſtum, modo attendamus ad ea, quæ Johannes Chriſti prodromus reformandi populi cauſſâ molitus, atque expertus fuit, ſub cujus miniſterio corruptiſſima populi Judaici facies in lucem protracta, & apparatus ad omnia, quæ hìc delineantur, factus eſt.

§. 2. *Epicuræiſmus*, qui hìc notatur, tunc obtinuit in *Sadducæis*, qui aſſumpto à Sadoko Antigoni diſcipulo, Antigoni dogmate, *Deum ſine mercedis intuitu colendum eſſe*, in eam impudentiam prolapſi ſunt, ut *reſurrectionem mortuorum unà cum ſpe vitæ æternæ*, in cœlis perfruendæ negaverint. Hujus rei teſtis eſt Lucas *Act.* 23: 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι, inquit ille, μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα. Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. Hinc in euangelio contra doctrinam *de reſurrectione* ſuas movent objectiones, quas Chriſtus ſolvit, *Matth.* 22: 23-33. ac ibi deſcribuntur, ut οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν. Ex hoc principio profluxit eorum profanitas, qui iſto dogmate erant imbuti. Confer quæ ex *Joſepho*, & ſcriptis Judæorum de hâc ſectâ congeſſerunt *Scaliger* in Elench. Trihær. cap XVI. & *Druſius* de trib. ſectis libr. 3. cap. 9.

Horum dogmata *prævaluiſſe contra Deum* profanis

 col-

colloquiis & ſermonibus vel indè conſtat, quod iſta hæreſis inquinaverit ipſos Pontifices & ἱερατικὸν γένος *Act.* 5:17. nec non magnum Judæorum Synedrium *Act.* 23:6. cujus etiam partem faciebant *Sadducæi.* Magnates & divites inter Judæos huic ſectæ potiſſimùm fuiſſe addictos, penes quos reipublicæ erat poteſtas, teſtis eſt *Joſephus* Ant. l. 18:2. ubi notanda ſunt ejus verba. *Hujus*, inquit, *ſectæ pauci ſunt ſed ferè dignitate præcipui*, & in opere de bello Judaico de Sadducæis refert, quod *Deum extra omnem mali patrationem & inſpectionem conſtituant* ... Cæterum *inter ſe feris moribus diſcrepent & converſatio eorum circa exteros ſit inhumana.*

§. 3. Hiſce opponuntur pii, Deum timentes, atque orthodoxiæ tenaces, qui rectiùs de Deo, ejuſque providentiâ & lege ſentientes, credebant, Deum laboris ſuorum memorem, ad tempus explorare probos adverſitatibus, donec eis retribuat bonum, quibus ordinaverat beatam reſurrectionem & vitam æternam. Tales erant, qui ad diſciplinam Johannis & Chriſti tranſiebant, atque baptiſmum reſipiſcentiæ ſuſcipientes, ſe mutuò adverſus pernicioſiſſimas aberrantium, præcipuè Sadducæorum, hæreſes confirmabant, & in unum corpus contra tales coïbant, in ſymbolo fidei profitentes *reſurrectionem carnis & vitam æternam.*

§. 4. Hiſtoria temporis, quæ ad tentationem rapta fuit, erat, quod *feroces & improbitatem facientes ædificati ſint, & Deum explorantes effugerint.* Tales feroces & improbitatem facientes erant Idumæi, & Herodis poſteri: priores enim occupaverant magnam partem portionis Judæ circa Hebronem, & in montanis ejus auſtralibus, ubi urbes, vicos, & pagos excoluerant, ſicut & *Herodis* familia ad maximas dignitates fuit evecta,

evecta, dum alii Tetrarchæ, alii Reguli creati ſunt. *Sadducæi*, Romanis placentes, ad Pontificiam dignitatem promoti, civiliſque poteſtatis faſtigia elati, eodem tempore florebant admodum: dumque alii inciderunt in pericula, illi ſalvi evaſerunt. Pericula, in quæ inciderunt Pharizæi & Zelantes ſub Herode, evaſerunt Sadducæi, facilè ſeſe ingenio tyranni accommodantes. Mirum, ut infelices fuerint, pro templi ſacris Zelantes. Qui ſub finem vitæ *Herodis* aquilam auream, templo intruſam, dejecerunt, Judas Sephoræi & Judas Margali filii, honoratiſſimi legis interpretes, cum pluribus diſcipulis regis juſſu partim vivi concremati ſunt, partim carnificibus obtruncandi tradebantur. Horum necem lugentes, & ab Archelao reparationem facti impetu nimio petentes anſam dederunt Archelao in homines, feſtivis paſchatis ſacrificiis occupatos, militiam immittendi, quâ invaſione in ſingulos, ſacris occupatos, factâ, tria hominum millia interempta ſunt. Omitto ſtrages, inter Judæos editas, dum Archelaus Romæ de ſucceſſione in regnum patris diſceptabat, Varo exercitum ducente, cum tamen Idumæi veniam impetrarent & evaderent. De quibus multa legi poſſunt apud Joſephum.

Lugebant iſta mala pii, & jejunabant ſæpiùs; hinc *Johannes* dicitur cum ſuis diſcipulis jejunaſſe multum. *Matth.* 9: 14. Conf. *Luc.* 2: 37. exemplum Annæ. Hinc Chriſtus *lugentes* pronunciavit beatos *Matth.* 5: 6. *Luc.* 6: 21. Quos licet profani homines riderent, ut incaſſum laborantes: Nihilominùs paſſi ſunt alii præconio Johannis ſibi perſuaderi, inſtare illum diem, quo gentem judicaret Deus: Imò *ſecurim juxta arboris radicem* jam tum *poſitam* fuiſſe (intellige poteſtatem Romanorum) cujus operâ *arbores infrugiferas exſcinderet*:

 ret:

ret : imò *adeſſe cui ventilabrum erat in manu ad aream ſuam perpurgandam , ac paleam igne inextinguibili exurendam. Matth.* 3: 10. 12. Abhinc etiam eodem præcone erigebantur ſpe *ſolis juſtitiæ*, qui in bonum timentium nomen Dei exoriretur , ac ſanaret ſuos corroboraretque ad hæreditatem mundi occupandam. Ita Johannes non ſolum præ foribus eſſe regnum cœlorum denunciavit , ſed *quoquè de hâc luce teſtatus eſt in nomine Dei , ut omnes per eum crederent. Ioh.* 1 : 7. Confer *Matth.* 3 : 11. *Ioh.* 1: 26. 27.

§. 5. Neque vana fuerunt illa præſagia : nam. 1. *Timentibus Deum* (quæ deſcriptio eſt diſcipulorum Johannis & Chriſti *Act.* 2 : 43. 5 : 11. 9 : 31.) ortus eſt *ſol juſtitiæ* ex tenebris ſuæ humilitatis : ita Chriſtus ſermo Dei declaratur apud Johannem : *in ipſo erat vita & vita erat lux hominum , & lux effulſit in tenebris , & tenebræ eam non perceperunt. Aderat homo à Deo miſſus , cui nomen Johannes : ille venit in teſtimonium ad teſtandum de luce , ut omnes per eum crederent. Ipſe non erat lux illa , ſed ut de luce teſtaretur. Hæc erat vera lux illuminans quemcunque hominem , veniens in mundum.* Joh. 1 : 4 9. Johannes erat ejus Phoſphorus *Joh.* 5 : 34. Jeſus vero *lux mundi* (quæ ſolis periphraſis eſt) ut conſtat ex *Joh.* 8 : 12. 9 : 5. 12 : 46. Fuit ille *Sol juſtitiæ*, qui juſtitiam expoſuit *Matth.* 5 : 20. eamquè una cum regno Dei quærere juſſit. *Matth.* 6 : 33. & quod caput rei eſt , ipſe adduxit , ac ſalutem impetrando in mediâ luce poſuit : ipſe *factus nobis juſtitia à Deo.* 1 *Cor.* 1 : 30. *traditus propter peccata noſtra, & reſuſcitatus propter juſtificationem noſtram , Rom.* 4 : 25. Ipſe autem *exortus* ejus , quo ut inexhauſtus fons gratiæ , *ex cujus plenitudine accepimus gratiam pro gratia. Joh.* 1 : 16. conſpicuus factus eſt , plenariò acci-

Digitized by Google

accidit, quandò *in cælum adſcendit, ut omnia adimpleret Eph.* 4: 10. probatus, quod ſit lucidiſſimus auctor gratiæ & vitæ, ſeu ut cum Paulo loquar, quod *omnibus illi obedientibus cauſa æternæ ſalutis factus ſit, Hebr.* 5: 8. 2.) Hinc ſecuta eſt *ſanatio*, quatenus *per irradiationem illuminationis euangelii gloriæ Chriſti* 2 *Cor.* 4: 4. *effulſit in cordibus multorum ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Chriſti* verſ. 6. multoſque ex Judæis & gentibus ad ſanam mentem revocavit: per fidem corda multorum purificavit: & *ſanos* loqui *ſermones* dedit apoſtolis 2 *Tim.* 1: 13. Conf. *Matth.* 9: 12. Efficax autem fuit illa ſana doctrina per *ſpiritum* euangelio coöperantem, quem effudit in eccleſiam ſuam. 2 *Cor.* 3: 18. 1 *Cor.* 2: 10-13. 3) Hinc quoque *aucti ſunt* & increverunt *numero Act.* 2: 47. 4: 4. 6: 1. 7. 9: 31. 11: 21. *gratiâ Act.* 4: 33. *Lætitiâ*; *Act.* 8: 8. nec non *pietate & conſolatione Act.* 9: 31. atque ita corroborati *exierunt ad gentes*, gradatim etiam progrediendo ad libertatis Chriſtianæ ſuſceptionem. Hujus initium collocari cernimus in converſione Cornelii, qui juſſu Dei cum ſpiritum accepiſſet baptizatus eſt. *Act.* 10: 44-48. 11: 1-18. Nec diu poſt *Paulus* apoſtolus electus eſt in Apoſtolum gentium *Act.* 13: 2. qui credentes ex communione contumacium opportunè *exire* fecit *Act.* 13: 45-48. 18: 6. 7. 9: 9. imò etiam tandem *exierunt* vocati ex Hieroſolymis, divinitus moniti, ut *Pellam* concederent, ne communi contumacium judicio implicarentur. Felix fuit *exitus*, quo limites Palæſtinæ egredientes ad hæreditatem mundi, genteſque in omnibus mundi regionibus adeuntes, ubique experti ſunt gratiam Spiritus Sancti coöperantem; undè fidem invenit euangelium in toto mundo, teſte Paulo *Col.* 1: 5. 7. 4) Interim hoc egit Deus,

 quod

Digitized by Google

quod gradatim hoſtes ſubjecerit pedibus eccleſiæ, *Rom.* 16: 20.

§. 6. Quæ impiis prædicta fuerunt mala etiam accuratiſſimè adimpleta ſunt. Dilatum quidem eſt ſupplicium, Judæis rebellibus & regnum Chriſti rejicientibus decretum: ſed. 1) Illa ipſa dilatio in gratiam electorum vocandorum, nec non imbecilliorum inter credentes facta eſt, ut illi pedetentim ſynagogam relinquerent: undè & prima Romanorum contra Judæos tumultuantes expeditio, duce Veſpaſiano ſuſcepta, ad tempus ſuſpenſa fuit, ut Chriſtiani Hieroſolymis exirent. Hanc rem refert hiſtoria eccleſiaſtica, Chriſtianos audito oraculo *egrediamur hinc* Pellam civitatem Transjordaninam in confiniis Arabiæ abiiſſe, atque ſupplicium Judæorum contumacium evaſiſſe. 2.) Diei magni ſupplicium venit cum judicium excidii non ſolum templum & urbem, verum etiam maximam partem terræ vaſtavit. Quod Titi armis *Veſpaſiano* ad Auguſtæam dignitatem elato, accidiſſe lippis & tonſoribus notum. *Venit ille dies ardens inſtar Clibani, omnem ſtipulam ſubitò conſumentis*, quia intra parvum temporis ſpatium totum illud bellum cum terræ vaſtatione & reipublicæ Judaicæ diſſolutione *Titus* abſolvit, atque ex devictâ Judæâ triumphum egit. 3.) *Feroces* Idumæi, qui ad urbis defenſionem intromiſſi fuerant, & reliqui *iniquitatem facientes*, homines ſeditioſi, in partes ſciſſi & bello inteſtino viribus fracti, fame, peſte, & gladio, miſerè igne diſſidiorum erumpente perierunt; Quique concordiâ univerſum Romanorum exercitum ſuſtinere potuiſſent, & à ſe avertere, nunc *ſtipulæ inſtar* facilè diſjuncti & ſeparati ſunt, atque ita exciſi ut *nec radix nec ramus iis relinqueretur*. Non enim per ſedecim ſecula ab eo temporè elapſa ſemet recolligere potuerunt Judæi,

ac

Digitized by Google

ac diſſolutam ſuam rempublicam reſtaurare, docente id experientiâ.

§. 7. Ab iſtâ iræ divinæ manifeſtatione Judæi fuerunt ut *cinis* à conflagratione, ſub pedibus *Chriſtianorum* collocati, adeo ut contra eos inſurgere minimè potuerint: ſed ipſis fuerint deſpectui. Moverunt quidem ſub *Bar Coſiba* lacertas, Chriſtianis ſimul & Romanis infenſi: ſed eos tanto magis conculcandos dedit Deus, à quo Hadrianus Imperator eos denuò proſtravit & novo excidio penitùs exſtinxit: ut impoſterum haud quaquam fuerint metuendi. Imò quandò excitato Conſtantino Magno, poteſtas politica ad Chriſtianos tranſiit, ſimul cum gentibus Chriſtianorum *pedibus ſunt ſubjecti*, atque iis ſervire coäcti, quod perſeverat in hunc uſque diem.

Sed quid ni ulterius extendamus hanc promiſſionem, & omnes Chriſtianæ religionis hoſtes intelligamus, ſuis temporibus in cineres redigendos, & ſub pedibus Chriſtianorum verorum conculcandos. Quod evenit gentilibus, & Arrianis, evenietque Antichriſti ſatellitibus: quem diem avidè exſpectamus.

EPI-

Digitized by Google

EPILOGUS

Viſiones divinas, Malachiæ oblatas, obſignans. Mal. 4: 4. 5. 6.

§. 1. QUæ hìc libri epilogum faciunt, valdè abruptè præcedentibus ſuperaddi videntur; ita ut cum ultimis dictis minùs cohæreant: nec occaſio dicendi cuiquam aperiatur. Verùm ea difficultas evaneſcit; quandò hanc pericopam, librum claudentem, concipimus verba continere dimiſſoria, & de rebus utilibus ultimatò monentia, ac ea commendantia, quæ ab eo tempore potiſſimum erant obſervanda, ne recti ſpe populi, in his viſionibus oblatâ, excidant.

§. 2. Hic ſermo dimiſſorius eſt *admonitio Dei*, viſiones oblatas claudentis, cum alloquio ad *videntem*, & ſub ejus perſonâ ad totum Iſraëlem: concipitur enim Malachias, ut homo, qui partem populi faciebat, quique populi loco ad viſiones iſtas admiſſus, nunc obligatus erat, quæ viderat ad populum referre, & imprimis curare, ut ſeſe omnes ad eam caſtigationis normam componant, ne in die venturo aliter inveniantur, ac regnum Chriſti deceret.

§. 3. Argumentum hujus hortamenti dimiſſorii eſt quoque rei exigentiæ conſentaneum, quippe officia, argumento viſorum reſpondentia, præſcribens non tantum, ſed quod inſignis eſt prudentiæ, ad duo tantùm ſumma capita, ſuccinctè propoſita, referens: officia enim

nim commendata modum definiunt, quo deceat ſperantes ſe componere ad boni promiſſi pollicitationem divinam, ut eos, quandò veniat, non prætereat. Viſiones rerum ad populum deferret jam Propheta, ſed non ſine qualicunque temporis interſtitio adducendarum. Quid nunc oportuniùs fieri potuit? quam Prophetæ dimittendi, & ad reditum accincti informatio, quid ſibi, & omni genuino Iſraëlitæ curandum foret interim, ſeu in eo temporis interſtitio, quod inter ſpem datam, bonique ſperati adductionem, intercederet.

§. 4. Sylloge officiorum, quæ interim circa legem Moſis obſervanda erant; quidve circa adventum Chriſti notandum foret, ne utriuſque fructu excidant, ſequitur. Scilicet Lex Moſaica proponitur ut theocratiæ adminiſtrandæ perpetua regula, nullo modo ante regni Chriſti introductionem omittenda; Regnique Chriſti introductio additur ut in prodromo quoque obſervanda: niſi vellent in anathemate terræ perire cum improbis. Quare ſylloge officiorum ſatis viſionibus reſpondet, & obligationes, indè ſequentes, exhaurit.

§. 5. Gravis erat cauſa de hiſce officiis Judæos monendi: quia ex eventu conſtat, quod non ſolùm Malachias foret Prophetarum ultimus: cujus proindè erat monenda monere: ſed tempora inſtarent corruptionis novæ, in die adventus Chriſti reformationem poſtulantis, quale quid in viſionibus fuerat repræſentatum: adverſus quam illi muniendi erant, ne iſti corruptioni ſtatim rimam aperiant, neque à veniente electi contaminarentur.

§. 6. *Finis* itaque hujus ſermonis dimiſſorii eſt, eos, qui hoc conſilium Dei ſpernerent, reddere ἀναπολογήτȣς, quo imminens anathema juſtificetur: alios verò quos Deus elegerat, conſervare regno Chriſti, indicando illis viam evadendi vim illius anathematis.

Epilogi hujus
A N A L Y S I S.

PRoindè in ſermone hoc dimiſſorio ſub perſonâ Prophetæ monetur totus populus, quid interim, dum differebatur adventus ille Chriſti cum ſuis antecedaneis & ſequelis, ipſi eſſet curandum.

I. Reſpectu legis Moſaicæ commendatur tenacitas memoriæ iſtius: in quem finem

A. *Lex* deſcribitur ab omni ſuo ambitu & contentis.

B. *Memoria* ejus præſcribitur, ut officium ſub theocratiâ neceſſarium. verſ. 4. *Memores eſtote legis Moſis, ſervi mei, quam præcepi ipſi in Horeb, ad totum Iſraëlem, ſtatuta & judicia.* verſ. 4.

II. Reſpectu adventus Chriſti, ad præparationem exceptionis ejus commendatur obſervatio prodromi Chriſti: in quem finem attentio exigitur

A. Ad ejus introductionem, ubi dicitur. *Ecce, ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis.* verſ. 5.

B. Ad opus illi proprium, ſcopo mittentis reſpondens: *ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres; ne forte veniam ut terram percutiam anathemate.* verſ. 6.

EXPO-

Digitized by Google

EXPOSITIO LITERALIS.

Verſ. 4. *Memores eſtote legis Moſis, ſervi mei, quam præcepi ipſi in Horeb ad totum Iſraëlem, ſtatuta & judicia.*

§. 1. Sermo eſt Dei, *Moſen* vocantis *ſervum ſuum*, & ſe proponentis ut *Legiſlatorem*, qui Moſi præceptorum ſuorum traditionem commendaverat olim, quique etjamnum legis ſuæ obſervantiam exigebat: *Malachias* autem conſiderandus, ut prophetiam ſuam, & omne miniſterium Prophetarum verbis hiſce Dei obſignans. Oſtenditur autem in hoc epilogo: quod ſicuti Prophetæ anteriores fuerant ſcriptorum Moſaicorum Interpretes, hanc fidei & morum normam exponentes & inculcantes; ita poſthâc, quandò Prophetarum munus ceſſaret, populi foret officium ad eandem normam ſolam attendere, ſeſeque juxta eam quoad fidem & mores componere. Supponitur in hoc monito divino, ceſſaturam eſſe deinceps uſque ad Chriſti adventum prophetiam, adeò ut non mitteret Deus ampliùs Prophetas, ſicut indè ab initio conſtitutæ in Iſraële politiæ fecerat. Cumque multa adhuc populo imminerent pericula & certamina, monet Deus, ut vivâ voce Prophetarum deſtituti non ſequerentur in religione ſua ſomnia & figmenta, ſed ſtudioſè doctrinam, à Moſe traditam, ac ſuo juſſu publicatam, poſtquam ejus divinitas tot ſubſequentibus probata eſſet argumentis, in omni caſu reſpicerent.

§. 2. *Moſen* proponit Deus, ut maximum fundandæ reipublicæ inſtrumentum, quo uſus eſt ad Theocratiam

Digitized by Google

ſuam in poſteris Abrahami, Iſaäci & Jacobi (in populum peculii à reliquis gentibus ſeparatis) erigendam: ſub cujus miniſterio ſalutaria illa regiminis theocratici jacta ſunt fundamenta.

§. 3. Hunc ornat titulo *ſervi ſui:* quod reperit ex teſtimonio, ei jam ab initio conceſſo, *Num.* 12: 7. ubi dicit Deus quaſi oraculo, *Servus meus Moſes*, *in omni domo meâ fidelis:* quod Paulus interpretatur eum datum fuiſſe *in teſtimonium eorum omnium*, *quæ deinceps erant dicenda*, etiam per Chriſtum *Hebr.* 3: 5. Proindè continetur in his verbis teſtimonium fidelitatis; qui enim ſe in ſcriptis ſuis exhibuit *Dei ſervum*, in nullâ re culpatum, is nil locutus eſt ex proprio ſenſu & arbitrio, ſed ex dictamine Dei: ut proindè Moſes non ſit ſpectandus ut homo tantùm, ſed ut *miniſter* & ſervus Dei, qui non potuit non munus, ſibi injunctum, cenſeri ſummâ cum fide abſolviſſe.

§. 4. Huic tribuitur *lex*; non quaſi ipſe fuiſſet ejus auctor, ſed quia eadem ejus miniſterio intercedente cum populo communicata fuerat: reſpicitur enim lex ut depoſitum Dei, hujus curæ demandatum, quo eam Iſraëli traderet. Sub *legis* autem nomine venit totus Pentateuchus, *legem* id eſt *doctrinam* ſeu commonſtrationem viæ perveniendi ad gratioſam cum Deo communionem continens: quæ vocis תורה ſignificatio ex etymo eſt. Quare *lex* illa, ut perpetua fidei & morum regula, juxta quam vita erat inſtuenda, commendatur poſteris.

§. 5. Ad legis ſeu doctrinæ iſtius Moſaicæ auctoritatem facit, quod Deus declarat *ſe eam Moſi præcepiſſe in Horeb ad totum Iſraëlem.* Declarat itaque Deus hoc opus ſuum eſſe, & à ſe profectum: ſeque illud Moſi præcepiſſe. צוה notat aliquem præcepto obligare ad opus aliquod præſtandum, & voluntatem ſuam peragen-

gen-

Digitized by Google

gendam: quâ in re conſiderandum eſt præcipientem uti authoritate domini in ſervum & mancipium ſuum, cujus eſt obedire, ex obligatione naturali opus demandatum exſecutioni demandare, omnemque actionem ad normam voluntatis præcipientis componere. Ita Deus legem præcipit, ut Dominus & Rex populi; qui peculiarem quandam nationem ſibi ſeparavit in populum, ad theocratiam in eo erigendam convocatum. Miniſtrum imperii ſui declarat fuiſſe *Moſen*, quem adhibuit ut *legis ſuæ* traditorem. Quod autem Deum, mentiri neſcium, ſanctum, & Legiſlatorem ſupremum habet auctorem, id rectum eſt, & nil continet, niſi quod rectum, ſanctumque eſt, ac vim habet obligandi conſcientiam humanam. Quare *lex*, quam Moſis expoſuit, divinitùs nos obligat.

§. 6. *Locus* additur, in quo Deus Moſi legem iſtam præcepit, qui fuit *Horeb*, quique 1 *Reg.* 19: 8. appellatur *mons Dei*, eo quod Deus ex eo monte Moſi apparuit *Exod.* 3: 1. & cum eo locutus fuit, ſicut & cum populo. *Deut.* 4: 10. 15. Aliàs vocatur mons *Sinai*, prout etiam deſerti pars, huic vicina, venit ſub nomine deſerti *Sinai*, undè colligo nomen *Sinai* continere denominationem regionis, in quâ mons *Horeb* inveniebatur. Novi, hodiernos peregrinantes, qui montem hunc conſpexerunt, eum inveniſſe binis collibus ſtupendæ altitudinis, difficilioriſque aditus ſeſe efferentem, ejuſque orientalem nomine *Sinai*, occidentalem verò nomine *Horeb* inſignire. Verum iſta traditio haud ſolida videtur, cum totus mons *Horeb* nomine proprio dicatur, & *Sinai* nomine appellativo, toti regioni communi. Ex itineribus populi Iſraëlitici ſitus illius regionis & montis notiſſimus eſt.

§. 7. Addit *ad totum Iſraëlem* ſpectaſſe legem. *Iſ-*

Digitized by Google

raël dictus fuit *Jacob*, Iſaäci filius, Abrahami nepos, *Gen.* 32: 28. quem à Deo ſupra fratrem fuiſſe amatum, & in ſtirpem populi Dei electum, vidimus Cap. 1: 2. 3. Quandò *totum Iſraelem* dicit, omnem ejus poſteritatem, ex XII filiis ejus natam intelligit: quæ in 12 tribus diſtincta, ita diſtinctè etiam in deſerto recenſita fuit. Lex itaque in uſum omnium tribuum Iſraëlis lata, & per Moſen cum omnibus communicata fuit, *Pſal.* 147: 19-20.

§. 8. Ad utilitatem legis ſpectat, quod contineret *ſtatuta & judicia.* Variant interpretes, dum alii vertunt *ſtatutorum & judiciorum*, verba iſta quoad conſtructionem ex regimine verbi זכר ſuſpendentes. Qui hunc ſenſum admittunt, per legem intelligunt decalogum, & per *ſtatuta & judicia* leges, poſt decalogum aut verba fœderis *Exod.* 20-23. latas; atque ſub *ſtatutis* leges rituales, cultum & ritus ſacros definientes: ſub *judiciis* verò leges forenſes, normam judicandi in foro exponentes. Alii à verbo præcipiendi dependere exiſtimantes, hìc per appoſitionem voces iſtas adjici, & *ſtatuta ac judicia* diſtinctè recenſeri defendunt, tanquam ſub lege comprehenſa: quia decalogus, ſaltem cum legum ſimul traditarum comitio, etiam cultum & judicia forenſia determinat in multis. Adde, quod monet Cl. *Coccejus* in Q. Jud. חקים non præciſè ſignificare leges de ritibus & ceremoniis, ſed quaſcunque *definitiones*, modum cujuſque rei circumſcribentes, ac limitationem certam habentes: dum חק cujuſque rei modum denotat. משפטים verò dicuntur præcepta, ſecundum quæ judicium in foro eſt pronunciandum. Hæc autem ſubdiſtinguit Deus *Ezech.* 20: 11. & 25. in *ſtatuta & judicia, quæ qui facit, in iis vivit:* & *in ſtatuta & judicia non bona, in quibus non viverent.*

Com-

Digitized by Google

Commendat igitur potiùs legem à duplici uſu, quod contineat definitiones, quoad modum agendi claras, quæ tollunt hæſitationem mentis omnem, qui poſſet ſuccurrere circa modum officii præſtandi. Nec non judicia publica, ad conſervationem ordinis in politiâ Iſraëlis ſpectantia: ut domi & foris in pace degant.

§. 9. Tandem accedimus ad officium, circa legem illam præſtandum, videlicet, *ut ejus ſint memores*, ſeu recordentur. Monitum hoc eſſe maximi momenti, debitâque attentione proſequendum, innuit litera ז majuſcula in verbo זכרו in multis codicibus. *Recordari* eſt non obliviſci, nec oblivioni tradere, ſed in recenti retinere memoriâ. Ita oppoſitum verbi זכר eſt שכח. Pii hominis eſt non obliviſci legis Dei. *Pſal.* 119: 61. 109. 153. *Hoſ.* 4: 6. nec mandatorum ejus *Deut.* 26: 13. *Pſal.* 119: 93. 141. nec ſtatutorum Dei *Pſal.* 119: 83. Ejus oppoſitum eſt *recordari*, id eſt, omne ſtudium adhibere, ut memoria ejus, ex lectione & auditu nata, non pereat, ſed in omni caſu voluntatem Dei cuivis ob oculos ponat. Neque hoc tantùm, ſed ut etiam hoc agere, ut ipſo opere oſtendas, te legi eſſe innutritum, atque probè officii tui eſſe conſcium: ſicuti enim ſub cognitione ſcriptura comprehendit agnitionem rei: ita ſub recordatione legis ejuſdem obſervantiam, quâ in conſiliis de modo agendi concludit agendum juxta receptam agendi normam; de eo ſollicitus ut nec dextrorſum, nec ſiniſtrorſum ab eâ recedat. Supponit hæc admonitio tempora interventura graviſſima, quibus tentatio multos pertraheret ad apoſtaſiam; alios ad hæreſes & corruptas de lege ſententias: quam corruptionem ſingulæ viſiones, huic libro inſertas, manifeſtarunt.

§. 10. Hoc ſtudium commendat, quamdiu forent in exſpectatione Chriſti, deſtituti Prophetis. Quare Judæi

dæi minùs rectè ex hoc loco colligunt, omnia, quæ Moſes imperaverat, eſſe obſervanda, etiam quandò Chriſtus venerit. Hoc enim Deus præſenti in loco non dicit: ſed memoriâ retinendam eſſe legem, uſque dum mittatur Elias ille, qui Chriſti prodromum ageret & introductorem. Debuit Chriſtus illos invenire in legis obſervantiâ integros, ut haberet illos ad ingreſſum in regnum ſuum paratos: finis enim legis erat Chriſtus, & ipſa debuit eſſe pædagogus ad Chriſtum. Ratio legis hoc ipſum exigit, cujus varia præcepta tantum data ſunt pro iſtâ generatione: varia ſolùm typos & figuras rerum futurarum tractare docent; cumque typorum uſus ſe non porrigat ultra tempus corporis exhibiti: non forent memores legis, qui dogmata legis ultra terminum ſuum protrahere vellent: quod eſſet umbras cum rejectione corporis amplecti, & ſcopum legis abnegare.

Verſ. 5. *Ecce, egò mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis.*

§. 1. Adjicit ſermo Dei dimiſſorius & aliud monitum, quo jubet attendere ad molimen ſuum de mittendo prodromo Chriſti; qui foret miniſter converſionis & vocationis Judæorum ad reſipiſcentiam: & quocum gratia divinæ miſſionis rediret.

§. 2. Spondet *Eliam prophetam*, ut legatum Dei, qui poſt *Malachiam*, veteris œconomiæ prophetam ultimum, veniret, ut novæ œconomiæ propheta primus. Sunt non ſolum inter Judæos, verum etiam inter Chriſtianos, qui hunc *Eliam prophetam* applicant Eliæ, va-

Digitized by Google

ti celeberrimo, Iſraëlitarum ſub Achabo rege reformatori ſtrenuiſſimo, quem vivum in cœlum fuiſſe ſublatum teſtatur hiſtoria ſacra, 2 *Reg.* 2: quemque ad munus propheticum in terrâ obeundum in carne rediturum autumant. Qui error ſatis eſt antiquus; eam enim mentem fuiſſe LXX interpretum patet ex eorum verſione, dum textum reddunt ἀποϛελῶ ὑμῖν ἠλίαν τὸν θεσβίτην. Fatendum tamen biblia regia hoc additamentum non habere. Tempore Chriſti hæc ſententia etiam quorundam animos occupaverat, ut liquet ex *Matth.* 17: 10. Judæorum plurimi hunc volunt prodromum fore Chriſti: Pontificiorum Doctores multi eum creunt præcurſorem fore diei ultimi ſeu judicii univerſalis; nobiſque oſtentant Patrum nomina, qui verſione græcâ decepti, tale quid docuerunt. *Pontificiis* opponimus expoſitiones, hinc angeli *Luc.* 1: 15-17. illinc Chriſti, *Matth.* 11: 14. 17: 11-13. *Judæis* variorum Rabbinorum confeſſiones, qui agnoſcunt ſufficere ad hujus prophetiæ implementum, ſi quis veniat Eliæ ſimilis; qualem indicabimus in hujus vaticinii implemento, oſtenſuri *Joh. Baptiſtam* talem ſe præſtitiſſe. Neque inficiari poſſunt, ſcripturam ſæpius nomen typorum applicare antitypis, ob perſonarum ſimilitudinem. Ita *Chriſtus* venit ſub nomine *Davidis*, *Jer.* 30: 9. *Ezech.* 34: 23. *Hoſ.* 3: 5. & *Salomonis Cant.* 3: 11. 8: 11. *Jehu* ſub nomine *Zimri* 2 *Reg.* 9: 31. Primates gentis & ipſe populus, *Primates Sodomæ & populus Gomorrhæ* audiunt *Jeſ.* 1: 10. Nec alieni ſunt ab eo dicendi genere ſcriptores profani. Exempli loco ſit ductum Poëtæ.

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

§. 3. Exſpectatio hujus, quæ hic datur, erat eum

 ven-

venturum, divinâ auctoritate inſtructum: non enim adeſſet, niſi *miſſus à Deo;* nam *ego mitto Eliam*, dicit Deus. Conf. *Cap.* 3: 1. Nunc addit *vobis*, atque adeò in veſtram gratiam, ut vobis utilem. Antiquum Dei beneficium erat populo ſuo Prophetas dare, conſilii ſui divini & viarum ſuarum interpretes: nunc redderet beneficium illud poſt ablationem ad tempus: quippe Miſſurus *Eliam Prophetam.*

§. 4. Tempus adventus notatur, *antequam veniat Dies Jehovæ magnus & terribilis.* Quando *diem Jehovæ* dicit, diem Chriſti intelligit, quo ille ut verus Jehovah regnum capeſceret, & ſe ut dominum ſingulari opere manifeſtaret Conf. cap. 3: 17. *Magnum* vocat ob magnitudinem rerum exſequendarum, & boni adferendi; nec non *terribilem*, ob judicia impiis inferenda, qui ſe illi opponerent. Conf. cap. 4: 1.

Hæc præter ſcopum à quibuſdam rapiuntur ad diem conſummationis orbis, ultimique judicii; licet enim non negemus diem illum ultimum fore magnum & terribilem; non tamen iſta phraſis illi ſoli competit. Conf. *Joel.* 1: 15. 2: 11. *Zeph.* 1: 7. 14. quibus in locis dies judicii in Judæos Chaldæorum operâ exſequendi eâdem phraſi notatur. Quid ni ita quoquè dicatur dies excidii gentis Judaicæ per Romanos, qui adhuc terribilior foret ob gravius ſupplicium, perfidis inferendum. Adde quod vox נורא etiam accipiatur in ſignificatione reverentiæ majeſtatis manifeſtandæ, ut *Gen.* 28: 17. *Pſal.* 111: 9. undè Græcis redditur per ἐπιφανὴς *illuſtris:* atque ita etiam piis venerandus. Quicquid ſit, nobis ſufficit reſpici judicia Dei, de quibus verſ. 1. 2. 3. & ſupponi hunc diem inſtare, & non ita longè eſſe removendum.

Undè ſequitur hujus diei præcurſorem eſſe eundem ipſum

ipſum legatum, cap. 3:1. deſcriptum, qui prodromum Chriſti ageret: atque adeò fruſtra Judæos & Pontificios ante diem judicii Eliæ reditum exſpectare ex hoc loco.

§. 6. Officium autem, quod circa hunc exigitur, exprimit Deus per voculam *ecce:* quam cujuſvis *attentionem* ad rem obſervatu dignam poſtulare notum eſt. Scilicet exſpectare debebant hanc legationem divinam, dum in legis obſervantiâ ſpem redemptionis profitebantur: & curare, ne non obſervatus prætereat; quod foret ſoporis haudquaquam condonandi.

Verſ. 6. *Ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres: ne veniam ut terram percutiam anathemate.*

§. 1. Hoc loco finis legationis commemoratæ exponitur; & quid moliretur ille Propheta in vitâ ſuâ. Phraſin quidam ad conciliationem animorum referunt, ac prædici confuſa & litigioſa tempora autumant, in quibus lites œconomicæ diſſidia facerent & foverent inter parentes & liberos, quas ille conaretur componere, ad pacem faciendam eamque populo reſtituendam legatus. Verùm etiam alia ſignificatio in poteſtate vocabulorum iſtorum animadvertenda eſt: ut ſcilicet per *patres* intelligamus patriarchas, gentis Judaicæ ſtirpes, ex quibus nati erant Judæi; intellige Abrahamum, Iſaäcum & Jacobum: per *filios* autem eorum poſteros, qui tunc forent; quandò iſta legatio huic obeunda foret. *Cor patrum ad filios convertere*, ita notabit hoc agere, ut non ampliùs pudeat illos filiorum ſuorum, per reformationem poſteritatis, juxta vaticinium *Jeſ.* 29: 22. 23.

ut ita gaudeant ſuper filios ſuos, eorum converſionem intelligentes. *Cor* vero *filiorum convertere ad patres*, erit, poſteros eorum revocare ad mentem & ſententiam patrum, per depoſitionem errorum, qui irrepſerant, & ſic ad communem fidem: itá Angelus exponit *Luc.* 1: 17. per *inobedientes convertere ad prudentiam juſtorum.* Supponens defectionem filiorum à fide & pietate majorum.

Ita miniſterium Præcurſoris conſiſteret in præconio reſipiſcentiæ & converſionis, quo etiam moliretur viam parare Domino, atque experiretur num gentem illam ad ſanam mentem revocare poſſet, à quâ receſſiſſet magnoperè, prout in omnibus oblatis Malachiæ viſionibus per anticipationem repræſentatum fuerat.

§. 2. Additur finis operis: *ne fortè veniam ut terram percutiam anathemate.* Non dicit legationem illam effecturam, ut omnes ſe convertant, & anathema amoliatur: nam è contra factum eſt, ut anathema illud venerit, & diem illum terribilem fecerit: quòd lugent adhuc Judæi. Sed finis operis notatur, ipſum laboraturum num *fortè* per converſionem gentis id prævenire poſſet, eam à pertinaciâ anathematis comminatione abſterrendo, & terrore domini ipſis reſipiſcentiam ſuadendo. Sic vocula פן notat hìc nexum inter converſionem univerſalem & averſionem anathematis: & contra inter pertinaciam plurium ac anathema terræ. Vertere licet, *alioquin fiet ut veniam & terram percutiam.* Nota hìc judicium, terræ imminens, ſi gens non patiatur ſe reduci ad mentem patrum.

§. 3. *Terra* hìc notat, non totum terrarum orbem, ſed terram particularem, terram filiorum iſtorum rebellium, qui reſipiſcere neſcii eſſent: ſicuti etiam alibi vox ארץ pro terrâ aliquâ particulari venit. *Pſal.* 2: 2.

Digitized by Google

2. *Eccl.* 10 : 16. *Jeſ.* 13 : 5. De Judæis agitur, eorumque judicio : proin hic terra eorum intelligenda eſt.

§. 4. Vox חרם Græcis dicitur ἀνάθεμα, notatque in ſacris potiſſimum *rem ad excidium devotam.* Conf. *Deut.* 7: 26. *Joſ.* 6: 18. Judæi ita appellant ſecundam ſpeciem excommunicationis, quæ eſt contumacium, de quibus ajunt, quod non doceant nec diſcant cum aliis, ſed ſoli ſtudeant, ne quæ didicerant obliviſcantur: non conducant, nec conducantur. Nullum cum iis commercium habendum, imò nec edendum aut bibendum volunt: ut omni modo relicti ſeparentur à populo. Hoc obtinet, quandò vox dicitur de populo Iſraëlitico, cui minatur Deus judicium anathematis, *Jeſ.* 34: 5. 43: 28. Conf. *Deut.* 29: 21. Verùm aliquandò applicatur *terræ* exſcindendæ, *Jeſ.* 11: 15. & junctim hominibus & civitatibus, quod fuit judicium Cananæorum *Joſ.* 11: 11-13. 20. Ita & hic *terra Judæorum* concipitur ut res excidio devota: conf. *Deut.* 32: 19. unà cum civitate & templo, *Dan.* 9: 26. 27. propter peccatum populi, Cananæorum in morem exſcindendi. Rem ipſam ſupponit Moſes, quandò dixit *Deut.* 32: 43. *expiabit terram ſuam.* Hoc *anathema* jam concipi debet, ut terminus *maledictionis*, de quâ cap. 2: 9. & opponitur beatitudini gentis in terrâ cap. 3: 12. proindè finem imponit benedictionibus V. Teſt. adeò ut terra, olim in pignus divinæ benevolentiæ Iſraëli conceſſa, abindè ſpectanda foret tanquam iſto charactere non ſolùm privata, ſed contra execratione ſingulari excidio devota, & monumentum rejectionis populi facta.

§. 5. Hoc excidium Deus inferret *percuſſione* virgæ ſuæ: ut non ampliùs eſſent caſtigationes ex amore proficientes, ſed percuſſio Dei, vindictam inferentis, &

Digitized by Google

populum ultimato ſupplicio punientis. Quæ pœna foret neglecti præcurſoris & obfirmationis cordis, ſe adverſus vocationem legati Dei, ut prophetæ, indurantis ſupplicium.

§. 6. *Venturum* ſe ad hanc *percuſſionem terræ*, ut excidio devotæ, dicit Deus: phraſi conſuetâ, quâ Deus, judicia ſua immittens, *venire* dicitur: & in ſpecie in cauſſâ excidii Judæorum. *Pſal.* 50: 3. Ratio phraſeos eſt, quia judicia iſta adeò forent illuſtria, ut omnes viderent Dei irati hoc opus eſſe, qui ſe manifeſtat ut præſentem Judicem, quandò ex operibus ſe cognoſcendum præbet: eſſe enim ibi dicitur ubi operatur: & *venire* ad locum, ubi extraordinario operé ſe manifeſtat.

VIS RATIOCINII DEMONSTRATA.

§. 1. CUm finis Dei, quem in ſermone hoc dimiſſorio intendebat, fuerit Judæos per conceſſionem tolerantiæ aliquantiſper prorogandæ reddere ἀναπολογήτυς, ac ſimul electos monere de officio: monet illos judicium indurationis non poſſe averti, niſi per antecedaneam legis memoriam; nec judicium excidii, niſi per converſionem univerſalem gentis. Quare oportunè duo præſcribit officia, tanquam totidem media, ſub tolerantiæ tempore ſolerter ad uſum revocanda.

§. 2.

§. 2. Primum quod præſcribit medium, quo præparandi erant ad Chriſtum ejuſque Præcurſorem poſtmodum recipiendum, erat, *legis eſſe memores*, ut ne latum quidem unguem ab eâ recedant: cujus officii obligatio nititur ejus divinitati & modo tradendi per miniſtrum fidelem, ex quibus ſequitur ejuſdem authoritas ad fidem & obſervantiam obligans: ſicut enim apparitionis divinæ in Horeb teſtis erat totus populus; ita etiam legis, quam Moſes indè retulit, auctorem fuiſſe Deum nemo non convictus fuit. *Hujus memoria*, quandò deſinerent adeſſe prophetæ, ſufficiens erat medium eos præparandi ad Chriſti adventum: quia ejus uſus erat ſperantes per modum pædagogi ducere ad Chriſtum. Contra neglectus finis legis, ac œconomiæ anterioris, cum oblivione conſilii Dei, & abſconſione clavis cognitionis, efficeret, ut multi impingerent in legem, atque conſilium Dei ignorantes propriam juſtitiam erigere conarentur: undè expiationem, per Chriſtum adducendam, non cognoſcerent, neque adeò etiam expeterent. Qui cauſam adventus Chriſti oblivioni tradit, omne ſpei fomentum extinguit, atque ita imparatus eſt ad eum excipiendum. Contra qui memor eſt ex lege eſſe cognitionem peccati, & in ejus ritibus fieri exercitium fidei, ſpem bonorum fœderis erigentis; imò in umbris eſſe repræſentamen corporis futuri, ille diem illum anhelat, & in ſpeculâ conſiſtens ſigna temporum obſervat: adeò ut eum Præcurſor dormientem præterire non poſſet.

§. 3. Huc facit *Eliam Prophetam* proſpicere ut à Deo mittendum, cum firmo mentis propoſito, ipſum in omnibus, quæ ad reformationem præſcriberet, ſequendi: Illi enim eum haberent Manuductorem ad Chriſtum & præparatorem ad ingreſſum in regnum Chriſti. Nil niſi ſupinitas, ad hanc prophetiam non attendens

dens efficeret, ut plurimos ſine fructu præteriret. *Reducere filios ad cor & mentem patrum* nihil aliud eſſet, ac per revocationem antiquæ doctrinæ, quantum in ſe eſt, animis obſervantium & auſcultantium eximere præjudicia, quæ contumaces ex regno Chriſti excluderent, & adverſus illud obfirmarent: quo ingreſſu neglecto nil reſtaret, quam ut terra relinqueretur tanquam anathema, ſeu res devota, Deo jubente & adveniente ad excidium percutienda: eſt enim anathema contumacium ſupplicium.

HISTORIA IMPLEMENTI.

§. 1. NEque aliis conditionibus, aliâve ſub ſpecie ac formâ venit regnum Chriſti: quotquot enim crediderunt in Chriſtum fuerunt homines legis Moſaicæ obſervantiſſimi. Quibus ipſe Chriſtus teſtatus eſt *Matth.* 5: 17. *quod non venerit* καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι. Nec obſtat Chriſtianam libertatem poſtmodum cives regni Chriſti à jugo ſervitutis legalis liberaſſe; quia illa libertas nequaquam præter legem introducta eſt, quæ monuit *ſatiatos non eſſe adjungendos ſitientibus*, *Deut.* 29: 19. Chriſtiani, tempore libertatis, legis Moſaicæ memores, eam ex ſcopo ſuo obſervant, dum tempore correctionis, quæ olim in literâ fiebant, nunc in ſpiritu faciunt, ex lege edocti ibi literalis obſervantiæ terminum eſſe obſervandum, ubi agnoſcitur

Schi-

Digitized by Google

Schiloh regnum accepiſſe cum obedientiâ nationum.

§. 2. Venit quoque *Elias Propheta* in perſonâ Joh. Baptiſtæ, interprete Angelo. *Luc.* 1: 17. *is*, inquit, de Johanne loquens, *præcedet ante eum* (Meſſiam) *in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios, & rebelles ad prudentiam juſtorum, ut paret domino populum inſtructum.* Accedit Chriſtus *Matth.* 17: 12. *Elias jam venit: at non agnoverunt eum. Matth.* 11: 14. *Atque ſi velitis accipere, ipſe Johannes eſt Elias, qui venturus erat. Joſephus* de eodem ant. l. 18: 7. in hunc modum ſcribit. *Apud Judæos autem fuit opinio, juſtâ numinis ultione deletum fuiſſe Herodis exercitum, propter Johannem, qui Baptiſta cognominatur: hunc enim Tetrarcha necavit,* NB. *virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum ſtudia, & imprimis pietatis ac juſtitiæ, ſimulque ad Baptiſmi lavacrum.* Extra omnem ergò dubitationis aleam Johannes venit Baptizans, fuitque vir optimus, Judæos ad reſipiſcentiam morumque correctionem vocans. Num verò ille fuerit *Elias*, de quo Deus teſtatur apud *Malachiam?* vel indè dignoſcas, quod venerit *ante diem illum Jehovæ magnum & terribilem,* quo terra Judæorum anathema facta, Deo Romanis ut virgâ & ſecuri utente, divinitùs percuſſa eſt. Proin hic fuit *Elias* ille, quippe eo defunctus munere, quod ipſi apud Prophetam attribuitur: nam quid eſt? quantum in ſe eſt, *corda patrum ad filios, & filiorum ad patres convertere? quam Judæos ad virtutum ſtudia excitare*, & libero ore vitia (ne Tetrarchæ quidem parcens) corripere, experturus, num fortè gentem ad pietatem & juſtitiam reducendo, à judicio anathematis præſervare poſſit? Præter hunc nullus alius *Elias* ante populi & terræ excidium adfuit. Adde, quod inter

eum & Eliam etiam juſta fuerit convenientia, ob quam meritò quaſi *alter Elias* cenſendus ſit; nam *α.*) apparatum elegit inſtar *Eliæ*, & cujuslibet *prophetæ*; unâ cum vitæ genere, ſtatum populi miſerum lugentem decente: quippe indumentum ei è pilis camelinis erat hirſutum. *Matth.* 3: 4. ſicuti olim *Eliæ* 2 *Reg.* 1: 8. & Prophetis *Zach.* 10: 4. quod *zonâ pelliceâ* lumbis adſtringebat: ac victus ratio erat, *locuſtas comedere & mel ſylveſtre*: ita externo habitu profeſſus ſe prophetam agere & præconem pœnitentiæ; quod confirmavit dominus, ipſum declarans Prophetarum & natorum ex hominibus maximum: ſicut Joſephus *virum maximum*. *Matth.* 11: 12-14. *β.*) Difficillimis temporibus, vigente in populo ſciſmate, uterque *Elias & Johannes* ſingulari zelo deficientes ab orthodoxiâ fidei ad Jehovam, & ſententiam patrum, atque uniformitatem fidei reducere laborarunt: ille ſub ſciſmate Iſraëlis & Judæ, hic ſub divortio non ſolum Samaritanorum & Judæorum, ſed & aliarum ſectarum, quales cernebantur in Pharizæis, Eſſæis, Sadducæis atque Herodianis. *γ.*) Utrique res fuit cum Principe improbo, ac eo pejore, quo uterque paruit uxori peſſimæ. Eliæ cum Achabo ejuſque uxore *Jeſabele*, necem viri Dei quærente: Johanni cum Herode ejuſque uxore *Herodiade*, illi necem procurante. Uterque tamen intrepido animo illos regni Dei hoſtes corripuit, atque adortus eſt: quâ animi fortitudine illi ambo parem ſpiritus menſuram oſtentarunt. *δ.*) *Elias* ſub ſigno ex cœlis delapſo, & ſacrificium ſuum accendente, publicè demonſtravit Jehovam eſſe in mundo ſolum Deum, ac in Theocratiâ Iſraëlis verum regem. *Johannes* ſub ſigno deſuper deſcendente, ac ſuper agnum ferentem peccata mundi ſe commonſtrante, in confirmatio-

tionem cœleſtis teſtimonii, quod gratum foret Deo ſacrificium, *Jeſum* demonſtravit eſſe filium Dei; & ſolum Theocratiæ cœleſtis regem, cui haud dignus erat corrigias ſolvere. Ita *Elias* Baalitici cultus ſacerdotes confudit. Ita *Johannes* electos à profanis templi ſacerdotibus, Deum inſtar Baalis colentibus, abſtraxit, & ad verum expiationis ſacrificium ac ſacerdotem ablegavit. Neque mihi omittendum reor (quod in teſtimonio Dei includitur) nullum alium *Eliam* notari apud prophetam noſtrum, quam qui poſt *Malachiam*, ceſſante aliquamdiu dono prophetico, proximè ut propheta prodiret; ac primus iſtius ordinis foret, quandò œconomia N. T. cum reſtitutione ſpiritus prophetici, ſub finem œconomiæ legalis aperiretur. Aſt ille fuit Johannes Baptiſta, de quo parens cecinit, *Luc.* 1: 76. 77. *Καὶ σὺ παιδίον, προφήτης ὑψίςου κληθήσῃ· προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου κυρίου ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν.* Et Chriſtus de eo dixit *Matth.* 11: 13. *Omnes prophetæ & ipſa lex uſque ad Iohannem prophetarunt*: ut œconomia legalis in ipſo, qui fuit index Chriſti, initium termini invenerit, ſicuti etiam uſque ad ipſius miniſterium duravit.

§. 3. Conſequens hujus legationis fuit, quod maxima populi pars in ſuâ perfidiâ & contumaciâ perſtiterit, atque ipſe occiſus fuerit: quod crimen ex terrâ fecit anathema: undè Deus eam, Romanorum faſcibus, & Titi Veſpaſiani ac poſtea Hadriani armis uſus, ita percuſſit, ut non tantum civitas, ſed & tota terra ſubverſa fuerit, atque ejectis colonis vaſtationi relicta uſque in hodiernum diem: nil niſi antiquæ gloriæ parva oſtentans rudera, in ſignum maledictionis Dei, ei incumbentis, donec terram cum populo expiaverit. Utinam

Digitized by Google

Judæi reatum agnoſcerent, ſatis apud Prophetam indicatum; id nempè genti ſuæ eveniſſe, quod non paſſi ſint ſe converti ad corda patrum, & Chriſtum ab eo indicatum non receperint. Deus cæcutientibus aperiat oculos, ut ex poſtliminio adhuc videant, peccata ſua lugeant, & ad ſanam mentem redeant, quò cor patrum redeat ad ipſos, nec Jacobum ampliùs pudeat poſteritatis ſuæ: qui optandus illis eſt ſcenæ exitus &c.

FINIS.

Digitized by Google

I N D E X
V O C U M
H E B R A I C A R U M.

ארון Pag. 280
ארונו p. 66
איש pro quocunque homine. p. 185
אל Nomen Dei à potentiâ. p. 173
ארבות p. 337
ארור p. 103
את p. 136

בגד p. 174
בורית p. 294
בזה undè נבזה p. 75
בחן p. 36
בעל p. 183
בקש p. 145. 285
ברית p. 137. 283
ברכה p. 129. 338
בשל undè הבשיל p. 149

גער p. 131. 340

דבר & דברים p. 263
נדבר colloqui p. 359
דרך p. 148
היה

היה p. 136
הורה p. 140
העיר p. 196
הריק p. 338
הרס p. 42

ו p. 128. 135. 145
הואת & זאת p. 125
זרים p. 363
זעם p. 43
זקק p. 297
זרע p. 132

חברת ſocia dicitur uxor. p. 196
חגים p. 133
חלות פנים p. 80
חמל p. 371
חנם p. 84
חנן p. 81
חפץ cum ב conſtructum. p. 85. 269. 285
חקים p. 324
חרם p. 413
חשב p. 368
חתת p. 139

טרף p. 335

יגע undè הוגיע p. 263

כבר p. 62. undè כבור p. 126
כלכל p. 292
כרת

Digitized by Google

כרת p. 186

לאה undè תלאה p. 96
לאך undè מלאך p. 1. 146
לכם p. 132

מארה p. 128
מרוע p. 175
מישור p. 143
מכשפים p. 302
מלט undè נמלט p. 364
מרבק p. 386
משא p. 15

נגש undè הגיש p. 71
נוכל p. 103
נורא p. 105. 410
ניב p. 84. 85
נפח p. 100

סגלה p. 370

עבר p. 372
עולה p. 141
עם p. 43
עשה p. 185
עתה p. 125

פוש p. 386
פחה & פחת p. 78
פנה in pihel. p. 276
פרי האדמה p. 340

Digitized by Google

מצרץ undè צרף p. 293

קבע p. 328
קרש p. 178

רצון p. 194
רשע p. 273
רשעה p. 364
רשש p. 41

שם p. 140
שמם p. 38
נשמר 144. שמר p. 209
שן p. 143
שנה p. 304
שפלים p. 151

תורה p. 140
תגות מדבר p. 39
תרומה p. 331.

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM
SCRIPTURÆ.

Caput.	Pagina.
Gen. 2 : 24.	196. 203
4 : 4. 5.	194
11.	125
5 : 22. 24.	142
6 : 9.	142
21 : 23.	125
30 : 29.	136
32 : 3.	146
7.	136
34 : 30.	133
36 : 8	38
48 : 16.	179
Exod. 23 : 14-19.	133
20. 21.	179
28 : 30.	146
Levit. 8 : 7. 8.	146
10 : 10.	144
11.	120
18 : 18.	210
19 : 15.	142. 152
22 : 6.	69
26 : 14	127
14-17. 27.	
32.	128
Num. 6 : 23.	129
12 : 7.	404
18 : 19.	150
20 : 14-22.	30
21 : 30-35.	ibid.
25 : 12.	136
Deut. 1 : 17.	152
21.	139
2 : 4.	38
26.	146

Cap.	pag.
Deut. 3 : 10.	143
7 : 7.	36
8.	146
10 : 14. 15.	36
15 : 3.	136
24 : 1.	211
28 : 15.	127
18-68.	332
29 : 9. 15.	138
19.	416
30 : 19.	137. 138
31.	136
31 : 9-12. 19.	120
12. 13.	139
25-27.	138
32 : 3.	45
4.	142
12.	182
Joſ. 8 : 34. 35.	332
24 : 4.	38
Jud. 9 : 16.	125
23.	175
1 Sam. 1 : 6.	210
2 : 30.	128. 153
3 : 7.	127
13 : 4.	133
14 : 33.	174
20 : 2.	175
2 Sam. 3 : 34.	142
7 : 10.	142
23 : 5.	286
1 Reg. 20 : 23.	143
1 Chron. 4 : 39.	145
17 : 9.	142

Digitized by Google

Cap.	pag.
2 Chron. 17: 7-9.	120
19: 5.	189
Eſræ 7: 10.	120
Neh. 8: 3. 4.7. 8.	120
10: 39.	135
13: 10-13.	333. 335
11-21.	175
Eſther 1: 5.	142
2: 23.	145
Job. 1: 14.	146
22.	127
22: 2. 3.	126
31: 35.	367
35: 7.	126
Pſal. 2: 10.	125. 281
9: 6.	131
16: 4.	183
25: 8.	140
29: 2.	127
33: 9.	131
45: 12.	281
50: 3.	414
56: 6.	367
68: 31.	131
69: 23.	129
73: 6.	215
81: 10.	182
82: 2.	152
109: 7.	131
17-19.	128
29.	215
110: 1.	280
118: 22.	221
27.	133
119: 119.	294
142.	141
127: 3.	207
130: 1.	143
147: 19. 20.	406
Prov. 2: 17.	198
22.	174
3: 3.	127
9. 10.	339
5: 18.	196

Cap.	pag.
Prov. 6: 21.	127
7: 3.	127
10: 11.	145
18: 5.	152
Jeſ. 1: 13. 14.	264
15.	194
2: 3.	152
3: 9.	153
12.	149
5. 1.	180
13.	149
23.	153
6: 13.	206
7: 13.	264
8: 14. 15.	149. 179
10: 2.	152
21: 2.	174
27: 5.	138. 143
28: 7.	150
15. 16.	183. 184. 210. 221. 228
29: 1.	133
22. 23.	411
33: 18.	133
34: 5-15.	42
40: 3-5.	281
3.	277
4.	143
4-6.	276
11.	281
41: 14-16.	179
42: 1.	180
6.	284
43: 3. 14. 15.	179
24.	263
44: 6.	179
45: 7.	128
48: 8.	149. 174
14.	180
17.	179
49: 8.	284
53: 3.	304
5.	284

Digitized by Google

Cap.	pag.
Jeſ. 53: 8.	186
9	142
54: 9.	131
10.	138. 284
55: 5.	179
8.	152
63: 9.	34
65: 6.	307
Jer 1: 17.	120
2: 22.	294
3: 12.	150
15.	150
20.	149. 175
4: 1.	326
8: 5.	175
8.	144
10: 21.	150
13: 18.	150. 144
23: 5.	281
14.	149
25: 11.	39
17. 20-22.	38
27: 2-7.	ibid.
28: 15.	149
29: 7-22.	42
31: 3.	34
31-34.	283 &c.
34: 18.	186
42: 40.	284
48: 8.	143
Ezech. 2: 6.	140
3: 4.	ibid.
7: 26.	150
9: 2.	367
13: 10.	150
16: 20. 21.	206
59.	151. 153
20: 11. 25.	406
24: 12.	264
25: 12-14.	42
34: 23. 24.	281
37: 33.	284
Dan. 1: 8.	127
9: 5.	148

Cap.	pag.
Dan. 9: 17.	280
24-27.	21
25. 26.	281
26.	135. 183. 186
26. 27.	413
Hoſ. 2: 4-7.	183
4: 7.	174
6: 7.	151
11: 1.	34
Joël. 2: 13.	326
Amoſ. 1: 12.	38. 39
3: 6.	128
8: 10.	135
Obad. verſ. 16-18.	42
Mich. 4: 13.	183
5: 1.	281
7: 12.	149
Hagg. 2: 10.	281. 289
12.	146
Zach. 1: 3.	326
2: 9.	135
4: 7.	143
5: 3.	128
6: 13.	138. 179
9: 9.	281
11.	284
11: 8.	188
Mal. 2: 7.	121
Matth. 3: 2.	312
7. 10.	211
10-12.	395. 396
11. 12. 13.	312
17.	
4: 5-7.	304
5: 6.	395
17.	416
5: 20.	396
20-48.	162. 314
31. 32.	252. 316
33-37.	317
6: 1-5.	162
33.	396

Matth.

INDEX

Cap.	pag.
Matth. 9: 14.	395
11: 10.	313
13.	419
14.	417
12: 6.	314
34-37.	162
15: 1-9. 14.	162
16: 14.	275
17: 12.	417
19: 3-9.	252
20. 21.	352
21: 12.	314
26.	311
22: 5.	353
23-33.	393
23: tot	314
13-35.	162
15.	317
17-22.	ibid.
23.	163
26: 28.	314
55.	ibid.
Marc. 1: 2.	313
Luc. 1: 14-17. 76-79.	ibid.
17.	412. 417
76. 77.	419
2: 37.	395
3: 1. 2.	313
7-14.	311
21-23.	314
6: 21.	395
7: 22.	313
13: 1.	254
16: 14.	352
24: 32.	318
Joh. 1: 4-9.	396
6.	313
11. 13.	318
16.	396
19-34.	312
21.	275
33.	313
42.	318

Cap.	pag.
Joh. 2: 15. 16.	314
3: 25-36.	312
28.	313
5: 34.	396
35.	311
7: 24.	162
48. 49.	144. 163
8: 12.	396
9: 5.	ibid.
11: 47. 48.	250
12: 46.	396
19: 12. 15.	250
Actor. 2: 47.	397
4: 4.	ibid.
33.	297
36.	318
5: 17.	161
6: 1-7.	318. 397
8: 8.	397
9-11.	316
9: 31.	397
11: 21.	ibid.
13: 6.	316
45-48.	397
18: 6. 7.	ibid.
19: 9.	ibid.
13. 14.	310
21: 20.	319
22: 6. 9.	162
23: 8.	393
Rom. 2: 22.	354
4: 25.	396
9: 11.	37
16: 20.	398
1 Cor. 1: 30.	396
2 Cor. 4: 4. 6.	397
Eph. 4: 10.	ibid.
Phil. 3: 8.	134
Col. 1: 5-7.	397
Hebr. 3: 1.	314
5.	404
5: 8.	397
1 Petr. 5: 7.	208

IN-

Digitized by Google

I N D E X
V E R B O R U M
E T
R E R U M.

A.

ABlatio cultus ceremonialis unâ cum ordine Aharonico prædicitur. p. 135

Abominatio, ſeu res abominanda ſub adventu Chriſti objicitur Judæ & Iſraëli. p. 177

Abraham, pater gentis Judaicæ, ut omnium exemplum conſiderandus. p. 172. 173

Accipere faciem opus proſopolepſiæ. p. 152 objicitur Sacerdotibus, & quo jure? p. 153

Adulteri tempore Chriſti multiplicati, & quomodo? p. 302

Adventus Chriſti in carnem. p. 290 & ad muneris occupationem proximè à præconio prodromi futuram. p. 286 ſtante templo ſecundo. p. 288

Ædificari quinam dicantur? p. 364

Alæ ſolis vocantur ejus radii: & cujus rei ſint ſymbolum? p. 384

Altare quid? p. 71 menſa Dei. p. 74 obtegitur lachrymis. p. 193

Amatus à Deo dicitur Chriſtus. p. 179

Ambulare coram Deo. p. 361 & *cum Deo*. p. 142

Amor Dei quænam bona conferat? p. 31 nec tamen caſtigationes aut explorationes excludit. ibid. ſemen Abrahæ quomodo proſequatur? p. 35

Anathema, & *anathemate terram percutere* quid ſit? p. 413

Angeli legatorum nomine cur veniant? p. 1

Angelus Dei dicitur Meſſiæ prodromus, & foret non ex cœleſtium ſed hominum numero. p. 272 &c.

—— *Fœderis* eſt perſona divina, quæ audit Angelus aſſertor, Facies Dei &c. p. 282 Imò eſt ipſe Meſſias mediator fœderis. p. 283

Animam efflare, pro mori, ac

diçitur de Chriſto. p. 99
Annona caritas prædicitur inter maledictiones legis. p. 132
Aperire cancellos cœli, eſt pluviam demittere. p. 337
Apoſtaſia judaica eſt nota qualitatis temporis, quo Chriſtus veniret. p. 149
Apparitio Chriſti viſibilis prædicta. p. 292
Appropinquare quo ſenſu Deo tribuatur? p. 301
Argumentum libri Malachiæ eſt litem Dei cum populo allegatis criminibus exponere. p. 13 nec non fata electorum & reproborum. ibid. interveniente Chriſto cum ſuo Prodromo ad ſeparationem bonorum à malis, decertandam. p. 14
Atrati incedebant lugentes. p. 361
Attendere, quo ſenſu dicatur Deus? p. 366
Avaritia peccatum populi Judaici. p. 352
Auctoritas libri Malachiæ divina aſſeritur ex variis argumentis. p. 9-12
Audire, quo ſenſu Deo tribuatur? p. 366 pii dicuntur, qui verbum Dei admittunt. p. 127
Aurifaber metalla nobiliora à ſcoriis repurgat, fundit & ad nitorem lavat: quocum Chriſtus comparatur. p. 293-195

B.

B*enedictiones*, quid ſignificent? p. 129
Bonus eſſe in oculis alicujus dicitur, qui alteri gratus eſt. p. 267

C.

C*eremonialis cultus* ſine fide apud Deum cultus cenſetur ſtercoreus. p. 134
Chriſtus nominatur Sanctum Jehovæ: & quare? p. 178. 179
Cinis ſymbolum rei viliſſimæ, viribus & ornatu deſtitutæ. p. 389
Claudere portas templi quid inferat? p. 83. 84
Clibanus ardens inſtrumentum pœnæ gentium, quocum pœna à Judæis ſumenda comparatur. p. 376
Colere Deum, quid includat? p. 371
Conculcare hoſtes ſub pedibus phraſis metaphorica, undè deſumpta? p. 388
Conjugia cum gentibus ſeverè prohibita. p. 181
Conſervatio, conſumptionem filiorum Jacobi arcens, eſt gratia ſpiritus. p. 305
Conſternatio, quæ major gradus eſt timoris Dei, undè in piis ſacerdotibus nata fuerit? p. 140

Con-

Contemptus menſæ Dei, quâ in re conſiſtat? p. 75 *nominis Dei*, quid includat? p. 69
Converſio deviantium ad curam Sacerdotum & Levitarum pertinebat. p. 143 plagas avertit. p. 342 ac benedictones Dei ſecum habet connexas. p. 350
Convertere cor patrum ad filios, quid? p. 411 & *cor filiorum ad patres*, quid? p. 412
Cor, quid in phraſi *ponere ſuper cor?* p. 127
Corrumpere fructus terræ, qualis pœna? p. 341
Corruptio populi tempore Chriſti tribuitur Sacerdotibus auctoribus. p. 149. 150

D.

D*Are gloriam Deo*, quid? p. 126
Decimæ quid ſint? p. 331 quo jure introductæ? p. 344 &c. etiam obtinuerunt inter gentes. p. 346 &c.
Declinare advenam, quid notet? p. 303
Delaſſare Deum, quinam dicantur? p. 264 &c.
Delaſſationem in ferendo jugo Moſaico non agnoſcere crimini vertitur. p. 98
Delectari Chriſto Domino, quid? p. 285
Deus alienus ſeu peregrinus, qualis? p. 182
——— *Fœderis conjugalis* teſtis & vindex. p. 196. 198
Dies Jehovæ magnus & terribilis dicitur dies excidii reipublicæ Judaicæ. p. 410
Diſcedere à viâ deſcriptio eſt apoſtaſiæ. p. 148
Divortia damnata. p. 210 &c.

E.

E*Dom*, cur Eſavus dictus fuerit? p. 40
Efflare facere pro occidere. p. 99
Egreſſus proborum in Chriſtum credentium, cum evaſione periculorum Judæis rebellibus imminentium. p. 385
Electio, inter Jacobum & Eſavum diſcrimen faciens, non nativitatis fuit privilegium. p. 33. 36 nec omnium poſterorum Jacobi, ſed quorundam. p. 34
Elias falſò dicitur à Judæis angelus Fœderis. p. 282 cur Elias vocetur futurus Chriſti præcurſor? p. 408. 409
Epicuræi, ſpem omnem intra hujus vitæ cancellos includentes. p. 363
Eſavus, quis? p. 33 odium Dei ſuper Eſavum ad eum & poſteros ejus extendendum. p. 37
Exortus, ſoli juſtitiæ tributus, qualis? p. 382
Explorare Deum, in bonam & malam partem dicitur. p. 364

Exploratio gentis Judaicæ à Chriſto exſpectanda. p. 293
Exſecratio immittenda qualis? p. 128
Exſcindere notat exſtirpationis judicium. p. 186

F.

FAcies Dei audit Chriſtus mediator. p. 80. 81. 279
Faciem alicujus ſuſcipere, quid notet? p. 79
Felices quoad externam faciem non ſtatim dicendi Deo grati. p. 168
Filii Jacob in emphaſi dicuntur filii genuini verè credentes. p. 305
Filia Dei peregrini pro gente idololatricâ. p. 182 in uxorem ducta anſam dedit profanandi Chriſtum. p. 183. 184
Fœdus Dei deſcribitur. p. 137
Gratiæ eſt, cujus Legatus foret Chriſtus. p. 283
Conjugale jure jurando firmabatur. p. 195. 197
Corrumpere, ut vitium in filiis Levi notatum. p. 150
Fraudantes per injuſtitiam notati. p. 302

G.

GEntes adducendæ ad fidem euangelii. p. 87 occaſione refragationis Judæorum. p. 91 Vocatæ à jugo legis forent liberæ. ibid. diſcerent ex Judæorum ſupplicio nomen Dei vereri. p. 105
Germen Jehovæ audit filius Dei. p. 95 cujus *cibus* temerè contemptus. p. 95. 96
Gloria nominis Dei, quâ in re conſiſtat? p. 126
Gratia in Deo quid dicat? p. 82 quærenda in ſupplicationibus per fidem in Chriſtum. p. 81. 82
Gratioſum habere Deum, quid? p. 81

H.

HIeroſolymæ locus, in quo Iſraël crimen perfidiæ & abominandi ſceleris contraheret. p. 178
Honorare aliquem, quid includat? p. 64
Honor parentum, Dominorum & Dei deſcribuntur. p. 64. 65
Horeb, locus legiſlationis deſcriptus. p. 405
Hoſtium Chriſti ſubjectio ſub pedibus eccleſiæ Chriſtianæ prædicta. p. 388. 389

I.

JAcobi dilectio ex electione derivata. p. 34
Idumæa terra montoſa. p. 37. 38 Seïr dicta, cujus ſitus indicatur. p. 38 ejuſdem vaſtatio. ibid.

Digitized by Google

ibid. & deſpoliatio. p. 41
Idumæorum reædificata denuò deſtruenda. p. 42 ad ſtuporem gentium. p. 43
Jehovah nomen Dei, ejuſque uſus. p. 32
Immutabilitas Dei aſſerta, & pro fundamento conſervationis populi electi poſita. p. 304 &c.
Impingere in lege quid ſit? p. 149
Improbitatem facere quinam dicantur? p. 364
Incendere altare, quid includat? p. 84
Incenſum ſpirituale N. Teſt. quid? p. 88
Increpare creaturas, quomodò dicatur Deus? p. 131
Infinitiva nominaſcunt. p. 193
Inflammatio nec radicem nec ramum relinquens, quo uſque pergat? p. 377
Iſraël, poſt reductionem populi in terram. p. 177
Judæi ut peculiaris creatio Dei ſpectati. p. 173
Judicia, quid ſint? p. 406
Judicium excidii tam Judæorum, quam Idumæorum, gentes moveret ad fidem. p. 46

L.

Lachrymæ matronarum per Polygamiam aut divortia oppreſſarum Deo curæ ſunt. p. 192
Legatus fæderis titulus eſt Chriſti. p. 283
Levitæ etiam fuerunt Doctores. p. 120. 157 &c. à Chriſto ſeparandi à malis. p. 297 & ad munus ſacrificiorum ſpiritualium applicandi. p. 298
Lex Moſis toti Iſraëli data, in normam fidei & morum. p. 404 requirenda ab ore Pontificis. p. 145
Veritatis cur dicatur. p. 140. 141 ejus ſcientia unà cum ejus conſervatione requiſita in & à ſacerdote. p. 144
Liber Malachiæ circa Artaxerxis Longimani tempora editus. p. 8. lectus ſub regno Antiochi Epiphanis. p. 9
Memorialis, quo ſenſu Deo tribuatur. p. 367

M.

Magi inter Judæos tempore Chriſti multiplicati. p. 302
Magnificare Jehovam: quid? p. 45
Magnum facere nomen Dei. p. 87
Maledictus, quis? p. 103
Maledictio, Sacerdotibus interminata, juſtificatur. p. 110. 111
Maledictiones legis poſt ſpretum euangelium Judæos invaſerunt. p. 332
Maleachi, nomen ne appellativum an proprium? p. 2. Undè acceptum. p. 3. In ſignificati-

ficatione angeli an legati? p. 3. 4. Quis fuerit, angelus an homo? p. 5. alius ab Eſrâ aut Mardochæo. p. 6. ejus proſopographia. p. 7

Manus impura, ut commaculent ſacra? p. 194

Matrimonii definitio. p. 195

Medica ſanandi vis in radiis ſolaribus. p. 384

Medicina ſpiritualis indicata in ſole juſtitiæ. p. 384. 385

Menſa Dei vocatur altare. p. 74. 75

Meſſias foret templi Dominus. p. 287 occidendus â Sacerdotibus. p. 101 ob doctrinam de lege delaſſante. ibid. Ben Ephraim figmentum Judæorum. p. 273. 274

Moſes quis fuerit? *ſervus Dei*, & miniſter legiſlationis, obſervandus. p. 404

Munus offerre in juſtitiâ eſt miniſterii N. T. p. 298. N. T. vocatur *munus purum.* p. 89

N.

Nomen Dei, quid notet in ſacris? p. 68. 368

Verendum dicitur. p. 105 & *reputandum.* p. 368

O.

Bſervare ephemeriam quid? p. 361 quique id fine emolumento fieri ait dura in Deum loquitur. ibid.

Odium Dei deſcribitur. p. 37

Offerre munus in juſtitiâ quid ſit? p. 298

P.

Palea, ignis pabulum, ſymbolum Judæorum puniendorum. p. 376

Panis pro omni cibo & ſacrificio. p. 71

Impurus, quid notet apud Prophetam. p. 72

Parcere filiis amoris paterni effectus, quod etiam Deo ut patri tribuitur. p. 371

Pater dicitur Deus. p. 65

Paucitas eorum, qui explorationem Chriſti ſuſtinere poſſent. p. 292. 293

Pax, bonum fœderis gratiæ, quid includat? p. 138

Peculium Dei, quo ſenſu dicatur populus Dei. p. 370 & Deus peculium ſibi facere dicatur. ibid.

Perfidia crimen Judæis ſub finem reipublicæ objectum. p. 177

Perjuri, quinam? peccatum Judæorum ſub adventum Chriſti. p. 302

Polygamia peccatum perfidiæ contra primam uxorem. p. 195 Deſcribitur. p. 201 & damnatur ex lege primæ creationis. p. 202 nec non ex naturali. p. 224. 243

Præceptum definitur. p. 125
Primitiæ deſcribuntur. p. 331
Probare Deum in malam & bonam partem. p. 336
Prodromus, Chriſto viam paraturus, promittitur ut legatus à Deo mittendus. p. 272-276
Profanare fœdus Dei quid? p. 176
Chriſtum, ut ſanctum Jehovæ ex Judæ perfidiâ derivatur. p. 180 ac imputatur ſacerdotibus. p. 181
Providentia Dei etiam mala triſtia infligit. p. 38. 39

Q.

Quærere Chriſtum *Dominum*, quid? p. 285
Qualitas temporis adventus Chriſti corruptio populi, ſeparationem poſtulans. p. 22

R.

Recedere à ſtatutis Dei, quid? p. 324
Recordari legis, quale ſit officium? p. 407
Repurgatio populi corrupti per ſeparationem bonorum à malis opus Chriſti. p. 293-295
Reverti ad Deum eſt opus converſionis & ſtipulatio fœderis gratiæ. p. 325 &c.
Ad populum tribuitur Deo gratioſo. p. 326
Rex magnus cur Deus dicatur. p. 104. 105

S.

Sacerdotes V. Teſt. internuncii ſeu legati Dei. p. 146 quod œconomiæ V. Teſt. proprium fuit. p. 147. Eorum munus. p. 59. 68. 69. 71. 73. 74. 80 illis etiam cura doctrinæ Orthodoxæ incubuit. p. 126 Eorum corruptio ſub finem reipublicæ. p. 59 undè audiunt contemptores nominis Dei. p. 68
Sacrificia, ob quæ vitia removerentur ab altari? p. 76 Sine fide oblata Dei gloriæ detrahunt & nomen ejus profanant. p. 106-110. Ea non reſpexiſſe tempore Chriſti dicitur Deus. p. 193. 194. Aliquandò inſtar oblationis rei impuræ & defectuoſæ erant rejicienda. p. 101. 102. Eorum abolitio prædicta & juſtificata. p. 84-86 Spiritualia N. T. nulli loco adſtricta. p. 90
Sacrilegium crimen eſt naturâ etiam gentibus deteſtatum. p. 329 commiſſum in fraudatione decimarum & primitiarum. p. 353 ejus pœna ex jure naturæ juſtificata. p. 248 &c.
Sanctum Iehovæ, quam latè ſignificet, & quomodò Chriſtum primariò deſcribat? p. 178. 179
Sanitas ſpiritualis à Sole juſtitiæ derivata. p. 384. 385

Scena

Digitized by Google

Scena viſionis repræſentat populum in corruptione ultimi temporis reipublicæ, quæ adventum Chriſti cum ſuo prodromo ad repurgationem, ne boni cum malis pereant, poſtulabat. p. 14-21.

Scientia legis requiſita in Sacerdote. p. 144

Scopus libri Malachiæ eſt electos de qualitate temporis adventus Chriſti erudire, ut tempus ſuæ viſitationis oportunè dignoſcant, reprobos contra reddere ἀναπολογήτους p. 23. 24

Sedere pro ſedulò operi vacare. p. 296

Semen Dei dicitur proles ſancta. p. 205 quærere autem ſemen Dei quid includat? & quomodo polygamiam excludat? p. 207

Servire Deo in vanum ſermo eſt improborum. p. 360

Socia viri eleganter dicitur uxor. p. 197

Sol Symbolum Chriſti. p. 378. 379 & cur ille Sol juſtitiæ dicatur? p. 380 &c.

Solis ab ortu uſque ad occaſum ejus phraſis elegans, amplitudinem rei per orbem notans. p. 88

Spiritus pro interiori mentis affectu. p. 209

Sanctus Jehovah dicitur. p. 303 & ut creator hominum celebratur. p. 204

Spoliare Deum crimen ſacrilegii. p. 328

Statuta quænam dicantur? p. 406

Stercus in faciem ſpargere qualis ſit metaphora? p. 132

Suavitas muneris reſpectu Dei, quid ſit? p. 298

Synedrium magnum olim ex trium hominum ordinibus compoſitum. p. 189 judicio divino tollendum in communi reipublicæ excidio prædicitur. ibid.

T.

Tentoria Iacobi, quænam? p. 189

Terra Canaän, quomodò ad benedictiones Abrahami pertinuerit. p. 35. Anathemate percutienda. p. 413. Manſiſſet terra voluptatis, ſi gens Judaica ſe convertiſſet ad Chriſtum, & erit talis cum ultimâ Judæorum converſione. p. 343

Teſtis eſt Deus æque ac Judex: & quidem velox. p. 301

Timor Dei. p. 67. 365 & *nominis Dei*, fidem includit. p. 383 finis gratiæ & fœderis gratiæ. p. 139

V.

Veſtimenti duplex genus exterius & interius p. 214 Metaphoricè quid? p. 214. 215

Via quid notet in metaphorâ. p. 148
Via Dei, quid ſint? p. 152
Viam Chriſto præparare. p. 277. 278
Vigil, quis dicatur in populo? p. 187. 188
Vita, ut bonum fœderis conſiderata, quid includat? p. 138
Vitis agri, qualis? p. 341. potum ſuppeditat. p. 341
Vituli ſaginarii Symbolum excreſcentium fidelium in cognitione & gratiâ. p. 386
Vocatio gentium ſuppoſita. p. 342
Vota, quandò locum habeant? p. 104
Vulpium ſpecies Jaccales. p. 39
Uxor juventutis pro uxore primâ. p. 196

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS.

A.

ANtipater, Herodis magni parens, à Romanis Judææ Procurator præpoſitus. p. 52. 53

Archelaus, quos habuerit in regni ſucceſſione opponentes. p. 246-248

Aretas, Rex Arabum, graviorem ditioni Herodis cladem intulit. p. 351

Athrongæus ſe Romanis & Herodis domui ex æquo opponens regium aſſumpſit titulum. p. 247

C.

CHriſtiani ex Judæis credentes perviciacium ſupplicio exempti. p. 396-398

Cultus purus obſervatus inter gentes. p. 116

D.

DIvortia inter Judæos ſub adventum Chriſti frequentiora. p. 252

E.

ELeazarus diu rempublicam vexavit latrociniis. p. 351

Exciduum illatum à Zelotis & Idumæis nobiles, Pontifices & optimates ſuſtulit, unà cum Synedrio magno. p. 255. 256 à Romanis illatum totam terram vaſtavit. p. 398. Idumæos extirpavit. ibid. Titus agnovit illud ex irâ Dei profectum. p. 57. Undè conſecuta hæreditatis mutatio, & gentium ad Chriſtum converſio. p. 57. 58

F.

FAmes immiſſa Judææ ſub Herode & Claudio. p. 164. 351

G.

GEntes adducendæ ad fidem. p. 87. cum idolorum rejectione nomen Dei coluerunt. p. 115. occaſione rejectionis Judæorum vocatæ. p. 91. ac Judæorum loco in regno Chriſti

ſti ſubſtitutæ. p. 118

Gentiles Conſtantini operâ Chriſtianorum pedibus *ſubjecti.* p. 399

H.

H*Æreſes Sadducæorum, Phariſæorum & Eſſenorum* ſub Aſſamonæis totam ferè gentem Judaicam occupaſſe, ac fidem corrupiſſe. p. 161

Herodiani, quomodò religionem corruperint? p. 53

Herodes magnus, Idumææ gentis homo ad regiam dignitatem à Romanis evectus p. 53. Chriſtum in infanticidio tollere conatus fuit. ibid. peregrinis ſtudiis religionem corrupit. p. 54. ac ſpem reſtaurandi populum Idumæorum Idumæis fecit. ibid.

I.

I*Dumæa* ſub Romanorum imperio pluries vaſtata. p. 55-57

Idumæi cum elatione Antipatris & Herodis loca multa in montanis Hebronis excoluerunt. p. 394

Jeſus à Johanne Baptiſtâ declaratus Dominus. p. 314. egit Dominum templi & in eo Levitarum conflatorem & Johanne ſuperſtite munus ſuum auſpicatus eſt. ibid. Venit juſto tempore ſtante templo ſecundo ſub Romanis. p. 315. Corruptâ Judæorum gente. p. 316. 317. A Judæorum primoribus & populo, ut homo impurus rejectus, damnatus, & in crucem actus fuit. p. 254. 255

Johannes Baptiſta munus præcurſoris Chriſti adimplevit. p. 309 &c. ejus doctrina. p. 312. & divina miſſio. p. 313. ipſe fuit Elias promiſſus. p. 417 &c.

Judas Galilæus auctor novæ ſectæ. p. 248.

Judæa Syriæ contributa rogantibus id nobilibus. p. 246. & poſt impetrantibus. p. 247. cui alii multi contradicunt. p. 248.

Judæi alii ſub adventum Chriſti eum quærebant eoque delectabantur: alii longè plures eum rejiciebant. p. 318. Maxima eorum pars converſionem negavit. p. 419. Infideles ſeparati & puniti. p. 319. ac non ſolum omni poteſtate ſunt exuti, verum & Chriſtianorum pedibus ſubjecti. p. 399

Jupiter Capitolinus Romanis ut Pater & Tutelaris gentis celebratus. p. 251

L.

L*Ex Moſaica* non ſoluta ſed impleta à Chriſto. p. 416

Latitudo praconii euangelici inter gentes fuit ampliſſima p. 116
Levitarum quidam ad fidem euangelii adducti. p. 318.
Libertas à jugo Moſaico cum gentium converſione introducta. p. 117. 118

M.

Mores Sadducaorum & Phariʒaorum corruptiſſimi. p. 162
Mors Chriſti à Sacerdotibus exacta. p. 114

O.

Ordo Sacerdotum & Levitarum ſublatus cum templo & cultu Levitico. p. 164. 165
Oppreſſio populi Judaici à Romanis lata. p. 163. 164

P.

Phariʒai, quomodò ab orthodoxâ fide receſſerint? p. 53
Pilatus procurator Judææ, ejuſque adminiſtratio gravior & iniquior. p. 254
Polygamia legibus Judæorum admiſſa. p. 252
Pontifices ab Herodes magni tempore in contemptum incidiſſe oſtenditur. p. 163
Populi corruptio in fide & moribus imputata Doctorum ſeductioni. p. 162
Procuratores Romani Judæis poſt Archelai relegationem præfecti. p. 247. & quam malè ab iis fuerint excepti. p. 253 &c.
Proſopolepſia vitium cum fori Judaici, tum cathedræ Doctorum ſub adventum Chriſti. p. 162. 163

Q.

Ques N. Teſt. prædicata à Chriſto. p. 113. rejecta à Judæis cum perſecutione offerentis. ibid.
Quirini deſcriptio ægrè à multis Judæorum admiſſa. p. 247

R.

Reliquiæ fidelium ſub adventum Chriſti quænam? p. 112. 113. lugentes. ibid. quæ à contribulibus ſpretæ & contemptæ fuerunt. ibid.
Romani Judæos, id poſtulantes, in ſuam clientelam recipiunt. p. 246. poſtquam fama de nato Chriſto inter Judæos exierat. p. 249. quæ res Judæis cauſa fuit rejiciendi regnum Chriſti, & eum occidendi. p. 250

Digitized by Google

S.

SAcerdotes quoad maximam partem ſub adventum Chriſti homines peſſimi, ſacrificium Chriſti ejuſque vim ignorantes. p. 111. 112. à munere rejecti & maledicti. p. 114

Sadducæi, quomodò ab orthodoxiâ deſciverint? p. 53. ſpem reſurrectionis ac vitæ æternæ negabant. p. 393. Multa mala, in quæ alii inciderunt, evaſêre. p. 395. Hæreſi ſuâ Pontifices & Magnates contaminarunt, & Epicuræiſmum introduxerunt. p. 394

Status reipublicæ Judaicæ ſub adventum Chriſti multis modis afflictus. p. 351

Simon Herodis ſervus in Peræâ ſibi regiam poteſtatem aſſumſit. p. 248

Synedrium magnum à Zelotis & Idumæis exciſum, ac ſtatim cum republicâ ablatum. p. 256

T.

TErra Sancta anathemate percuſſa fuit, quandò Romanorum armis vaſtata eſt. p. 419. 420.

V.

VAlerius Gratus Pontifices varios exauctorando contemptim habuit. p. 253.

FINIS.

Digitized by Google

Corrigenda lege.

Pag. 6. lin. 2. diſtinctus. p. 8. l. 10. Artaxerxem. p. 11. l. 25. glorificando. p. 31. l. 16. ſimilis p. 40. l. ult. primogenituræ. p. 63. l. 21. Jehovah. p. 64. l. 16. Phocylidis. p. 68. l. 18. contra. p. 74. l. 24. familiariter. p. 87. l. 20. conciliarent. p. 108. l. 27. meditationi. p. 109. l. 5. ſacerdotes. p. 112. l. 31. ὕψει. p. 115. l. 2. dereliquit. p. 126. l. 4. exiſtimamus. p. 138. l. 16. ברית. p. 173. l. 5. filios. p. 179. l. 3. Exod. 23: 20. p. 187. l. ult. nunquam. p. 190. l. 2. terra. p. 227. l. 19. occurrat. p. 231. l. 24. ſequatur. p. 233. l. 5. ſubintroducta. p. 237. l. 9. prohibeat. l. 10. ſimpliciter. p. 238. l. 4. enim. p. 245. l. 3. prout. p. 247. l. 14. Joſephus. p. 249. l. 24. ἀντονομασίαν. p. 274. lin. 17. *dele.* fiat. p. 277. l. 7. Galilæam. p. 277. l. 32. *dele.* ex multorum animis. p. 303. l. 8. metaphoram p. 321. l. 28. videretur. p. 377. l. 30. cohærentem.

Vermaeningh aen de Boeck-binders.

Het volgende vers moet afgeſneden en achter de Voor-reden geplaeſt werden.

SALO-

SALOMONIS van TIL

THEOL. DORDRAC.

DISSERTATIO

SINGULARIS

GEOGRAPHICO-THEOLOGICA

DE SITU

PARADISI TERRESTRIS;

Quâ, quæ nuper de hoc

NOBILISSIMO ARGUMENTO

Protulerunt Viri Doctiſſ. placidè diſcutiuntur;
ſententia Steuchi Eugubini de horto Dei in
Meſopotamiâ inveniendo accurratius
definitur, ac novis argumentis
aſſeritur.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM.

E*cce animi, in otio negotioſo excurſum facientis, fœtum, quem promiſeram:* diſſertationem *puta,* Geographico-Theologicam, de ſitu *PARADISI* terreſtris, *à nobis elucubratam: in quâ fortè nos acta egiſſe, & ſupervacaneum laborem, jam antè à Doctioribus occupatum magno cum horarum diſpendio, impendiſſe objicies B. L.*

Sententia, quam defendimus fateor eſt Steuchi Eugubini, à pluribus Theologis poſtmodum ſuſcepta, ita ut ferè communis *dici mereatur: ſed ab aliis viris Clariſſimis nuper ita deſerta & rejecta ut ferè obliteratam exiſtimes: receſſerant enim ab eâ viri Celeberrimi* Heideggerus, Bochartus, Huetius, Clericus, *aliique, in terrâ Canaän, aut Parapotamiâ ſive ſuperiori, ſive inferiori, aut Syriâ beatum iſtum hortum collocantes. Acceſſit etiam* T. Burnetus, *in novâ ſuâ Telluris theoriâ, qui eundem in auſtrali orbis hemiſphærio fuiſſe conditum pluribus tueri conatur.*

Hiſce fluctibus dum impellebatur orbis literatus, digna videbatur nobis materia, ut denuò ſub examen revocetur: numque viri maximi ſatis graves ob cauſas ſententiam, ferè receptam, ex poſtliminio reliquerint. Controverſiam hanc feliciter decidi non poſſe ſine accuratâ terrarum, quæ Euphratem ac Tigrin reſpiciunt, cognitione, fluviorumque examine, agnoſcent nobiſcum, qui notiones perpendunt, hanc controverſiam ingredientes: quarè duobus libris prioribus Geographiam & Potamo-graphiam Orientis, a multis erroribus caſtigatas præmiſimus: ac tertio varias de

Digitized by Google

ſitu Paradiſi terreſtris ſententias diſcuſſimus; ut tandem evinceremus in ipſâ Meſopotamiâ remanendum, ſi cui volupe ſit characteres Moſaicos retinere, ac limites à viro Dei poſitos non tranſilire.

Invenies ergò B. L. in noſtris lucubrationibus lætiſſimam illam regionem accuratiùs, quàm hactenùs à quoquam factum fuerat, in Meſopotamiâ indicatam, noviſque inter alia argumentis aſſertam. Piſchon *(fluvius Havilæorum) de quo non memini quemquam aliquid certi protuliſſe, hìc prodit, demonſtratus, & ad eam evidentiam ex tenebris erutus, ut nemo, quoad rei certitudinem, plus deſiderare queat: juſto enim loco antiquam nominis conſervationem exhibuimus non ſolùm, ſed etiam veſtigia, in Paſarum gente, Paſotigri & Paſino, regionis parte, conſpicua.* Gihon, *Cuſchitarum amnis, tantâ probabilitate conſpicitur applicatus, & à priori diſtinctus, ut rei convenientia videatur aſſenſum extorquere: nec tamen ſcio quenquam ante nos de iſtâ applicatione quicquam monuiſſe aut cogitaſſe. De aquarum, ab horti irrigatione ad quatuor flumina pergentium, juſtâ cum aliis commixtione & progreſſu mota dubitatio, ac ſi inconceptibilis foret, eum in modum ſublata proponitur, ut quilibet facilè percipiat, nihil alieni à terræ ſpacio aut ſitu à nobis poſtulari: omniaque cum ſimplicitate Hiſtoriæ Moſaicæ ad amuſſim conſentire.*

In luſtrandis regionibus, quas deſcripſimus, cùm Veteres tum novos primæ fidei ſcriptores adduximus: præprimis AMMIANUM MARCELLINUM, qui expeditioni in Orientem, à Juliano ſuſceptæ, ipſe interfuit, & Euphratis oras ſuis inſpexit oculis: ex quo nobis variarum urbium ſitus cum in Parapotamiâ, tum in Meſopotamiâ diſtinctus innotuit. Hinc multos in mappis vulgaribus ſeu tabulis Geographicis commiſſos errores

Digitized by Google

rores ſuſtulimus: præprimis eorum, qui tabulas ad Ptolomæi mentem fingentes, Euphratem neſcio quâ inflexurâ in Arabiam excurrentem & indè redeuntem pingunt, ut locorum latitudini conſulant: non attendentes varias Euphratis emiſſiones (nomen fluvii Euphratis retinentes) Arabiam ingredi, & in eâ perire, aut paludes Arabum ſubintrare.

Error, nobis ante omnes caſtigandus occurrebat, quo Viri Docti occupati, amnem Paradiſi confluentem Tigris & Euphratis interpretantur: atque Delam pro antiquo Euphratis alveo aſſumunt. Hæc hallucinatio indè nata eſt, quod Naär-Malca *(ſeu Euphratis continuatio) à Maſſice uſque ad Seleuciam excurrens, ibi cum Tigri confluentem faciat, & Delas cum Tigri infra Apameam. Hoc, licet à multo tempore ſe eum in modum habuerit, non tamen ſine magnâ Doctorum inconſiderantiâ ad antiquiſſima trahi tempora obſervamus; quoniam totus ille amnis* Naär-Malca *ante Nebucadnezaris ætatem in rerum naturâ non fuit: quo amne ex tabulis Geographiæ antiquæ ſublato, patet antiquioribus ſeculis Euphratem cum Tigri nullibi confluentem feciſſe.*

Vix ullus etiam ante nos percepit Fluvium Edenis *longè alium eſſe apud Moſen à quatuor infrà nominatis, aquas ex horto derivatas recipientibus; cujus diſtinctionis neglectus magnas Interpretibus peperit difficultates: cum tamen aquas recipientes quatuor ab uno emittente, toto genere & uſu differant.*

Cl. Bochartum *p. m. Virum licet incomparabilem, in hoc noſtro tractatu pluriès deſerere coacti ſumus: quod tamen præter rationem à nobis non fuiſſe factum judicabunt, qui æquâ lance rationum pondera expendent. Sagax fuit vir maximus in conjecturis ſuis circa diſperſionem gentium, attamen non infallibilis, nec in omnibus æque ſolidus;*

Digitized by Google

Edus; quod ante me ſuis caſtigationibus etiam indicarunt Viri Doctiſſimi.

Interim placida eſt noſtra diſceptatio; quippe quæ circa problema verſatur, in cujus argumento nullum eſt fidei periculum. Nec rixas amamus animos diſſentientium exacerbantes. Aliquandò bonus dormitat Homerus, ut nemo omnibus horis ſapiat. Etiam doctiſſimi quotidiè addiſcunt, & ſua corrigunt, fraternèque moniti ſua corrigi ſalvâ amicitiâ & æquo animo patiuntur.

Si noſtra aſſenſum non referant, gratum erit nobis errorum noſtrorum videre correctiones; quippe qui ex amore veritatis in veritatem inquirimus, eamque detectam cum gaudio amplectimur.

Monent me Lipſienſes Viri Clariſſimi & diligentiſſimi in actis Eruditorum menſe Decembri Anni MDCC. *eandem ferè ſententiam, quam de anno, menſe & præter propter die nati Chriſti ante annum cum erudito orbe communicavi, ſimilibus ferè argumentis defendiſſe ante annos* XX Michaëlem Seneſcallum Jeſuitam *in libro Leodii Anno* 1670. *edito, cui titulus* Trias Evangelica. *Si hujus viri opus vidiſſem, aut vel fando de ejus laboribus aliquid audiviſſem, quos ne in hunc uſque diem mihi comparare potui, facilè mihi in animum inducere potuiſſem mearum lucubrationum ſuppreſſionem: quippe cui non deſunt alia argumenta expolienda & publicanda. Nunc contentus ſum me ſine præeunte auctore in ſacris literis vidiſſe, quæ ipſa dictorum Sp. S. ſimplicitas etiam aliis videnda ſponte obtulit: quæque hiſtoriam Evangelicam à criminatione ſupinitatis & contradictionis ſolidè liberare queant.*

Nec diſſimulare poſſum, mihi gratiſſimum fuiſſe amici monitum; qui τὸ ἐναντιοφανὲς, *quod inter Matthæum & Lucam intercedit, & non niſi ex meo principio ſolvi*

poſſe

Digitized by Google

poſſe aſſeveraverам, aliter ſolvi à viris doctiſſimis indicabat; modo teſtimonium Lucæ cap. 2. 39. non intelligamus immediatum dicere nexum inter abſoluta purificationis ſacra, & reductionem pueruli in Galilæam: fieri enim potuiſſe, ut hiſtoria fugæ in Ægyptum interceſſerit, quam Matthæus refert, & Lucas planè omiſit: ſufficere, quod Lucas *nos doceat Joſephum cum matre & puerulo non rediſſe ad ſua, ante dies purificationis adimpletos.*

Victas darem manus circa hanc ſolutionem, niſi plurima me cohiberent: 1. *Toto capite demonſtravi, profectionem illam ad ſacra purificationis non poſſe interponi inter Magorum reditum & fugam Joſephi cum matre & puero in Ægyptum: quæ demonſtratio hanc evaſionem eluderet; & ſaltem illud factum ab hoc interſtitio excludit.* 2. *Neque etiamnum video, ſi ſcriptorem ejuſque phraſim perpendamus, textum pati tale temporis interſtitium, quale hic viri docti poſtulant; ſcribit enim Evangeliſta,* Luc. 2: 39. Καὶ ὡς ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ κατὰ τὸν νόμον κυρίου, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρέθ. *Quandò* Lucam *reſpicio, notari velim in annotatione temporum neminem Evangeliſtarum hoc noſtro fuiſſe accuratiorem, convenienter conſilio ſuo, quod exponit* Luc. 1: 3. *undè in temporum definitione præſtantiorem collocat induſtriam.* Luc. 1: 5. 24. 36. 56. 59. 2: 1—4. 21. 22. 42. 3: 1. 23. 6: 1. 23: 44. *Phraſis ipſa excludit omnis alterius ſtudii interpoſitionem, & actionum connexarum deſcriptionem poſtulat: quotieſcunque enim particula* ὡς *temporalem ſignificationem induit, proximas actiones interſe non ſine comparatione componit, ſicuti etiam conjunctio Latinorum* ut. *Hinc Lexicographi per voculam* poſtquam *non ſolùm, ſed etiam* ſimul ac *aut* quamprimum *vertunt, ut actio ſequens ſubnexa includat id, quod* ſtatim

tim *ſecutum eſt. Hæc ratio eſt, cur, qui Herodianum tranſtulit ubi* ὡς *eſt in textu, voculam* ſtatim, *licet non inveniatur in contextu, ſuppleat in verſione, phraſi id poſtulante, agnoſcens iſtam voculam poteſtati conjunctionis includi.* Lucas, *qui ferè ſolus eâ phraſi utitur, & ſæpius cùm in Evangelio tum in actis, ut patet ex concordantiis, nunquam eam adhibet niſi eo ſenſu, qui immediatam actionum conjunctarum conſecutionem poſtulet. Confer ex capite præcedente* ỳ. 23. 41. 44. *& hoc ipſo capite* ỳ. 15.

Addo phraſin: quod verbum ὑπέστρεψαν *includat mutationem loci cum connotatione utriuſque termini à quo & ad quem: abſolutis ſacris dicuntur verbo* revertendi *ita abiiſſe ab urbe ſanctâ, ut idem abitus ex urbe fuerit aditus in urbem* Nazareth, *in cujus reditus gratiam diſceſſus à civitate Dei inſtituebatur. Jam ſi demùm (ut* Matthæus *auctor eſt) à reditu ex Ægypto infans tranſlatus eſt in Galilæam, educandus in civitate Nazareth: atque eadem tranſlatio ſtatim (teſte Lucâ) facta fuit à Sacris puerperii ſolutis. Verum quoquè erit; ſacra puerperii poſt reditum ex Ægypto, inter regrediendum, fuiſſe celebrata, Herode jam jam mortuo, quod nobis erat demonſtrandum, & ſimul à nobis principii loco fuit aſſumptum: ex quo eruere tentavimus, quantum temporis dies D. natalis diem Herodis emortualem anticipaverit?*

Si quid habeant amici, ſupra hoc argumentum quod aut me convincere, aut mihi ulteriorem anſam præbere poſſit dubia quædam tollendi; id amicâ collatione epiſtolicâ fortè abſolvi poterit. Nos nunc manum de tabulâ.

TRACT.

Digitized by Google

TRACTATUS DE SITU PARADISI TERRESTRIS.

LIBER I.

Geographicus, regiones & terras, quas Tigris & Euphrates attingunt & includunt, deſcribens.

CAPUT I.

Meſopotamiæ deſcriptio.

§. 1. TErrarum, quæ ad diligentiorem PARADISI diſcuſſionem luſtrandæ ſunt, prima & potiſſima eſt *Meſopotamia*; regio cognitu admodum neceſſaria; quippe Euphratis Tigriſque incluſa alveis, ac proin eo charactere inſignita, qui ad eruendum PARADISI ſitum requiritur: exigit enim utriuſque

A fluvii

Digitized by Google

fluvii in Moſaicâ Paradiſi deſcriptione commemoratio, ut hortus ille beatus etiam inter utrumque intercipiatur, ac juxta utriuſque alveum ſeſe quodammodò porrigat; ac proindè aut in Meſopotamiâ aut in Parapotamiâ inveniatur. Juſto igitur titulo geographica noſtra terrarum deſcriptio, quæ ad hanc controverſiam decidendam luſtrandæ ſunt, à Meſopotamiâ incipit.

§. 2. Vox *Meſopotamia* græca eſt, quaſi dicas ΜΕΣΗ ΤΩΝ ΠΟΤΑΜΩΝ: *media inter fluvios:* notiſſimum enim eſt eam regionem in ſe comprehendere quicquid terrarum ſeſe à Niphate (Curdorum monte) Euphratis inter Tigriſque alveos longè lateque diffundit. *Niphates* mons, ſupra quem *Armenia* cernitur, illi terminus borealis eſt: *Parapotamiam* habet ab auſtro; *Syriam euphratenſem* ab occidente; *Aſſyriam* ab Oriente. *Euphrates*, ubi ad Samoſatas incipit, ad ſolitudines Palmyrenas excurrens eam à *Syriâ*; ubi verò curſu indè inflexo ad Seleuciam pergit eandem à *Parapotamiâ* disjungit. *Tigris* vero, ex *Armeniâ* prodiens, atque orientale ejus latus claudens, uſque dum *Seleuciam* præterlabitur, *Meſopotamiam* inter & *Aſſyriam* diviſionem facit. *Longitudo terræ* nobis intercipitur inter XXXIII & XXXIX gradum latitudinis borealis, quæ à *Seleuciâ & Maſſice* ſeſe uſque ad Curdorum montes porrigit. *Latitudo terræ* juxta radices montis *Niphatis* maxima eſt: apud *Strabonem* definitur 2400 ſtadiis, quæ 300 MP. conficiunt: minima, quæ cernitur inter *Maſſicem & Seleuciam* 200 ſtadiorum, ſeu 25 MP. Inflexio enim *Euphratis*, à lineâ meridionali in orientem perpetuò plus minus inclinantis, eam terræ ad terminum auſtralem contractionem efficit. Hinc longiorem facit *Euphrates* ſuis inflectionibus excurſionem: *Eratoſthenes* enim apud *Strabonem* diſtantias ita definit, ut *à pon-*

à ponte juxta Comagenam, qui Zeugma dicitur, *uſque ad Thapſacum* numeret 2000 ſtadia: *à Thapſaco verò uſque ad Babylonem* 4800: ut utraque diſtantia ſimul ſumpta differentiam faciat 6800 ſtadiorum, qui 850 MP. conficiunt, inter *Zeugma* & *Babylonem* agnoſcendam.

§. 3. *Meſopotamia* hæc nobis olim occupata videtur, partim ab *Aſſyriis*, partim à *Chaldæis*, partim ab *Aramæis*, qui etiam *Syri* audiunt. A quo *Noachus*, arcâ egreſſus, in terrâ *Ararat* conſedit, putem eum gratiſſimas Armeniæ incoluiſſe regiones primùm; cumque ſenſim multiplicaretur ejus poſteritas, fieri non potuit, ut *Meſopotamiam* negligerent, *Armeniæ* adeo vicinam. *Aram* itaque *Semita* ad utramque Euphratis oram conſedit, & colonias pedetentim in Meſopotamiam & Syriam extendit: undè illa pars Meſopotamiæ æquè ac Syria olim Aram dicta fuit, & ad diſtinctionem à Syriâ faciendam *Aram Naharaim*: vide *Gen.* 24:10. *Jud.* 3:8. 1 *Chron.* 19:6. *Aſſur*, frater iſtius *Aram*, nomen ſuum Aſſyriæ impoſuit, ut videatur utramque *Tigris* ripam occupaſſe, ubi terra fertilitatem ſpondebat, ſaltem ſupra *Ninivem*, antiquiſſimam *Aſſyriæ* metropolin. *Regio* inferior, Parapotamiæ proxima, à *Chaldæis* culta videtur, atque etiam hodiè *Iraciæ Arabum* annumeratur; quam à Scenitis poſſideri tradunt itineraria. Hanc partem, ut minus cultam & cognitam ferè negligunt veteres: atque de duabus prioribus ſolum agunt hiſtorici; præſertim à quo *Alexander* eas cum exercitu trajecit, & poſt modum ſedes ferè belli Romanos inter & Parthos fuit: qui aliquandò eam ita inter ſe diviſerunt, ut quæ ad Tigrin vergebat eſſet Parthorum; quæ verſus Euphratem Romanorum. Illa aliquandò nomen *Meſopotamiæ* per excellentiam retinuit; hæc *Oſrhoene* dicta fuit: quando *Amida* Metropolis Meſopotamiæ,

Digitized by Google

Edeſſa vero Metropolis Oſrhoenes dicebatur. *F. H. Noris* diſſ. 2. de æra Syro Mac. obſervat poſt Conſtantium Auguſtum Oſrhoenam à Meſopotamiâ incepiſſe diſtingui, cum antea ejus pars cenſeretur, quod ex codice Theodoſiano, & ſubſcriptionibus Synodorum Conſtantinopolitanæ primæ, Epheſinæ & Chalcedonenſis probat.

§. 4. *Oſrhoëne*, ſeu *Meſopotamia Aramæa*, prima mihi eſt Meſopotamiæ pars, quæ ſeſe ab Armeniâ ad Chaboræ oſtia, ubi oppidum Cercuſium, juxta euphratem protendit, Syriæ Euphratenſi è regione oppoſita: quæ, quicquid inter Mygdoniam ac Chaboram amnes, ab oriente, & Euphratem ab occidente interjacet, complectitur. Hæc pars in ſacris *Aram Naharaim* audit, ſeu terra Aram, inter duos fluvios, Euphratem nempe & Chaboram, intercepta: in quâ mortuus eſt *Haran*. Dicitur etiam *Paddan-Aram* Aramæis, & Hebræis *Sede-Aram*, *Gen.* 28: 2. quaſi dicas Aramæam paſcuam & frugiferam: in quâ cum Aramæis cohabitarunt Abrahami nepotes. *Oſrhoëne*, ſi Procopio ſit ſtandum, ab Oſrhoë viro Principe dicta fuit; *eſt enim* (ait ille) *Oſrhoës nomen viri, qui hic regnavit ſuperioribus temporibus, quandò hi coloni Perſis fœderati erant.* Quandò *Macedones* eam oram occupabant, *Anthemuſia* à primariâ ejus regionis civitate dicta videtur, ſive tota, ſive pro parte. Geographi Arabes eam provinciam ſub nomine *Diar-modhar* denotant. Urbes in hâc regione numerantur variæ; nobiliores ſunt *Edeſſa*, *Rheſene*, *Callinicum*, *Charræ*, & *Cercuſium.* Amnes, *Mygdonius*, *Charrha*, & *Belias*, qui, teſte *Ammiano*, apud Davanam ortum ſuum habens, prope *Callinicum* Euphratem ingreditur, atque ſupra oſtium ſuum etiam aquas Charrhæ recipit.

1. E-

Digitized by Google

1. *Edeſſa*, quondam totius Oſrhoënes fuit caput, ſeu Metropolis, ubi provinciæ curia, & ſedes epiſcopi Metropolitani. Incolis *Orpha* ſeu *Ourpha* dicitur. *Macedones* eam condiderunt: *Appianus* in Syriacis Seleucum Nicatorem eam condidiſſe, ac de nomine urbis alicujus Macedonicæ *Edeſſam* appellaſſe teſtatur; eſt enim *Edeſſa* Macedoniæ civitas non longè à Pellâ remota. *Plinius* libr. 5. cap. 24. dicit *Edeſſam*, *quæ quondam Antiochia dicebatur*, *Callirrhoën à fonte fuiſſe nominatam.* Ab hoc antiquo nomine etiam hodiè Arabibus *Roha* audit. Cum Antiochi Gryphi filii Syriacum regnum civilibus everterent bellis, *Aretas* Rex Cœleſyriam circa Damaſcum: & Arabes duce Abgaro Edeſſam, ac proxima Meſopotamiæ loca occuparunt, à quo novi hìc regni initium factum eſt: atque *Edeſſa* ſedes Agbarorum regia exſtitit. Æram tamen Seleucidarum inter varias mutationes retinuerunt *Edeſſeni*, uti Epocharum Syro-macedonum aſſertor ſatis ſuperque demonſtravit. *Thevenotius* civitati duarum horarum tribuit ambitum, nec non arcem, monti impoſitam, amplis profundiſque foſſis è rupe exciſis circumſeptam, atque auſtrale civitatis latus claudentem; quæ fortè olim regum fuit palatium. Ager, circumquaque fertilis eſt; ac in ipſâ urbe fons ſalit, cujus aquis ſeptem vertuntur molæ. Hinc in nummis Edeſſenis figura aquis mediâ ſui parte immerſa cernitur. Fluvius indè natus, vel quem ingrediuntur iſtæ aquæ *Scirtus* appellatur. Hinc Euagrius libr. 4. cap. 8. enarrat, Juſtino Seniori imperante Scirtum exundantium aquarum impetu ædificia Edeſſæ dejeciſſe, & ingentem incolarum multitudinem ſubmerſiſſe: aſt *Juſtinus* urbem reſtituit, unde etiam *Juſtinopolis* dicta, quod nomen tamen poſt ejus mortem non retinuit. Condita fuit ad viam publicam,

Digitized by Google

quæ à trajectu Euphratis ad trajectum Tigris ducit. *Strabo* libr. 16. auctor eſt, quod *quatuor ſchœnorum ſpatio ab Euphrate* abfuerit, cumque *Plinius* ex Eratoſthene nos doceat libr. 12. cap. 14. ſcœnum patuiſſe XL ſtadia, ſeu 5. MP. oportet ut diſtantia *Euphratem* inter & *Edeſſam* fuerit 20 MP. Conſentit *Fulcherius Carnotenſis*, qui cum Balduino huc profectus fuit, cap. 6. ſcribens *Edeſſam trans flumen prædictum Euphratem fuiſſe viginti ferè miliariis.* Antonini Itinerarium ſcribit *Thilaticomo Bathnas* XV. MP. inde *Edeſſam* XV MP. *Tavernierus* teſtatur à *Birâ*, ubi nunc ſit trajectus Euphratis, ad *Tchar-melik* viam eſſe XI horarum, indè *Ourpham* X horarum : verum Carawanæ lentiùs progrediuntur. *Procopius Edeſſam* ab Euphrate unius diei itinere diſtare notat.

2. *Rheſæne* (incolis *Ras-ain* vel *Ras-olain caput fontium*) altera civitas eſt, in planitiè exſtructa : quæ à fontium copiâ nomen accepit, quales ibi ter centum numerantur : inter quos quatuor ſunt primarii, qui fluvio *Chaboræ* principium largiuntur : medium ferè inter *Niſibin* & *Harran* obtinet, quippè ab utrâque tribus disjuncta diætis. Arabes illi latitudinem borealem gr. 36 : 50. adſcribunt. In tabulis Peutingeri ponitur *à Charrhis* 65 MP. In nummis ſcribitur ΡΗΣΑΙΝΗ, diciturque colonia, atque imago fæminæ turritæ cernitur, rupi inſidens, cum imagunculâ ad pedes, aquis ex parte immerſâ; quod ob aquarum, ex tot fontibus proripientium, copiam & fluvium Chaboram fieri exiſtimo. Cl. Noris etiam Theodoſiopolin dictam putat, quam in notitiis vetuſtis Eccleſiarum urbem provinciæ Oſrhoënæ appellari notat. *Stephanus* Ῥέσινα (lege) Ῥέσαινα πόλις περὶ τὸν Ἄβορον ποταμὸν, *Rheſæna urbs propè Aborum fluvium.* Rectè, quia ad ejus principia & fontes.

tes. Videtur etiam ante *Decium* Imp. ſuum habuiſſe ſubregulum, quales ille poſt longa vincula occidit.

3. *Charræ* (ſive *Haran*) ultimæ antiquitatis civitas, ab *Harane*, Abrahæ fratre nomen habens: in ſacris ab Abrahæ vocatione clarior, qui ex Ur Chaldæorum cum patre & fratribus vocatus huc appulit, ac parente ibi mortuo indè in terram promiſſionis perrexit. Romanis quoque ex Craſſi clade innotuit. Quare Lucanus cecinit.

Miſerando funere Craſſus
Aſſyrias latio maculavit ſanguine Charrhas.

Hujus civitatis diſtantia à *Bathnis* juxta itinerarium Antonini erat 30 MP. juxta tabulas Peutingeri 32 MP. ab *Edeſſâ* ſolùm 12 MP. aberat. Ex *Ammiano* docemur, quod *Julianus* trajecto Euphrate primùm *Bathnas* appulerit, indè Charrhas perrexerit, ac poſt Callinicum. *Amnis* aliquis, qui incolis *Gjulab*, aſt *Stephano* etiam Charrhæ dicitur, tandem fluvium *Beliam* ingrediens Edeſſenum inter & Charranum territorium diviſionem facit, agroſque circumjacentes rigat. Arabes illi latitudinem graduum 36: 40. attribuunt.

4. *Callinicum*, (quod nomen etiam à *Callinico* Sophiſtâ ibi occiſo accepiſſe dicitur Ammiano) aliàs *Leontopolis* appellata fuit, Arabibus *Arecca* & contractè *Racca*: *Libanio ſtatio* dicitur *ad Euphratem*: Ammianus *munimentum* vocat *robuſtum*, *commerciorum opimitate gratiſſimum*. Arabes metropolim provinciæ Diaralmodhar eſſe affirmant: quod privilegium fortè ab Edeſſâ ad eos tranſiit. Ejus appendix eſt *Raſica*, ripæ Euphratis impoſita. Diſtingui debet à *Raccâ Sawdâ* ſeu nigrâ dictâ, quæ vicus magnus eſt, uno miliari ab urbe

Digitized by Google

urbe diſtat. Vicum inter & urbem amnis *Belias* (incolis *Baleëch*) regionem perluit, qui aquis amnis Carrhæ auctus in Euphratem exit: urbs illi fuit ab Auſtro: quod ex *Ammiano* colligo, qui Juliani expeditionem deſcribens dicit, cum *Charris* progreſſum veniſſe *ad fluvium Beliam, ortum ſuum habentem apud Davatiam*, poſtridiè *eum veniſſe Callinicum*.

5. Tandem accedo ad *Cercuſium* (incolis *Karkiſia*) fortè idem locus, qui in ſacris *Carchemis* audit, in cujus viciniâ Rex Ægypti cum Babyloniis infeliciter congreſſus eſt, *Jer.* 36: 2. Civitas eſt, ad Chaboræ oſtium condita, ubi Euphratem ingreditur: ibi inſulam fingit, eo quod utriuſque fluvii aquæ ejus murum ambiunt. *Diocletianus*, auctore Ammiano, oppidum exiguum antehâc, & ſuſpectum, muris celſiſque turribus circumdedit, cum in ipſis Barbarorum confiniis, ne Perſæ per Syriam vagarentur, interiores ordinaret limites. *Zoſimus* libr. 3. nominat Circeſium caſtrum, quod Abora fluvius & Euphrates ipſe circumdant. *Procopius* Circeſium in extremis Meſopotamiæ finibus ab Imp. Diocletiano exſtructum fuiſſe affirmat & libr. 2. de bello Perſ. *Eſt in alterâ fluminis ripâ Romanorum oppidum munitum, quod Circeſium vocatur: præruptum ex magnâ parte, quod Aborras fluvius ingens hic oſtia emittens, Euphrati miſcetur, & angulum circa oppidum facit.* Ptolomæus huic latitudinem borealem 35. graduum adſcribit.

Cæterum in Oſrhoëne ſupra Beliam amnem eſt *Bir*, urbecula ad trajectum Jordanis, declivitati montis adhærens, Euphratiſque margini impoſita, in montis culmine arcem habens & juxta fluminis ripam caſtrum, dimidiam civitatis longitudinem conficiens. Indè via in *Edeſſam* ducit. *Thevenotius* ſeriem locorum daturus

rus

Digitized by Google

rus ita recenſet; *Bir*, *Aidar-achmet*, *Tchar-melik*, *Jogon-bul*, *Edeſſa*. Alia *in Amidam* ducit: quæ *Taverniero* hanc locorum ſeriem exhibet, ut primò indè occurrat *Kecheme*, Dein *Meliſara*, in cujus viciniâ amnis leonis (Arzlan-chaje) fluit, aquas ſuas in Euphratem egerens, porrò *Seuerac* urbs, parvo amne gaudens, quique in Euphratem labitur; *Bogazi*, *Deguirman Bogazi*, *Mirzapata*, *Amida*. In Oſrhoëne ſupra Baleam etiam *Bathnæ*, Ammiano Oſrhoënes municipium in Anthemuſiâ, priſcorum Macedonum manu conditum, annuis olim mercatoribus refertum, & ab Euphrati brevi ſpatio diſparatum. Hinc Euphratem ad Zeugma trajicientibus primus locus eſt, quem appellunt. *Caſtellum Giallab* contra Curdorum invaſiones conditum inter *Tameedan* & *Edeſſam*, ab hâc 12 MP. aberat. Eſt & *Bagervan* urbs *Edeſſam* inter & *Areccam*, à priori 21 MP, à poſteriori 11 MP. diſtans. *Ximxat*, fortè Ptolomæo *Semiſos*, urbs olim celebris, nunc vaſta, nomen præbet & regioni, & amni eam perluenti, ac ſupra Malithiam Euphratem ingredienti. Ipſa urbs in confiniis Armeniæ ſita eſt ab Amidâ ſex, à Malithiâ ad Euphratem duabus diætis: via indè ad Edeſſam Idriſio eſt à Ximxat ad Talmauran XV MP. Heriam XVIII MP. Tameedan XV MP. Caſtellum Giallab. XXI MP. *Edeſſam* XII MP.

Infra *Baleam* notanda adhuc eſt *Anthemuſia*, juxta quam *Strabo* dicit tranſitum fuiſſe Euphratis, fortè ille, qui ad *Thapſacum* dicitur: & circa eandem fuiſſe fluvium Aborras nomine, idem teſtatur. *Nicephorium*, etiam *Conſtantina* dicta, urbs, quam teſte Plinio Alexander ob loci oportunitatem in viciniâ Euphratis condi juſſerat. *Ptolomæus* ei lat. bor. 35 : 20. tribuit: ac proinde 20 minutis ſupra *Cercuſium*. Ad *Chaboram*

Digitized by Google

notantur Arabibus urbes *Macheſis* ſupra *Cercuſium* 21 MP. & *Sekkathalabbas* ſupra Macheſin 18 MP. Nec non *Chaboras*, urbs fluvio cognominis, cui latitudinem borealem tribuunt graduum 36: 40

§. 5. *Meſopotamia Aſſyriaca*, ſeu ſtrictè dicta continet plures alias ditiones, quas Arabes diſtinguunt in *Diar-Becr*, *Diar-Rabiah* & *Diar-algezirah* ſeu *Diar-Moſul.*

1. Diar-Becr eſt regio borealis, Armeniæ contermina & juxta radices Niphatis ſeſe protendens. Eſt ibi *Amida*, ſub Romanis totius Meſopotamiæ orientalis *Metropolis*; Turcis *Caraemid* appellata, quaſi dicas *Cara Amida*, quod Amidam nigram notat: etiam in Oriente per excellentiam *Diar bek* dicitur: urbs 10 aut 12 MP. in ambitu habens, atque edito in loco condita: muri ejus vivâ ex rupe exciſi & duplices, 364 turribus muniti ſpectantur; ubi Tigri adjacet figuram lunæ dimidiatæ refert. Templa marmorea Græcis cum inſcriptionibus magno ſatis numero in eâ ſunt conſpicua. Incolis referta eſt, numeranturque ibi viginti millia Chriſtianorum. Aquarum etiam & fontium copia ibi eſt, interque amnes unus, qui incolis *Seth* dicitur, menſibus hybernis valdè intumeſcens, aquaſque ſuas longè in auſtrum emittens. Tabulæ Arabum ei latitudinem Borealem 38 graduum tribuunt. Eſt etiam ejuſdem regionis civitas *Martyropolis*, incolis *Mafarakin* appellata, ac in confiniis Armeniæ ſita, ad lat. bor. 38: 2. propè hanc amnis nymphæus originem capit, atque incolis *Baſilinſa* dicitur, de quo poſt.

2. Diar-Rabeah eſt regio, quam græci *Mygdoniam* appellarunt, continetque ditiones *Bakao*, *Singarenem*, & *Niſibenem.* In priori ditione eſt urbs *Beled*, ad Tigrin, 21 MP. à Moſul, verſus Amidam. Nec non *Ber-*

Digitized by Google

Berkaid, quæ à *Beled* in boream diſtat 26 MP. In *Singarene* eſt civitas *Senjar*, ſive *Singara*, in medio deſerti *Diar Rabeæ* condita, quæ in viciniâ habet amnem, cui *Albama* nomen: hujus nota eſt in nummis *Singaræ*, homo ad pectus uſque aquis immerſus; quare haud rectè ex hâc notâ colligit Cl. Ez. Spanhemius eam Tigri fuiſſe appoſitam. Eſt ſanè urbi Beled ab occidente. Arabes illi tribuunt lat. bor. 36:4. *Niſibene* eſt tertia ditio, ad Septentrionem *Singarenes*. Urbs primaria eſt *Niſibis*, incolis *Neſbin*, cui Macedones nomen *Antiochiæ Mygdoniæ* dederant, olim 6 MP. habuit in ambitu, nunc vix priſtinæ majeſtatis umbram refert, ac ſolum pagus major eſt: cui Arabes lat. bor. 37. graduum cedunt. Illi ad dimidium miliare mons Maſius imminet, Niphatis excurſus: ex quo *amnis mygdonius* erumpit, qui incolis *Hirmaz* audit, quiquè olim urbem alluit, nunc illi ab oriente præterlabitur, atque dimidio miliari ab eâdem abeſt. *Ptolomæus* ejus fontem *Chaboræ* ſtatuit principium, & ſanè unus ejus alveus infra Rheſænam Chaboram ingreditur. Adjacet *Niſibis* viæ publicæ, quæ à trajectu Euphratis ad Moſul ducit, inter *Edeſſam* & *Barkaid*. Viâ ex *Edeſſâ* ita ponitur *Taverniero*, Edeſſâ, Dadarkin XI horis. Kara X. Hor. Kouſaſar VIII Hor. Karaſera. IX H. Niſibin VIII H. quæ ſimul ſumptæ præbent XLV Hor. *A Niſibi ad Moſul* numerat LV horas. *Niſibis* à *Berkaid* ad Tigrim 27 MP. abeſt.

Dara, ejuſdem ditionis antiqua & benè munita urbs eſt, ſupra *Niſibin*, & ei vicina, caſtello munitiſſimo inſtructa, quod Imp. Græci ad Perſas excludendos extruxerant. Sequitur tandem territorium urbis *Merdin*, peculiare conſtituens dominium: civitas quidem parva eſt, ſed eleganter in monte condita, cui editio-

Digitized by Google

ri adhuc in loco caſtellum ad boream fuit impoſitum. Itinerantes duobus parvis miliaribus ſupra Kouſaſar, ſeu ab eâ in boream poſitam eſſe affirmant. Arabes ei lat. borealem 37: 15. tribuunt.

3. Diar Algezirah continet urbem *Moſul*: civitas ferè è regione Ninives, ad Tigris ripam condita: olim nobilis, nunc verò intus tota ferme vaſta jacet, à quo Tamerlanes eam vaſtavit: muris gaudet præaltis, ex cæſis lapidibus conſtructis; ad flumen urbi arx eſt impoſita. Hic trajectus Tigris eſt, ex Meſopotamiâ in Aſſyriam ducens, ad quem ſeſe conferunt, quotquot ex occidente in Perſiam tendunt. Arabes illi tribuunt lat. bor. 36: 50. *Ali Hamam* oppidulum ejuſdem regionis eſt, civitati *Moſul* ab auſtro, atque unâ diætâ juxta itinera Carawanæ à *Moſul* diſtans. Nomen habet à balneis thermiſque calidis, ibi locorum celeberrimis: regio inter utramque urbem interjacens montoſa eſt, atque ſulphure ſcatens.

§. 6. Sequitur nunc tandem *Meſopotamia Arabum* ſeu Chaldæorum, quam Geographi Arabes ad *Iracam Arabiæ* referunt: cujus maxmam partem Scenitæ pererrant: quare parum cognita eſt, niſi ubi fluvios attingit: atque à Septentrione terminatur provinciis Diar Moſul, & deſerto Singarenes; ab oriente labitur Tigris, ab occidente *Chaboras*, à meridiè Euphrates: mediam ſecat fluvius *Saocoras*, circa *Reſcipham* oſtium habens, per quod in Euphratem erumpit. Clauditur ab utraque extremitate cum boreali tum auſtrali deſertis horridis, ac ſterilibus. Deſertum ad boream circa *Hatram* inveniebatur, vetus oppidum, in mediâ ſolitudine poſitum, ſed tempore Juliani teſte Ammiano jam olim deſertum. Herodianus tamen illam deſcribit in hunc modum: Ἦν δὲ πόλις ἐπ' ἄκρας ὑψηλοτάτης ὄρυ, τέιχει μεγίςῳ

καὶ

καὶ γεννάιῳ περιβεβλημένη, πλήθει ἀνδρῶντε τοξοτῶν ἀκμάζυσα· *Jovinianus* mortuo jam Juliano apud *Ammianum* dicitur ex Aſſyriâ apud *Duram* Tigrin trajiciens; hanc oram ingreſſus, feſtino curſu, magniſque itineribus prope *Hatram* hanc veniſſe: undè ad lapidem LXX loca erant arida, in quibus nec aqua inveniebatur præter ſalſam & fœtidam: nec ad victum quicquam excreſcebat præter abrotanum & abſinthium, & dracontium, aliaque herbarum genera. Hanc ſolitudinem egreſſus dicitur Niſibenam attigiſſe: ut hæc ipſa ſolitudo Diarrabeæ fuerit, ad Singarenem pertinens. Infra hanc partem Meſopotamiæ, quæ Arabum Scenitarum eſt, eique ab auſtro alio clauditur deſerto ab Annâ ferè ad Bagdad excurrens per ſpatium IV diætarum, ex Biſerchan ad Bagdad duarum diætarum, ubi in medio *Birennos*, locus refectionis ex *Felugio* in Bagdad XVIII leucarum. Notant itineraria etiam illam Solitudinem admodum horridam, & bonâ fruge deſtitutam, atque aquis carere ad potum commodis. Cæterum *Saocoras*, qui etiam *Meſcha* audit totam illam regionem dividit in exteriorem, & interiorem.

1. Interior illa eſt, quæ inter *Saocoram* & *Chaboram* à Rheſainâ uſque ad Cercuſium intercipitur: quæ regio in *Cluveri* Geographiâ *Ingine* vocatur. Fateor totam illam ditionem, quam Arabes Scenitæ tenent, parum innotuiſſe, quia eam perluſtrare propter latrones & horridas ſolitudines non licuit: quicquid ejus innotuit, ſolum ad eam plagam ſpectat, quæ Euphrati poſt Cercuſium adjacet, à quo primò occurrit *Zautha*, ab oleis nomen habens, atque à Cercuſio 60 ſtadiis diſtans, ſeu $7\frac{3}{4}$ MP. *Dura* ſequitur, marginibus Euphratis impoſita. Ammiano vocatur oppidum deſer-

 tum,

tum, olim *Zaitham* inter & *Annam* conditum. *Polybius* de Molone loquens, dicit, *eum in Meſopotamiâ omnia* (nempe ad Iracam Arabiæ ſpectantia) *occupaſſe uſque ad Duram*. Hinc locus Plinii reſtituendus eſt, ubi *de Euphrate* dicit, *fertur uſque Uram* (malè, lege *Duram*) *locum, in quo converſus ad Orientem, relinquit Syriæ Palmyrenæ ſolitudines*. Ptolomæo dicitur *Duraba*:. ejuſdem quoque nominis fuit vallis, ubi aureum ſuum idolum erexit Nebucadnezar. *Dan*. 3: 1. Indè pergentes occurſui habent *Annam*, Arabicè cum nunnatione *Annaton*, urbs celeberrima, ubi ſedes eſt Principis Arabum, cui Scenitæ utriuſque oræ parent: præ primis *Emir* (ita appellatur ejus Princeps) latiſſime in Meſopotamiâ dominans, & Arabiâ deſertâ, ſedem hic tenet in medio. Eadem mihi videtur civitas, quæ Stephano de urbibus *Adana* dicitur, cujus vox *Anna* videri poſſit contractio. Dicitur *Ammiano munimentum & inſula ad Euphratem*. Quatuor diætis, viâ per ſolitudinem prælectâ, à Bagdad abeſt. Inter *Rahabath*, illi ab occidente, & *Addæam ſeu Adadam* ab oriente, quæ etiam Arabum ſunt urbes. Prior unâ diætâ à Cercuſio remota, forte *Rahabenorum* metropolis. Trajiciunt eam, qui ex Aleppo per deſertum *Annam* petunt: ut via ſit per *Taibam*, *Rahabath* (aliis contractè *Rachba*) *Annam* uſque.

2. Exterior tandem pars Meſopotamiæ Arabum ſequitur, quæ inter *Saocoram* & *Tigrin* includitur, atque ab auſtro à Parapotamiâ partim per Euphratem, partim per fluvium Regium (qui *Naar malca* audit) dirimitur; aſt olim cum Meſene, & Ancobaritide terra continua, quandò foſſa illa nondum facta erat. Longitudo ejus ſe protendit à *Seleuciâ* & Maſſice uſque ad ſolitu-

ſolitudines Singaræ & territorii *Moſul*: cumque Seleuciæ tribuant Arabes lat. Bor. 33. gr. & *Moſul.* 36 : 50. Longitudo terræ omnis circiter trium graduum, ſeu 45 millium Germanicorum ſtatuenda eſt. Latitudo ab oſtio Saocoræ ad Seleuciam putatur trium quoque graduum & viginti min. longitudinis, quæ etiam circiter 45 MP. Germ. continent: nam longitudo oſtii Saocoræ Ptolomæo ponitur gr. 76. Seleuciæ gr. 79: 20. *Singaras* mons Ptolomæo ponitur ad long. gr. 76 : 40. ad latit. 36 : 15. Ex hujus excurſu oritur *Saocoras*, cujus fontibus idem cedit long. 75 grad.

A. Ultra ſolitudinem auſtralem civitates juxta Euphratem ſunt primò *Reſchipha*, circa oſtium Saocoræ; Ptolomæus enim utrique eandem concedit longitudinem & latitudinem. *Diacira* ſequitur VII Miliario ab amne diſparata, in quâ templum alti culminis arci erat ſuper impoſitum. Hanc *Julianus* incendit & vaſtavit. Indè pergens appulit *Ozogardanam*, quam *Zoſimus Zaragardiam* vocat, oppidum olim celebre, in quo Principis Trajani tribunal oſtendebatur; quod etiam igne delevit. Ultimus ad Euphratem locus eſt *Maſſice*, quæ & *Macepracta* dicebatur: *vicus* dicitur Ammiano, *in quo tamen ſemiruta murorum veſtigia cernebantur, qui priſcis temporibus in longa protenti ſpatia Aſſyriam ab externis incurſibus tuebantur.* Plinius & Ammianus hic loci Euphratem ſcindi affirmant, ita ut pars tractus Babylonios interiores permeare, pars, quæ *Naär-malca* dicitur ſeu amnis regius, *Seleuciam* adire cernatur. Juxta Ptolomæum Maſſicen inter & oſtium Saocoræ ſeu Reſcipham eſt differentia trium graduum longitudinis, qui intercedunt inter 76 & 79. Inter *Maſſicen* verò & Seleuciam, ubi amnis regius fluit, ſolum differentia eſt viginti minutorum, ſeu tertiæ partis unius gradus longitudinis.

Digitized by Google

In hoc interſtitio ad amnem regium *Zeobia*, cujus mentionem facit Della Valle, qui locum teſtatur, non multum ab amne remotum: & *Rouſwania*, pagus, ſatis magnus, qui etiam *Mahmudie* & *Gegida* ſeu *Gehiagia* dicitur, undè per Euphratem deſcendentes commodiſſimè relictis navibus mercimonia ſua Camelorum ope in Bagdad tranſvehunt. Aliis memoratur *Felugium*, ut locus ubi merces terrâ transferunt in *Bagdad*, à quâ urbe XIII miliaribus anglicanis abeſſe dicitur. Della valle à Bagdad ad ruinas Babylonis tendens altero die venit *Rouſwaniam*, tertio *Zeobiam*, à meridiè ad Euphratem, circa veſperam ad *Muſejeb-chan*, die quarto ad *Birſerchan*, undè venit ad ruinas: ſed in reditu à *Birſerchan* intra biduum per ſolitudinem denuò appulit *Bagdad*, in medio ad *Birennos* pernoctans: aſt ſolitudinem invenit horridam & moleſtam.

Tandem luſtranda eſt *Seleucia*, quæ *Parthorum* cognominatur; maxima eſt civitas, quam Seleucus Nicator, ut Babylonem antiquam exhauriret, ad foſſam condidit, 300 ſtadiis longam, quæ amnis regii cum Tigri confluentem facit. Mœnia ejus aquilæ inſtar alas ſuas pandentis ſeſe porrigebant; ager autem totius Orientis erat fertiliſſimus. A Vero Principe dicitur exciſa. Syri & Græci eam incolebant, quibus etiam Judæi ſe junxerunt, donec à civibus exſcinderentur, quod *Joſephus* factum Artabano imperante monet. A Babylone aberat 38 MP. In viciniâ Cteſiphontis, in tertio ab eâ lapide. Notant etiam quidam à ſinu Perſico abeſſe 320 MP. à Zeugmate verò 527 MP.

B. Tandem ſequitur regio luſtranda, quæ ripam *Tigris* radit; ſeſeque à confluente amnis regii & Tigris porrigit uſque ad *Zab*, ſeu *Zabdin* amnem, ex meſopotamiâ in Tigrin erumpentem: cujus oſtium vidit

Taver-

Digitized by Google

Tavernierus infra magnam Tigris cataractam: à quâ ſequenti die ad oſtium jam commemoratum præcipiti fluvii impetu pervenit. Tres in eâ regione occurrunt civitates *Bagdad*, *Samorra* & *Tekrit*.

Bagdad præclara eſt civitas, diu Chalipharum ſedes, utramque *Tigris* ripam quondam occupans: licet nunc ſolum ſpectetur in orientali. Remotior eſt à *Seleuciâ*, quam vulgò putatur: inter eam & *Felugium* eſt deſertum XVIII leucarum: nomen accepiſſe ferunt ab hortis Principis. Ager ibi eſt gratiſſimus, omniaque rident. Arabes ei tribuunt lat. Bor. 33: 25.

Samarra (quæ etiam *Surromenrad* & *Asker* audit) olim vicus, ſed poſtea regia civitas, & Chalipharum ſedes. Motaſſem, Calipha octavus, ex Abaſſidum tribu eam A°. 835 condidit: aſt poſtmodum, Chaliphis ſedem imperii denuò in Bagdad reducentibus, iterum collapſa eſt. Regio circumquaque fertilis & jucunda eſt. Arabes illi lat. bor. 34 graduum concedunt: ut inter eam & *Bagdad* ſit differentia 35 minutorum latitudinis: triduo à *Bagdad*, biduo à *Tekrit* abeſſe dicitur.

Tekrit, juxta Geographiam *Arabum* ultima *Iracæ* Babyloniæ civitas, ejuſque terminus orientalis, gloriæ antiquæ præter rudera nulla ferè retinet veſtigia. Caſtello fuit munita. Tigris bina ejus latera, ſeptentrionale & orientale, claudit: duo reliqua foſſis & muris ſatis firmata fuerunt. *Tirtar*, qui alter erat amnis Mygdonii alveus, juxta eam ſuum habet oſtium, per quod Tigrin ingreditur. Huic è regione in partibus Aſſyriacis objacet urbs *Hit*, ſeu *Haita* Curdorum. Ager quoque à fertilitate commendatur. *Arabes* ei lat. bor. 34: 30. adſcribunt. *Tavernierus* diſtantiæ ab oſtio amnis Zab triduum concedit, & ab oſtio amnis *Baſilinſæ*

Digitized by Google

duo millia: qui amnes huic urbi ſunt à ſeptentrione inter eam & *Moſul:* à quâ urbe *Tekrit* in auſtrum dicitur Carawanæ *ſexta ſtatio:* differentiam lat. bor. habens unius gradus. Inter *Tekrit & Samorram* ponitur differentia lat. bor. dimidii gradus: & diſtantia bidui. Geographi Arabes inter *Tekrit* terminum Iracæ borealem & *Abbadân* terminum ejus auſtralem ad ſinum Perſicum 125 paraſangas numerant.

Cæterum inter *Tekrit & Samorram* inſula occurrit, quam *Tigris* circumluit, læta & felix, cui nomen *Dogjal* & *Eden*, quam incolas pro parte Paradiſi habere, aliàs dicemus. Fuit huic ab Occidente terra *Albaſia* dicta, ex nobili inter Arabes commiſſo prœlio cognita, & circa eam quoque terra *Manaria.* Ubi à *Tekrit* in Samorram fit progreſſus, occurrit *Aaſchouk*, ſeptima à Moſul ſtatio (ſicuti *Kiſilchan* ſupra Tekrit erat quinta à Moſul ſtatio) urbecula, poſt quam ſequuntur *Hedgiadge* pagus, & abhinc porrò *Elhan* alius pagus, dein *Kala bukrit*, regio per octo milliaria ſeſe protendens, quondam benè condita, nunc miſerè vaſtata: quæ ſibi è regione felicem illam habet inſulam. Inter *Samorram & Bagdad* occurrit *Kiomma Bagdad*, *ſeu Bagdad antiqua*, urbs olim biduo à *Bagdad*, atque unâ dietâ à Samorrâ: nec non *Imam Muſa*, pagus in viciniâ urbis *Bagdad.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT II.

Syriæ Euphratenſis deſcriptio.

§. 1. SYria, ampliſſima Orientis regio, quondam in *ſuperiorem* & *Cælen* (ut auctor eſt *Diodorus Siculus*) aut *Euagrio* in *majorem* & *minorem* diſtributa, factâ inter *Seleucum Nicatorem* & *Ptolomæum Lagi* diviſione, paruit hinc Seleucidis, illinc Lagidis: major enim ſeu ſuperior Seleucidis ſedem imperii præbuit: minor quæ & Cœle, Ægyptiaco adjecta eſt regno, quod Lagidæ tenuerunt. Ad majorem pertinuit provincia, quæ Romanis Euphratenſis, & Euphrateſia dicta fuit. Hinc *Ammianus* libr. 14. *Commagena, nunc Euphratenſis, clementer adſurgit, Hierapoli, vetere Nino, & Samoſatâ civitatibus amplis illuſtris.* Ad minorem *Palmyrena* ſpectat, quippè Cœle Syriæ pars, quæ etiam Phœnice dicta. Teſtes ſunt *Ulpianus* l. 50. digeſt. l. 1. de cenſ. N. 5. *Eſt & Palmyrena civitas in provinciâ Phœnice propè Barbaras gentes & nationes collocata:* & *Procopius* libr. 2. de ædificiis Juſtiniani. *In Phœniciâ Libani oppidum, cui Palmyra nomen, vetuſtate fermè deſertum. Syria Euphratenſis*, quæ etiam *Euphrateſia* audit, continet antiquas provincias *Comagenam & Cyrrheſticam*, quas Romani poſtea in unam conjunxerunt.

§. 2. Syria *Comagena*, Armeniis ad boream habitantibus contermina, Tauro utramque regionem dirimente, juxta Euphratem protenditur, qui terminus eſt orientalis,

Digitized by Google

Cyrrheſtica auſtralis, ad occidentem habet Ciliciam. *Strabo*, qui ſub *Tiberio* ſcripſit, quandò *Germanicus* orientem componebat, annis v. c. 771 & 772. libr. 6. ait. *Comagene parva regio eſt, & urbem habet naturâ munitam. Samoſata regni caput. Nunc provincia facta eſt.* Scilicet Seleucidarum poſteri ex ampliſſimo imperio à Romanis ad has anguſtias depulſi ſunt, ut nil præter Comagenam retinuerint, ac coäcti ſint Romanis ſubeſſe: qui varias experti viciſſitudines, nunc Comagenum regnum adminiſtrabant, nunc iterum in provinciam redactam videbant. *Tacitus* nobis auctor eſt lib. 2. Ann. ad annum v. c. 770. mortuis Antiocho Comagenorum & Philopatore Cilicum regibus, turbas moviſſe nationes, pleriſque Romanum, aliis Regium imperium cupientibus: quàre miſſo *Germanico* ex decreto Tiberii anno ſequenti, Q. Servæo rectore Comagenis impoſito, provincia facta eſt. Cajo verò Auguſto, ut ex Dione intelligitur, *Antiocho* Antiochi filio regnum paternum redditur, adjectis *Ciliciæ* maritimis: iterumque adimitur, donec *Claudius* ei reſtituat. Hunc tamen *Veſpaſianus* anno imperii IV, v. c. 825. Romæ iterum privatum agere juſſit. Urbes in eâ ditione fuerunt *Samoſata*, *Germanicia* & *Neocæſaria*.

1. *Samaſata* juxta Stephanum πόλις κομμαγηνῆς ἐπὶ τῷ εὐφράτῃ. *Civitas Syriæ Commagenæ ad Euphratem.* Ammiano Marcellino libr. 18. *quondam regni clariſſima ſedes.* Straboni, libr. 16. πόλις ἐν ᾗ τὸ βασίλειον ὑπῆρχε. In nummis ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΚΟΜΜΑΓΗΝΗΣ. Plinio libr. 5. c. 24. *Comagenes caput Samoſata* urbs illa fuit naturâ munita & ampla.

2. *Germanicia* ex Theodoreto libr. 2. cap. 25. intelligitur *urbs fuiſſe in finibus Cilicum, Syrorum & Cappadocum, cenſita in Euphratenſi provinciâ:* patria quondam Neſtorii.

3. *Neo-*

Digitized by Google

3. *Neocæſarea*, quæ in Synodo Chalcedonenſi dicitur provinciæ Auguſtæ Euphrateſiæ apud Theodoretum libr. 1. cap. 7. deſcribitur *oppidum cum præſidio in Euphratis littore ſitum.*

§. 3. *Syria Cyrrheſtica* ſeſe juxta Euphratem à *Comagene* uſque ad *deſerta Palmyrena* protendit, in quâ videntur oppida fuiſſe præclariora *Hierapolis*, *Amphipolis*, *Cyrrhus & Chalybon.*

1. *Hierapolis* à Macedonibus dicta civitas, Syriacè *Mabog* & Arabibus *Manbegz* audit, undè etiam cum terminatione græcâ nonnullis *Bambyce* (pro Mambyce) appellatur. Quibuſdam etiam ſub nomine *Zeugma* venit. Hæc urbs poſteriori ætate, veteri Comagenes nomine antiquato, cum utraque regio in unam conflata fuit provinciam Euphratenſem, metropolis ejus evaſit, ubi tum Provinciæ rector, tum etiam metropolitanus epiſcopus reſidebant. *Lucianus* ſitum ejus haud procul ab Euphrate ponit, in principio libri de Deâ Syriâ. Ἔϛιν ἐν Συριῃ πόλις ȣ̓ πολλὸν ἀπὸ τȣ̃ εὐφρήτεω ποταμȣ̃, καλεέται δὲ ἱερή: καὶ ἔϛιν ἱερὴ τῆς Ἥρης τῆς Ἀσσυρίης. *In Syriâ haud procul ab Euphrate fluvio eſt civitas quæ ſacra vocatur: eſtque ſacra Junoni Aſſyriæ.* Eam in Euphratis viciniâ inveniri docet etiam *Stephanus*, ubi cauſam daturus cur & *Zeugma* vocetur, in hunc modum ſcribit. Πόλις Συρίας ἐπὶ τῷ εὐφράτῃ, ὅν Ἀλέξανδρος ζεύξας ἁλύσεσι διεβίβασε τὰ ϛρατόπεδα. Veteres ad unum omnes Alexandrum apud *Zeugma*, Syriæ urbem, Euphratem trajeciſſe tradunt; nec non urbem à ponte nomen accepiſſe; qui jam olim à Libero Patre, cum expeditionem in orientem ſuſciperet, fertur exſtructus. Conf. *Pauſaniam* libr. 10. Quoniam vetus perierat novum ſubſtituiſſe ibidem locorum Alexandrum communis traditio eſt. *Statio* libr. 3. *Zeugma latinæ pacis*

iter propterea dicitur. Diſtantiam ab Fuphrate *Almegrebi* geographus Arabs definit 25. MP. *Inter Manbegz*, inquit *& Euphratem*, *ubi eſt caſtellum Negjin & pons ſunt* 25 *milliaria.*

Plinius diſtantiam ejus à Samoſatâ notans, ait: *Zeugma à Samoſatis* LXXII MP. *tranſitu Euphratis nobile.* Diſtantiam hujus urbis aut pontis ejus refert *Plinius*, dicens; ſcinditur Euphrates à Zeugmate circa *vicum Maſſicen* 83 *MP.* lege 830 MP. ut in mendo cubet locus: nam ex calculo Eratoſthenis à ponte juxta Comagenam (id eſt, Zeugmate) ad Thapſacum ſunt 250 MP. atque indè porrò ad Babylonem 600 MP. quæ ſimul ſumpta conficiunt 850 MP. exceſſus dandus eſt diſtantiæ inter Maſſicen & Babylonem.

2. *Cyrrhus*, à quo loco Cyrrheſtica dicitur regio, *Cyrillo* in epiſt. apologeticâ ad Euoptium vocatur πολίχνιον *urbecula*: teſte *Procopio* à Juſtiniano reparata, *muri ſecuritate*, *militum præſidiariorum multitudine*, *& publicorum ædificiorum magnitudine præclara.* In Euphrateſiâ cenſita eſt: atque teſte *Theodoreto* duorum dierum itinere Antiochiâ diſtans. *Procopius* à Judæis olim exſtructum fuiſſe illud oppidulum ait, addens, quod *Judæi*, *ex Palæſtinâ à Medorum exercitu in Aſſyriam captivi abducti*, *& longo poſt tempore à Cyro Rege dimiſſi*, *ut qualemcunque gratiam benefactori referrent*, *locum illum Cyrum appellarint.* Fides ſit penes auctorem.

3. *Amphipolis* etiam à Macedonibus dicta fuit urbs, quæ alias *Thapſacum* dicitur: hinc *Plinius*; *in Syriâ oppida Europum*, *Thapſacum quondam*, *nunc Amphipolis*, *Arabes Scenitæ.* Ad hoc oppidum etiam fuit trajectus Euphratis: undè *Eratoſthenes* apud *Strabonem* annotaſſe fertur à Thapſaco ad pontem, qui juxta Coma-

Digitized by Google

Comagenam eſt numerari 2000 ſtadia : 250 MP. & à Thapſaco ad Babylonem 4800 ſtadia , ſeu 600 MP. A ponte juxta Thapſacum ad trajectum Tigris , ſeu urbem Moſul verò inveniri 2400 ſtadia ; ſeu 300 MP. *Plinus* Zeugma à Samoſatis ab fuiſſe 72 MP. Hic porro *Thapſacum* ab iſto ponte ponitur 250 MP. ergò *Thapſacum* à Samoſatis fuit : 322 MP.

4. *Chalybon* eadem videtur civitas , quæ hodiè *Aleppo* dicitur , per quam hodiè ex Syriâ in Meſopotamiam tranſitur. Urbs Hierapoli longè auſtralior : à quâ ferè incipiunt Arabum ſolitudines Orientem & auſtrum verſus : & vix bidui itinere ab Euphrate. Emporium Orientis longè celeberrimum , & civitas ampliſſima, *Tavernierus* ei adſtituit *lat. bor.* 36 : 15. *Long.* 71 : 45.

5. *Europum* etiam Syriæ civitas eſt , teſte *Plinio* : ejus mentio injicitur apud *Polybium* , ubi de Molone agens ſcribit : *is Parapotamiam uſque ad Europum urbem occupat ; in Meſopotamiâ verò omnia uſque ad Duram.*

§. 4. Sequitur tandem in Syriâ Palmyrenâ nobiliſſima civitas *Palmyra* , quæ à palmis nomen accepit : Hebræis *Thamar* indè dicta , undè Græci *Palmyram* fecerunt. Salomon eam condidit *in terrâ ſolitudinis.* 1 *Reg.* 9 : 18. *Ulpiano* auctore *propè barbaras gentes & nationes collocata.* *Plinius* urbis ſitum ſatis accuratè deſcribit libr. 5. cap. 25. *Palmyra* , inquit , *urbs nobilis ſitu , divitiis ſoli & aquis amœnis , vaſta undique ambitu , arenis includit agros , & velut terris exempta à rerum naturâ , privatâ ſorte inter imperia ſumma Romanorum Parthorumque , & prima in diſcordiâ ſemper utrinque cura.* Proin ſpectabatur in utriuſque imperii confiniis. *Antonius* Triumvir miſſis in eam equitibus ; va-

vacuam civibus, cum facultatibus trans Euphratem fugâ elapſis, diripuit. *Hadrianus* reſtauravit, undè & poſtmodum *Hadrianopolis* dicta, atque colonia facta fuit. *Juſtinianus* quoque *oppidum vetuſtate fermè neglectum munimentis firmavit & aquarum copiâ, coërcito Saracenorum incurſu*, uti auctor eſt *Procopius*. Fuit in hâc urbe *templum Solis*, quod cum ſub *Aureliano* à militibus eſſet direptum, ingenti auri & argenti largitione reſtaurandum injunxit Imperator. Præſidium in eâ agebant etiam aliquandò Romani milites adverſus proximos Barbaros. *Aglibolus & Malachbelus* in quâdam inſcriptione patrii vocantur Dii. Literis utebantur Phœniciis. *Joſephus* Ant. lib. 8. cap. 2. teſtatur urbem illam maximam fuiſſe, *à Syriâ ſuperiore diſtantem duorum dierum itinere, unius ab Euphrate; ad magnam autem Babylonem indè ſex dierum viam protendi.* Atque hæc de Syriâ Euphratenſi ſatis.

CAPUT III.

De Aſſyriâ hodie Curdiſtan.

§. 1. QUoniam in deſcriptione Paradiſi moſaicâ etiam Aſſyriæ fit mentio, de eâ quoquè quædam monenda ſunt. Nomen terræ huic impoſitum à primo coloniæ Duce; de quo Moſes *Gen.* 10: 11. *E terrâ hâc egreſſus eſt Aſſur.* Fateor de eo loco non eadem eſſe omnium judicia: ſunt enim viri Docti, qui verba textus originalis vertunt; *è terrâ hâc egreſſus eſt in Aſſyriam:* atque de *Nimrodo* hæc acci-

Digitized by Google

accipiunt, quaſi ille poſtea in hanc oram expeditionem fecerit, ibique monarchiæ Aſſyriacæ jam tum fundamenta jecerit. Sed fruſtra viri docti tantam quærunt Monarchiarum antiquitatem, cum Deus tunc potiùs conſilium ſub uno capite ſe ſubjiciendi eluſerit, & anſam ſe in varias dividendi colonias objecerit, eâ cum æmulatione, ut unaquæque familia ſibi ſuum adoptaverit parentem in caput & Principem. Notat autem Moſes, quod *Aſſur* cum poſteris, qui hactenùs in Babyloniâ, ſeu oris illi vicinis, cum pluribus conjunctus vixerat, videns molimina *Nimrodi*, initia regni molientis, *exierit ex terrâ iſtâ*, novas ſedes libertatis ergò quærens, ſe ſuoſque regni Babylonii jugo ſubmittere nolens; quare ſe maturè eripuit, ut poſteritas ejus ſuis viveret legibus. Ubi *Sem*, Noachi filius, pater depingitur multarum gentium, *Aſſur* ſecundo loco inter ejus filios recenſetur. *Gen.* 10:22. ibiquè iſtius nati dicuntur *Elam*, *& Aſſur*, *& Arphaxad*, *& Lud*, *& Aram.* Ex quibus *Elam & Aſſur* regionem tranſtigritanam incoluerunt, nominaque ſua ſuis impoſuerunt ditionibus.

§. 2. De ſede habitationis, quam ſibi elegit, nos dubitare non ſinit Moſes, illis ſubjungens *Gen.* 10: 11. *& ædificavit Niniven, & Rehoboth, Ir & Calah, atque Reſen intra Niniven & Calah. Iſta eſt magna civitas.* Etiamſi fatendum ſit, plurima horum oppidorum nomina vetúſtate eſſe abolita: ſola tamen *Ninive*, quæ in hiſtoriis utramque facit paginam, ubi de Monarchiâ Aſſyriacâ ſit ſermo, efficit, ut terra *Aſſur* non poſſit nobis eſſe incognita. Adde quod etiam Moſes in ſuâ Paradiſi deſcriptione Tigrin cum terrâ Aſſur componat, conſentiente omni hiſtoriâ. Veſtigia nominis relicta vide in voceas *Aturia*, licet regio contractior ſit Aſſyriâ. *Strabo; Atyria Lycum flumen intermedium ha-*

 bet;

Digitized by Google

bet; ſcilicet inter ſe & *Arbela*. Dein, *trans Lycum verò Aturiæ campi Ninum circumjacent*. Porrò, *in Aturiâ quoque pagus eſt nomine Gaugamela, apud quem Darius ſuperatus amiſit imperium.*

§. 3. *Aſſyria* hodie *Curdiſtan* (quaſi dicas *terram Curdorum*) appellatur, qui eam poſt tot fata, cædes, & vaſtationes occuparunt. Apud Ammianum *Corduene* dicitur. Hi *Curdi* ſunt, qui & *Gordiæi* appellantur. Hæc terra à lacu *Van* juxta Tigrin ſeſe uſque ad confinia *Bagdad* porrigit: in quâ hodiè cenſentur urbes *Cheriſoul*, *Amadiè*, *Sneirne*, *Betlis & Salmaſtra*. Antiqui fluvii fuerunt *Lycus*, *Gorgus & caprus*. Hodiè *Bohrus* infra ruinas Ninives; ſupra *cataractam* Tigris; *Zarb*, infra eam, fluvius ſatis magnus & rapidus, ex montanis Curdiſtan ac remotis locis adveniens. *Altun-ſou* in Curdiſtan, tribus à Bagdad dietis.

Aſſyria verò, legitimè ſpectata, dicenda eſt tota illa regio, quæ ſe à Tigri ad Mediam uſque protendit in Orientem: & inter Armeniam majorem à ſeptentrione ac Suſianam ab auſtro intercipitur. Ptolomæo in ei ponuntur ſequentes regiones, *Arrepachitis*, *Sittacene*, quæ etiam, *Apolloniatis dicta*, *Adiabene*, & *Arbelitis*. *Strabo* libr. 15. terminos Aſſyriæ facit *Perſiam & Suſianam*. *Arrhapa*, cujus territorium eſt Arrhapachitis, à Ptolomæo collocatur ad longit. 82: 10. ad latit. bor. 36: 30. *Apollonia* ad long. 81: 10. lat. bor. 36: 50. *Adiabene* à fluvio *Adiaba*, Chaldaicè *Hadiab*, nomen accipit, qui ipſe *Lycus* eſt, cui à ſeptentrione adjacet, & in quâ *Ninive* ponitur. *Arbelitis* eſt ad auſtrum *Lyci*. *Sittacene* ad Suſianam uſque ſe porrigit.

§. 4. *Ninive*, ita dicta quaſi *Nini* נוה *Nave*, ſeu *manſio*, apud *Jonam* Prophetam celebratur, ut *urbs maxi-*

maxima, in quâ ultra duodecim myrhiades hominum erant: magnitudo definitur *ambulatione tridui*, *Jon.* 3: 3. Figuram teſte *Diodoro* habuit parallelogrammi: latera enim duo parallela ad 150 ſtadia ſe protendebant in longum; duo reliqua, latitudinem urbis definientia, erant ſtadiorum nonaginta: ut longitudo excederet latitudinem ſexaginta ſtadiis: ambitus urbis fuit 480 ſtad. area 13500 ſtad. *Ammianus* ſitum ejus aſſignat in *Adiabene*, inter Tigrin & *Oenam*, in fertiliſſimâ regione. Tot provinciarum metropolis facta, amnium navigerorum operâ procul dubio maximam illam hominum multitudinem ad ſe pellexit. Ruinæ ejus ſpectantur ferè è regione *Moſul*, juxta orientalem Tigris ripam.

§. 5. *Calah* Cl. Bocharto eſt caput, & prima civitas regionis, quæ hinc Calachene audit; in confiniis Armeniæ, circa *Lyci* fluminis fontes. Fortè eadem civitas eſt, in quam abducta eſt pars Iſraëlitarum, quandò Salman-Aſſar decem tribus ſubegit: de quâ re videre licet 2 *Reg.* 17: 6. 18: 11. ubi inter urbes Aſſyriæ recenſetur, & ab urbibus Medorum diſtinguitur: nec obſtat; quod Moſes hoc nomen ſcribat כלח: in libris regum verò ſcribatur חלח: literæ enim ejuſdem organi ſæpe permutantur inter ſe. Quare Iſraëlitarum coloniæ hic incipientes deſcribuntur perrexiſſe in ipſam Mediam.

Inter hanc urbem & *Niniven* Moſes recenſet etiam *Reſen*, cujus memoria iniquitate temporum videtur deleta.

§. 6. *Arbela*, undè regio *Arbelis* aut *Arbelitis*, fortè *Irbel* dicta fuit incolis; atque ita mihi ſuſpicio naſcitur, eſſe eam civitatem, quæ Moſi *Ir* dicitur, ei-

 que

Digitized by Google

que per compoſitionem adhærere nomen *Beli* Aſſyriaci, quaſi dicas *Ir Beli*, ſicuti in *Ninive*, *Nini* nomen in compoſitionem venit. Iſte *Belus* poſtea divinis cultus eſt honoribus. Civitas ex hiſtoriâ Alexandri innotuit, ex quâ eam *inter Lycum & Caprum* conditam intelligimus.

§. 7. *Sittace* etiam trans Tigrim condita civitas, à quâ tota provincia *Sittacene* dicta fuit, teſte Strabone *Suſidi* proxima & poſtea *Apolloniatis* appellata: undè conſtat *Sittacenem* poſtea ſub *Apolloniatide* comprehenſam; fortè quia *Sittace* fato ſuccubuit, & *Apollonia* magis inclaruit.

CAPUT IV.

De Chaldæâ, ſeu Iracâ Arabiæ infra Euphratem, Parapotamia dictâ.

§. I. PRæter *Meſopotamiam* quoque *Parapotamia* luſtranda venit, ſeu terra *illa* ampliſſima, quam Arabes *Irac-elarab* in contradiſtinctione ad *Irac-elſars* appellant: exceptâ parte, quam in Meſopotamiâ vidimus, & ſupra Seleuciam uſque ad Diar-moſul excurrit. Doctiſſ. D. Hyde in notis ad itinerarium R. Peritzol ex Arabum libris oſtendit, *Iracam Arabiæ* ſeſe porrigere *à Tekrit* in Meſopotamiâ, uſque ad *Abbadân* civitatem ad ſinum Perſicum per 125 paraſangas; & à jugo *Hulvan* in confiniis Suſianæ uſque ad *Cadiſia* juxta deſertum *Negidon* per 180 paraſangas. *Parapotamia* verò eam Iracæ partem, quæ eſt infra Euphratem, continet:

Digitized by Google

net: atque ſe uſque ad ſinum maris Perſici protendit. In ſacris *terra Sinear* maximam ejus partem exhaurit; Moſes enim, regni Nimrodis antiquum deſcripturus territorium, ſcribit *Gen.* 10: 10. *Principium regni ejus fuit Babel, & Erech, & Accad, & Calno in terrâ Sinear.* Ubi quatuor indicantur majorum civitatum territoria, quæ primùm regnum illud Babylonicum conſtituebant: civitates enim iſtæ quaſi totidem provinciarum Metropoles cenſendæ ſunt; ita tamen ut *Babel* evaſerit totius regni caput, & prima civitas. Verùm cum Chaldæorum increſceret poteſtas, coloniis ex captivis gentibus factis verſus occidentem, facta eſt terra illa latior & auctior; atque plures nobilioreſque in eâ regione conditæ ſunt civitates.

§. 2. Incipiamus Parapotamiæ deſcriptionem, eam terræ partem quæ ab occidente eſt primum contemplando; atque ex Molonis hiſtoriâ intelligere licebit, eandem ſe in occidentem ad *Europum* uſque, quod Syriæ erat oppidum, porrigere; ſunt ab eo latere Syriæ Palmyrenæ ſolitudines, & deſerta Arabum; qui *Agreës* dicuntur, quorum primariam civitatem Cl. *Golius Hagjeram* vocat, atque *ad Bahrein* provinciam Arabicam ſpectare, affirmat: quod Cl. *Morinus* P. M. in notis ad Stephanum quoque animadvertit. Vocantur *Agreës*, quos *Strabo Scenitas* vocat, dicens: *Scenitas Parapotamiam præterire relicto à dextris flumine trium ferè dierum itinere.* Dicit porrò, eorum urbem *Scenas ſitam ſuper foſſam quandam in Babyloniæ finibus: atque ab Euphratis tranſitu Scenas uſque iter eſſe 25 dierum:* ut proinde non longè ab Arabiâ Felice extiterit. Terra autem illa omnis, quæ ſeſe ab Euphrate uſque ad paludes Borſippenas porrigit, videtur coloniis Judæorum conceſſa, & ab oriente claudi fluvio *Naar-*

Digitized by Google

Sares, ab Euphrate in *Suram* tendente, unde Geographo Nubienſi alveus Euphratis ad *Suram* dicitur. Terra ipſa civitates continet *Pombedithem*, *Pacoriam*, *Teridatam*, *Naardam*. Ad fluvium *Naar-Sares* conditæ civitates ſunt, *Sippara*, non longè ab ingreſſu Euphratis in hunc fluvium poſita, *Vologeſia*, & *Barzita*. Ad Arabes pertinet, quicquid ulterius eſt in occidentem, *Addæa* ſeu potius *Adada*, *Anna*, ſedes Principis, qui *Emir* dicitur, & *Rababah* uſque ad Palmyrenam.

§. 3. *Babylonia* ſtrictè dicta altera Parapotamiæ provincia eſt; *Babel* ejus fuit metropolis, ſicuti & totius Parapotamiæ caput: urbs ampliſſima, & quondam ſplendidè exculta, figuram habuit quadratam, 360 ſtadia in ambitu continentem, ita ut ſingula ejus latera 90 fuerint ſtadiorum. Plateæ civitatis omnes rectæ erant, & ſe mutuò ad angulos rectos ſecantes. Superba intra muros exſtructa fuerant ædificia: turriſque præalta, pro miraculo orbis habita, famam auxit. Bina in eâ celebrantur palatia, quæ ſimul urbis fuerunt propugnacula, ab utroque fluminis latere condita, & ponte juncta. Celebrantur & horti penſiles, & ſtupenda murorum latitudo atque altitudo, tanquam totidem quoque miracula orbis. Intra mœniorum ambitum campi fuerunt patentes. Juxta flumen, ſtadii latitudinem habens, quo urbs ſecabatur in duas partes, *opus* extitit *aggeſtum*, ſenſimque aſſurgens, quo aquæ fluminis exuberantes, ne diluvium faciant, arcebantur: ab orientali fluminis orâ urbs per 6 MP. ab occidentali verò per 5 MP. ſe porrigebat.

Fluvius autem iſte, qui *Babelem* ita mediam ſecat, eſt ille ipſe *Euphratis* alveus, qui à *Maſſice* (ubi ſcinditur Euphrates) in tractus Babylonios prolabitur, cur-

curſum ſuum verſus meridiem dirigens, & apud ſepulchrum Ezechielis cum *Cobare* fluvio *Anbaritem* (aut *Ancobaritim*) claudente confluentem faciens, uti auctor eſt *Benjamin Tudelenſis*: alias Geographo Arabi dicitur alveus, qui tendit ad *ALKATZAR*. Urbs illa celeberrima, quondam Monarchiæ ſedes teſte Strabone 300 ſtadiis (= 37 MP. cum dimidio) à *Seleuciâ Parthorum*; à *Pallacopâ* juxta *Arrianum* 800 ſtadiis (= 100 MP.) *à Maſſice* juxta *Ptolomæum* 40 minutis latitudinis aberat.

Ad antiquum illum Euphratis alveum, infra Babylonem ad 5 leucarum diſtantiam invenias urbem *Hilam* ſeu *Hellam*, etiamnum ſatis ornatam: atque indè porrò 4 leucas progreſſus turrim, quæ *Alkatzar* dicitur, & Ibn-obaira, deinde *Napham* ad dimidiam ſtationem, & tandem ſepulchrum Ezechielis, ſeu confluentem Euphratis cum Cobare, à Naphâ 3 paraſangis, ab *Hellâ* dimidio diætæ. Ad dimidium Milliaris à ſepulchro Ezechielis occurrunt ſepulchra *Ananiæ*, *Miſaëlis & Azariæ*. Notandum quoque, quod *Alkatzar* videatur ad orientalem fluvii partem, cui è regione ad occidentalem ripam adjacet pagus *Kierbela*, qui etiam *Meſched Huſſein* audit.

Inter hunc alveum Babylonicum & Naar-Sares, ad marginem Euphratis eſt locus *Heit*, 21 MP. ab occaſu urbis *Anbar*, qui Neweerio verſus *Bagdad* pergenti occurrebat inter *Gebbar* & *Anbar*, ubi multos vidit puteos ſeu fontes bituminis, aſphaltum ejicientes.

Ab occaſu Babylonis quoque teſte *Abydeno* Nebucadnezar lacum effodi juſſerat, muroque muniri, 40 paraſangas ſeu 1280 ſtadia in ambitu habentem; nec non 20 ulnarum profunditatem, ita ut ſingula ejus latera fuerint 320 ſtadiorum, ſeu 40 MP. Huic ſtagno clau-

clauſtra appoſuit, ut iis recluſis aquæ aliquandò ad agros irrigandos dirivari poſſint. *Sura*, ſive *Suria*, olim teſte *Benjamine Matha Mahaſia* dicta, locus eſt, ubi iter incipit in Syriam; ad fluvium *Naar-ſares*; qui indè alveus Euphratis ad *Suram* dicitur, condita videtur; à *Kuſâ* diſtat 1 diætam cum dimidiâ: in Syriam indè pergentibus per Naardeam uſque ad *Pombeditham* iter 3 diætarum cum dimidiâ.

Infra Babylonem fuit *Borſippe* urbs; undè regio Borſippene dicebatur, in quâ plurimæ erant paludes & aquarum receptacula.

Ab Oriente Babylonis regio erat, quæ *Anbaritis*, aut forte *Ancobaritis* dicebatur, intra alveum Babylonicum ab occaſu, amnem Cobar ab Oriente (ad ſepulchrum Ezechielis confluentes) & partem foſſæ Naar-Malca, ſeu fluvii regii à boreâ, incluſa. Urbs in iſtâ regione ad fluvium regium condita vulgò *Anbâr* dicitur, fortè contracte ex *Ancobar*, quaſi *fons Cobaris*; undè & amnis inſulam incingens apud Benjaminem Judæum *Cobar* dicitur; videtur antiqui Principis nomen, cui etiam effoſſio fluvii regii tribuitur. Veriſimile eſt eandem eſſe urbem, quæ apud Ammianum à *Sapore* Rege *Piri-Sabora* dicta, & incolis *Firauz-Sapor*. Eodem auctore civitas erat ampla & populoſa cum *Julianus* eam adiret, ambitu inſulari circumvallata, arcem habens aſperi montis interruptà planicie ſuperpoſitam; undè poſt iter XIV MP. ad fluvium venerunt, quem ſub nomine *Cobar* deſignavimus. Partem iſtius regionis inſularis diximus *Babelem* urbem occupaſſe.

§. 4. Sequitur *terra* ignoti mihi nominis, quam diſtinctionis gratiâ *terram palmiferam* appellabo: hanc pars alia fluvii regii à Meſopotamiâ dirimit, fluvius *Cobar* ab

Anco-

Digitized by Google

Ancobarite ; quam multis laudibus effert *Ammianus Marcellinus* , dicens , quod *trajecto fluvio* (qui nobis eſt *Cobar*) *latiſſimam ingreſſos Romanos regionem, in quâ plures erant agri, vineis varioque pomorum genere conſiti : ubi* (ſic pergit) *oriri arbores aſſuetæ palmarum per ſpatia ampla ad uſque Meſenem & mare magnum inſtar ingentium nemorum pertingunt : & quaquâ inceſſerit quiſpiam , termites & ſpadica cernit aſſidua, quorum ex fructu mellis & vini conficitur abundantia, et maritari palmæ ipſæ dicuntur : quâ cibi copiâ ſatur exercitus plures prætergreſſus eſt inſulas . . . ac propè locum venit , ubi pars major Euphratis in rivos dividitur multifidos.* Fluvius ille *Cobar* eſt alveus ad *Tzartzar* , uti eſt apud *Nubienſem. Civitas* in hoc tractu notabatur , quæ muros habebat humiles & Judæos incolas. Abhinc alia occurrebat civitas magna & validis mœnibus circumdata , quæ *Maoga-Malcha* dicebatur.

Hæc regio , ſi in auſtrum pergas , alias habet quoque civitates , ſub Muhammedanorum imperio conditas : eſt ibi *Cuſa* , notiſſima in hiſtoriis Arabum civitas , cui lat. bor. 31 : 30. tribuunt ; eam Caliph Omar muro cinxit ; atque juxta alveum Euphratis poſita , gratiſſimum occupavit locum ; fuitque iſte alveus , quem *Al-Edris* , qui vulgò *Geographus* dicitur *Nubienſis* , alveum ad *Cuſam* vocat ; alii eam civitatem etiam appoſitam dixerunt amni , qui *Nahar Iſa* audit , quem ſupra *Cuſam* à boreâ incipere , & per quinque diætas excurrere ajunt : ut amnis *Cuſæ* fuerit *Naar-Iſa* , qui *Herodoto IS* dicebatur : de quâ re in potamographiâ Orientis plura. In hujus civitatis viciniâ eſt *Jechoniæ Regis* ſepulchrum , quod Judæi adhuc viſitant. Diſtantia *Cuſæ* ponitur Arabibus à *Waſit* 5 manſ. à *Surâ* 1 diætâ cum dimidiâ. *Cuſæ* ejuſdem ſuburbium *Hasjema* fuit.

 Hira

Digitized by Google

Hira (quæ etiam *IR* dicitur) à *Cufâ* in occidentem duabus remota leucis, ſeu ſex MP. quondam regum Arabum Hirenſium ſedes fuit, qui ex Mondarorum familiâ ſub Monarchiâ Græcorum ibi longè lateque regnarunt.

Meſched Ali locus eſt, ubi Perſæ ſepulchrum *Ali*, filii Abitales, magnâ cum pompâ viſitant: à Cufâ abeſt in boreo-occidentem 6 MP. & à *Kair Chaidar* (per quem locum ad *Kierbelam* ſeu *Meſched Huſſein* progrediuntur) VIII aut IX Milliaribus.

§. 5. *Chalonitis* etiam nobiliſſima fuit terræ Chaldaicæ provincia, quæ *Meſene* Græcis dicta, & quidem ſuperior, ut diſtinguatur ab inferiori, ad ſinum perſicum ſita: incolis hodiè *Bagdad Dgezire* appellatur, id eſt *Bagdadi inſula*. *Tavernierus* inſulam illam cum Hollandiâ confert, ita aggeribus munita & foſſis diſſecata eſt; monetque in eâ eſſe ſylvas majores, & prata virentia, gregi atque armentis pabulum præbentia; undè magna butyri copia, quæ hinc in terras circumvicinas quotidiè diſtrahitur. *Julianus* tranſitis pontibus, multorum amnium concurſu continuatis ex terrâ palmiferâ hanc inſulam ingreſſus cum exercitu, apud *Ammianum* veniſſe dicitur *ad lucos agroſque pube variorum ſeminum lætos, ad regiam Romano more conditam, & vivarium omnia ferarum genera includens, regiis voluptatibus deſtinata.* In hâc inſulâ tres civitates occurrunt ſpectabiles.

Madain, quæ olim *Cteſiphon* dicebatur; eſtque eâ ipſa civitas, quæ apud Moſen *Calne* appellatur, undè tota regio apud Plinium *Chalonitis* audit. Hinc & *Calne* apud Paraphraſten Chaldæum Cteſiphon vertitur: Syris audit Calyo, & exponitur *Madain*: quod doctiſſ. *D. Hyde* ex duobus lexicographis Syris confirmat.

mat. *Cteſiphon* autem juxta tertium à Seleuciâ lapidem ad occidentalem Tigris ripam à Parthis in Chalonitide condita (ubi olim *Calne* fuerat) ſedes aliquandè Regum Parthorum fuit. Poſtea tenuerunt Muhammedani, atque ſub nomine Madain ad utramque Tigris ripam protendere aggreſſi ſunt. *Calcaſhendus*, Geographus Arabs 25 MP. à *Bagdad* diſtare ſcripſit.

Waſit ſecunda inſulæ civitas, quam Abdol-melik ad utramque fluvii ripam condidit 175 MP. ſeu VIII manſionibus à *Bagdad*, VII à *Baſſorâ*, & VI à *Cufa* juxta *Nubienſem*, cui tribuitur latitudo bor. 32: 20. Eſt & in viciniâ foſſa, quæ inſulam ſecat, & hinc Tigrin, illinc Delam, Euphratis alveum attingit.

Apamia tertia fuit inſulæ urbs, ad extremitatem inſulæ auſtralem vergens, non longè à loco ubi Tigris & Delas confluentem faciunt.

Teſcape, civitas Ptolomæo commemorata videtur ejuſdem inſulæ urbs fuiſſe, haud longè ab Apamiâ remota.

§. 6. *Terra Erech*, ultra Tigrin, olim Tranſtigritanam fecit provinciam, quæ ſeſe ad *Suſianam* uſque protendebat, atque ad ſinum perſicum uſque dilatabat. Eſt ibi urbs *Erech*, à Nimrodo condita, quæ Ptolomæo *Arecca* dicitur, ultra Tigrin ad ejus ripam ſita, procul dubio olim munita, ut ab iſtâ parte regnum adverſus hoſtium inſultus feliciùs defendi poſſet, atque ipſi commodè in illas oras eruptiones facerent. Præter *Areccam* in Tranſtigritanâ numerantur *Nahrawan*, *Nomania & Chulvan*: civitates à Tigri remotiores, de quibus videndi Geographi Arabes.

§. 7. Terræ *Erech* è regione eſt terra firma *Baſſoræ*, ad occidentale confluentis Tigris & Delæ latus luſtranda: fluvius ille *Paſitigris* eſt, atque à Gorno excurrit

rit ad Meſenem inferiorem. Hodiè regio illa tres continet civitates ; *Baſſoram*, *Abullam* & *Abbadanem*.

Baſſora ad lat. bor. 31 graduum condita civitas (ut Joſeph de St. Angelo in Gazophylacio ſuo Perſico ſe aſtrolabii ope, accuratiſſimè compoſiti, æquinoctiorum & Solſtitiorum tempore, ob majorem ſecuritatem comprobaſſe aſſerit) juxta foſſam in Paſitigrin exeuntem oportunum mercimoniis habuit ſitum : dimidio milliarii minoris ſupra foſſæ oſtium. Hodiè celeberrimum iſtius regionis eſt emporium, in quo omnia ex Indiâ advecta mercimonia commutantur & diſtrahuntur, quæ per ſinum Perſicum transferuntur. Ab extremitate inſulæ Chalonitidis, ubi *Paſitigris* ex fluviorum confluxu incipit, xv leucis diſtat, ſicuti & totidem à mari.

Abullah ſeu Abôllah altera civitas eſt, forte eadem, quæ Arriano dicitur *Apologus*, ad amnem cognominem condita, cujus oſtium 2 M. infra Baſſoram Paſitigri adjacet ; 2 M. ſupra *Baſſoram* amnis Abullæ aquas recipit amnis Mohal.

Abbadân tertium ejus regionis eſt oppidum, ad ſinum Perſicum conditum, atque ultimum conſtituit Iracæ Arabiæ terminum ad auſtrum, ſicuti *Tekrit* ad boream. Latitudo bor. ponitur. 30 : 15.

Teredon quondam fuit Orientis emporium, ſicut nunc *Baſſora*, cujus antiquiſſimi oppidi rudera adhuc conſpiciuntur 2 Leucis à Baſſorâ.

§. 8. Inter regionem Trans-tigritanam & terram firmam Baſſoræ occurrit *Meſene* inferior, ex variis inſulis compoſita regio, à ſciſſione Paſitigris orta, atque ſeſe ad ſinum perſicum uſque porrigens. *Thevenotius* dicit alveos duos eſſe primarios, quorum orientalis nomen fluvii Arabum retinet : occidentalis, rectâ in Meridiem tendens, *Chezer* dicitur, atque duo illa brachia grandem

Digitized by Google

dem formare inſulam. Addit & inſulam illam ſecari per canalem Haffar in duas quaſi, orientalem quæ *Geban*, & occidentalem, quæ Chadar dicitur. *Joſeph de St. Angelo* monet ex fluvio Chezer etiam alterum naſci alveum, cui *Sarragi* nomen, atque ex ſubdiviſione *inſulas efformari, deliciis affluentes, palmetis, cedris, vitibus, innumeriſque aliis fruticibus copioſas.*

§. 9. Tandem nos convertimus ad *Orchenorum* ditionem, quæ *Orchena* audit, & ſupra paludes *Borſippenas* invenitur, inter terram firmam Baſſoræ & *Agreës* Arabes. Regioni & genti nomen adhæret à civitate ejus ditionis primariâ, *Orchoë*: cui Ptolomæus long. 78: 30. & lat. 32: 40. attribuit. Ex *Plinio* diſcimus antiquum Euphratis oſtium, aquas in ſinum Perſicum egerens, & 25 MP. ab oſtio Paſitigris diſtans, ab his *Orchenis* & accolis fuiſſe præcluſum, quo agros rigarent, terramque colerent feliciùs. Notandum porrò Tigris oſtium occidentale apud *Ptolomæum* poni ad long. 79: 10. lat. 30: 34. undè ſi antiquum Euphratis oſtium removeas in occidentem 25. MP. invenies oſtii iſtius Euphratis locum verum ferè ad long. 78: 30. quæ cum longitudine *Orchöes* convenit.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Terrâ Cuſch & Arabiæ deſertæ populis.

§. 1. TErra *Cuſch* propter amnem, qui apud Moſen GIHON dicitur, *totamque terram Cuſch circumire* affirmatur, nunc porrò nobis luſtranda occurrit. In catalogo poſterorum *Chami* Moſaico primo recenſetur loco *Cuſch Gen.* 10: 6. cujus filii & nepotes licet varias cum nominum ſuorum impoſitionibus occupaverint telluris partes; nihilominus ſub generali proparentis nomine ſæpè comprehenduntur in ſacris; atque regiones à ſingulis incultæ, conjunctim ſpectatæ, *terra Cuſch* audiunt. Quandò autem Moſes hic *totam terram Cuſch* deſignat, ad terram omnibus Cuſchitarum tribubus communem reſpexiſſe palam eſt, ut *GIHON* concipiatur tanquam totius terræ Cuſchitarum terminus orientalis. Saltem & *Babyloniam* ſtrictè dictam, in quâ Babylon olim condita fuit (ſedes & principium regni *Nimrodis*) ad Cuſchitas tunc ſpectaſſe, vel indè conficitur, quod *Nimrod* apud Moſen ut *filius Cuſch* deſcribitur. *Gen.* 10: 7.

§. 2. Errant procul dubio, qui hìc loci de *Æthiopiâ Abyſſiniâ* cogitant, atque mirâ fluviorum trajectione verba Moſis ad Nilum transferunt: quamvis enim non putem negandum eſſe *Abyſſiniæ* gentes etiam in ſacris ſub *Cuſchitarum* venire nomine: nihilominus cum *Cl. Bocharto Arabiam* primitùs à Cuſchitis fuiſſe occupatam, atque indè emiſſis ultra mare rubrum coloniis *Abyſſiniam* ab iis fuiſſe cultam porrò, ſatis evidens eſſe,

exi-

Digitized by Google

ſtimem. Huc facit *Homeri* dictum Αἰθίοπες τοὶ διχθὰ δεδαίαται (*Æthiopes, qui bifariam diviſi ſunt*) οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος, *alii quidem ſunt occidentalis ſolis, alii verò orientalis.* Homero ſuffragatur *Strabo Geographus* libr. I. qui cum multis probaverat Æthiopes totam meridionalis Oceani oram occupaſſe, cauſam noſtram hiſce concludit verbis, Αἰθίοπες δίχα διῄρηνται φυσικῶς τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ. *Æthiopes naturâ bifariam diviſi ſunt mediante ſinu Arabico*; qui eſt ipſum mare rubrum, Arabiam ab Ægypto & Abyſſiniâ dirimens. Hinc conſtat *Æthiopes*, ſeu *Cuſchitas* fuiſſe etiam, qui *Arabiam* incoluerunt; cum *Arabia* dicatur, quicquid mari rubro adjacet ab Oriente, & inter ſinum hinc Arabicum, illinc Perſicum intercipitur. Ad *Cuſchitas* olim pertuiſſe *Arabes* dudum etiam evicit *Cl. Bochartus* iſtis argumentis, quæ omnibus doctis aſſenſum extorſerunt facilè, quæque repetere foret actum agere. Hoc poſito, evidens eſt, nullam eſſe neceſſitatem, ut amnis *Gihon* ad *Nilum* trahatur, aut *terra Cuſch* ad ipſam *Abyſſiniam*; cum *Arabia* quoque *Cuſchitarum* fuerit *terra*; & ejus pars magna Babyloniæ contermina. Imò dubitare licet, num *Cuſchitæ* Moſis ætate eo uſque quidem fuerint progreſſi, ut trajectò ſinu Arabico *Abyſſiniam* coluerint; ſaltem recentiſſimas fuiſſe tunc ultra ſinum Arabicum Cuſchitarum colonias juſta ſuſpicio eſt: ut *Arabia* fuerit *Cuſchitarum terra* primo jure, ac proin primo loco ſub iſtâ denominatione intelligenda.

Accedit, quod *terra Eden* nil quicquam commercii cum *Æthiopiâ Africanâ* habuerit, ut nec *Tigris & Euphrates* cum *Nilo*: nam Moſen excutienti palam eſt hortum illum beatum, cum terrâ, cujus partem facit, intra *Tigris & Euphratis* poni alveos: cumque terra illa

illa interamnana, iſtis terminis incluſa, propter maximam locorum diſtantiam cum partibus Africanis nullo modo conjungi poſſit; neceſſe eſt ut per *terram Cuſch* illam *Aſiaticam* intelligamus, ſeu *Arabicam*, quæ proximè ad *Euphratem* accedit, atque aliquem alveorum, in quos ſe amnis Edenis per juſta divergia egerit, pro termino agnoſcit.

§. 3. *Arabiam* itaque ingredientes, ut *Cuſchitas* inveniamus, eam diſtinctiùs luſtremus oportet. Antiqua ſatis eſt ejus diviſio in *Felicem*, *Petræam*, & *Deſertam*: conſtatque *Felicem* appellari, quicquid ad auſtrum vergit, intra ſinum Perſicum & Arabicum, ad mare Indicum uſque excurrens. *Petræa* verò terminos agnoſcit *Felicem* ab auſtro, *mare rubrum* ab occidente, *Palæſtinam* à Septentrione, *Deſertam* ab oriente. *Deſerta* autem ab aquilone Syriæ Palmyrenæ radit ſolitudines, & ſe porrigit in auſtrum uſque ad Arabiam Felicem; cæterum ab Oriente Chaldæam, ab occidente Petræam attingit. Ampliſſima illa terra non unam tamen cum receperit gentem, variaſque paſſa fuerit gentium mixtiones, tenendum eſt *Arabiam Petræam* potiſſimum ad *Iſmaëlitas* ſpectaſſe, atque apud prophanos auctores ſub uno *Nabathæorum* nomine venire, qui eos inter *Palæſtinam* & *Chablaſios* ponunt medios. Moſes rem ita definit *Gen.* 25:13..18. *nati Iſmaëlis ſunt Nebajoth* (undè *Nabathæi* dicebantur) *Kedar*, *Abdeel*, *Mibſam*, *Miſma*, *Duma*, *Maſſa*, *Hadar*, *Thema* (undè Themanitæ) *Jetur*, *Naphis*, *& Kedma. Hi ſunt filii Iſmaelis, & hæc ſunt nomina eorum in pagis eorum & palatiis: duodecim principes juxta populos eorum . . . atque habitarunt ab Havilâ uſque ad Sur, è regione Ægypti, ubi pergis in Aſſur.* In *Arabiâ* deſertâ invenias ex poſteris *Nachor* na-

Digitized by Google

nationes, *Utz*, undè Auſitæ, *Butz*, & *Cheſed*, undè *Chaſdim* ſeu Chaldæi, quæ gentes videntur in confinia Syriæ Palmyrenæ uſque ad Euphratem removendæ. Poſteritas *Abrahæ* ex *Keturâ* recenſetur *Gen.* 25: 2. 3. 6. ubi nati ex *Keturâ* dicuntur *Zimran*, *Jokſan* (ex quo *Seba* & *Dedan*) *Medan*, *Midiam*, *Jisbak* & *Suah*: atquè hi omnes dicuntur *terram orientem inhabitâſſe.* Horum celeberrimi ex *Sebâ Sabæi*, haud longè ab *Auſitis* poſiti, qui prædones, à Ptolomæo in Arabiâ deſertâ ponuntur: horum urbs *Sabe* eſt celeberrima Arabiæ deſertæ urbs apud Ptolomæum. *Strabo Sabæos* ληϛρικὰς & *Nabathæos* facit Syriæ vicinos, atque collocat inter Syriam & Arabiam felicem medios. Verùm potiſſimum ſpectandi ſunt *Cuſchitæ*, qui per totam Arabiam fuerunt diſperſi, & primi terram ingreſſi ſunt, incolis vacuam, ſicuti *Canaanæi* terram ſanctam. Moſes Cuſchitarum texens genealogiam ait *filios Cuſch fuiſſe Sebam & Havilam, & Sabtam & Räemam & Sabtecham. & Räemæ filios fuiſſe Schebam & Dedanem.* *Gen.* 10: 7. Imò addit, quod & *Nimrod* fuerit filius *Cuſch*, qui Babylonem fecit regni principium. Ex his Arabiam felicem tenuerunt *Sabta*, *Sabtecha* & præſertim *Regma* ſeu *Räema* unâ cum filiis *Scheba* & *Dedan*, monente Bocharto; Arabiam Petræam *Seba* pater *Jemamitarum*; Arabiam verò deſertam *Havila* & poſteri *Nimrod*, qui omnes fuerunt Cuſchitæ: quorum totam terram aquæ claudebant, quæ per Orchenorum oſtium ſinum Perſicum ingredientes, indè ad fretum Perſicum & ſic ad mare Indicum pergebant.

§. 4. Hæc cum evidentia ſint, mirari ſubiit, virum, de literis optimè meritum, Cl. Bochartum, oculos ſuos à ſimplicitate textus Moſaici avertiſſe, & *terram Cuſch*, in deſcriptione Paradiſi memoratam, non quæ-

ſiviſſe *in terrâ Cuſch*, ſed in tranſtigritanam aliquam regionem tranſtuliſſe, quam olim Cuthæi tenuere, & hodie ſub nomine *Cuſiſtan* celebrant, qui Orientem luſtrarunt. Scilicet *Cuſiſtan* nunc audire terram, quæ olim *Elam* dicebatur, affirmat Benjamin Tudelenſis: ſeu *Suſiana* appellatur apud Veteres, ut ſcribit *Joh. Cartwrigtus:* prout etiam in *Suſianâ* Elymæi ponuntur à Ptolomæo. Nominis originem tribuendam Cuſchitarum coloniis exiſtimat vir doctus, atque eam Cuſchitarum coloniam reſpicere Moſen, quandò *terram Cuſch* commemorat, perſuaſit etiam aliis. Huc refert *Cutham*, unde Cuthæi 2 *Reg.* 17:20. 30. obſervans more chaldaico literam ש in ת mutatam, quod inter eos frequenter obtinet.

Contra hanc viri ſummi ſententiam nos animadvertimus. 1. Quod Moſis ætate ea regio nequaquam *terra Cuſch* dicta fuerit, ſed *terra Elam:* quippe qui *in* hiſtoriâ Abrahami *Gen.* 14: 1. 9. regem *terræ Elam*, cui Kedor Laomer nomen, cum aliis educit, ut Pentapolin in terrâ Canaän invadentem. Obtinuit adhuc ea terræ appellatio temporibus Danielis, qui *Dan.* 8: 1. *Suſianam* ſub terrâ *Elam* comprehendit. Infra Suſianam ad maris Perſici ſinum πηλώδη, non procul ab Eulæi oſtiis *Elymæos* ſuis adhuc temporibus ponebant *Plinius*, *Ptolomæus*, & *Marcianus*, notante ipſo Bocharto: ut ea nominis mutatio in *Cuſiſtan* ſit poſteriorum temporum, & per conſequens huic rei minimè quadret. Neque ejus cauſſam promovet *Cuthæorum* gens: cum incertum ſit, num vox כותה *Cuthah* ſit terræ, an civitatis nomen, uti voces Babel & Hamath? Neque aliundè conſtet cujus fuerit regionis? num cis Tigrin, an verò ultra ſitus ejus quærendus ſit? Multò minus probari poteſt literam illam ת ex ש Hebræorum natam fuiſſe; quoniam ex hâc hypotheſi litera ש per ſcripturam

ram

Digitized by Google

ram Hebraicam fuiſſet reducenda. 2. Erroneum quoque eſt terram illam nomen *Cuſiſtan* à Cuſchitis accepiſſe; cum hujus origo derivanda ſit à *Ciſſis* aut *Coſſis*: dubiumque ſit an κισσοὶ & κοσσοὶ unam eandemque gentem conſtituant? Ptolomæus quidem utramque diſtincto nomine & loco recenſet: verùm id fortè propterea fecit, quod diverſa iſta nomina apud diverſos invenerit auctores, nec ad eundem ſitum relata; neque eum ſatis attendiſſe vagam fuiſſe *Coſſæorum* gentem, quæ latrociniis dedita ſparſim per plures errabat terras. Ex Plinii libr. 6: 27. conſtat hos latrones montana, inter Aſſyriam, Mediam, & Suſianam media, tenuiſſe. *Ciſſi* verò *Suſianæ* gens fuerunt, hinc *Strabo* l. 15. λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σούσιοι. *Dionyſius* Perieg. verſ. 1014. & 1015. de ſitu gentis in hunc modum cecinit.

Αὐτὰρ ὑπὲρ βαβυλῶνος, ἐπὶ πνοιὴν βορέαιο,
Κισσοὶ, Μεσσαβάται τε, χαλωνῖται τε νέμονται.

Cæterum ſupra Babylonem ad flatum Boreæ Kiſſi, Meſſabatæ, Chalonitæque habitant, ſeu vagantur. Ipſe *Ptolomæus* de iis ſcripſit ὑπὲρ μὲν τοῦς Ἐλυμαίους ἡ Κισσία, *ſupra Elymæos eſt Kiſſia*; terra ita nominata. Videntur *Kiſſi*, qui & *Koſſi*, ex montanis poſt multas terrarum in Oriente vaſtationes, terminos ſuos vagando protendiſſe, atque ſenſim *Suſianam* occupaſſe, aut ſe iis immiſcuiſſe; ita tamen, ut *Kiſſia* antiqua nimis fuerit à Tigri in Orientem remota, quam ut pro *terrâ Cuſch* apud Moſen commemoratâ cenſeri potuerit: neque hi *Kiſſi* unquam fuerunt Cuſchitæ, aut Cuſchitarum colonia, ſed primævi montanorum in oriente incolæ, à circumvicinis haud ſuperabiles. 3. Pone *Cuſchitarum* partem *Suſianis* olim immixtam fuiſſe, quod vult tamen ſine argumento Cl. *Bochartus*; non tamen indè facilè

Digitized by Google

cilè terram Suſianorum vocaveris *terram Cuſch*; multò minus *totam terram Cuſch*; minimè verò omnium ubi denominationem iſtam adhibeas ad accuratam partium rerumque diſtinctionem. Ab oppoſito latere ea occurrebat longè lateque terra, quam filii *Cuſch* ad unum omnes in primâ orbis diviſione occupaverant; ab hoc verò ex hypotheſi particula tantùm, ex colonorum immiſſione nata: veniunt itaquè iſtæ oræ à ſe invicem diſtinguendæ: utram tu lector intelligas per *totam terram Cuſch?* nativam ne & integram? præ particulâ, à colonis poſt occupatâ? expende prudentes. 4. Neque omittenda eſt conſuetudo Hebræorum, quibus *terra Cuſch* eſt regio, multum à Suſianâ remota, etiam poſt ſuperatam à Medo-perſis Babyloniam. Hoc evincit hiſtoria *Ahaſueri* regis, latè imperantis; in libro enim *Heſteræ* cap. 1:1. dicitur ille *regnaſſe ab Hodu uſque ad Cuſch*: jam fuit illi ſedes imperii *Suſan*, & primaria regni provincia *Suſiana*, *Hodu* ſeu *India* terminus imperii ab Oriente fuit, ut *Cuſch* ab occidente, ita ut utraque gens, & utraque terra ab ejus regno excludatur: quod verum non eſſet, ſi ipſa *Suſiana* fuiſſet agnita pro terrâ *Cuſch*: & procul dubio Ahaſuerus non ſolum omnem terram tranſtigritanam tenebat, ſed etiam quicquid ab occidente Tigris ſe ad Euphratem, imò ad Arabiam deſertam uſque, porrigebat. *Cuſch* ergò, nomen terræ in ſacris ſignificans, haud quaquam *Suſianam* ſeu Cuſiſtan denotat, ſed quod nos volumus *Arabiam*, ſi conſuetas vocum ſignificationes in ſacris retinere velimus.

§. 5. Arabes Scenitæ procul dubio occiduum Babyloniæ latus claudebant; *Plinius* libr. 6:28. rem ita refert. *Nomadas, infeſtatoreſque Chaldæorum Scenitæ claudunt, & ipſi vagi, ſed à tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur ubi libuit.. A Petrâ incoluerunt*

Oma-

Digitized by Google

Omani ad Characem uſque, oppidis, quondam claris, à Semiramide conditis, Abeſamide & Soractiâ: ***nunc ſunt ſolitudines.*** *Deindè eſt oppidum, quod Characenorum regi paret, in Paſitigris ripâ, Forath nomine, in quod à Petrâ conveniunt, Characemque indè* XII *MP. ſecundo æſtu navigant: è Parthico enim regno navigantibus vicus à Teredon infra confluentem Euphratis & Tigris. Læva fluminis Chaldæi obtinent, dextra Nomades Scenitæ.* Ex Stephano de urbibus tenemus, quod *Charace* ſit πόλις ἐν τῇ μέσῃ τȣ̃ τίγρητος μέσηνη, id eſt *civitas in mediâ Tigris Meſene*, quod de Meſene inferiori intelligendum eſt: ut flumen apud Plinium memoratum ſit brachium Tigris occiduum, in ſinum Perſicum infra Baſſoram & Teredontem erumpens, cujus læva Chaldæi, dextra Scenitæ Arabes incolunt. *Strabo* ſcribit *Scenitas Parapotamiam præterire relicto à dextris flumine Euphrate trium fere dierum itinere*; qui etiam Scenas urbem deſcripturus hæc refert. *Scenæ urbs memoratu digna, ſita ſuper foſſam quandam in Babyloniæ finibus: à fluminis Euphratis tranſitu Scenas uſque iter eſt 25 dierum.* Ex his conficimus, quicquid terrarum eſt ab occidente Parapotamiæ, in finibus Babyloniæ, ad Arabes pertinuiſſe, quorum regio eſt *terra Cuſch.* Scenitæ iſti, aliis *Agrees* dicti, uſque ad Arabiam Felicem ſeſe porrigebant: quæ tamen & ipſa *Cuſchitarum* fuit poſſeſſio. Nemo feliciùs quam Cl. *Bochartus* probavit Arabes & Cuſchitas eſſe, & in S. literis appellari: quare id extra controverſiam cenſendum eſt. Undè miror virum Cl. hìc Arabiam deſeruiſſe, terram *Cuſch* alibi quærens. Maneat ergò *terram Cuſch* fuiſſe Arabum Scenitarum, qui latus Babyloniæ auſtrale & occidentale claudebant.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Terrâ Havilah.

§. 1. QUoniam amnis PISHON dicitur *totam circumire terram Havilah*, etiam hæc regio nobis examinanda venit. Sine dubio terra hæc eſt poſterorum *Havilæ*, quam illi incoluerunt: cumque apud *Moſen* duo ponantur viri cognomines, qui ſingularum gentium fuerint capita, alter *filius Cuſch Gen*. 10: 7. alter vero *nepos Heberi*, *filius Joktan. Gen*. 10: 29. inquirendum primò, utra progenies à Moſe intelligatur? Dein expendendum, quænam fuerit noſtrorum Havilæorum vera ſedes?

§. 2. *Terra Havilah*, quæ fuit *Cuſchitarum*, videtur ea, quæ occurrit in Arabiâ deſertâ; ultra *Iſmaelitas & Amalekitas*, ad orientem. De hâc gente loquitur Moſes *Gen*. 23: 18. ubi *Iſmaelitæ* dicuntur *habitaſſe ab Havilah uſque ad Sur è regione Ægypti*. Atque eodem ferè modo termini habitationis *Amalekitarum* deſcribuntur, quandò dicuntur *à Saulo rege percuſſi ab Havilah, donec venias Sur, quod eſt è regione Ægypti*. Includuntur proin *Iſmaelitæ & Amalekitæ* ab occidente intra deſertum *Sur*, quod ſine dubio in confiniis Ægypti ponendum eſt, & ab oriente intra *Havilæos*. Agnoſco etiam lubens cum viris doctiſſimis hos *Havilæos* eoſdem eſſe, quos *Eratoſthenes* appellat *Chaulotheos*, *Dionyſius Chablaſios*, *Feſtus Avienus Chaulaſios* & *Priſcianus Chalbaſios*: omnium corruptiſſimè apud *Plinium* legitur *Chanclei*, quem tamen ſcripſiſ-

Digitized by Google

ſcripſiſſe conjiciunt viri ſagaciſſimi *Chaveleos*. Sane hos collocant unanimi conſenſu in Arabiâ deſertâ, Nabathæos inter & Agreës. Primus nobis teſtis eſto *Dionyſius Periegetes* verſ. 954-957.

> Ἀλλ᾽ ἤτοι πρῶτοι μεν ὑπὲρ κλιτὺν λιβάνοιο
> Ἀφνειοὶ ναίυσιν ἐπωνυμίην Ναβατᾶιοι
> Ἄγχι δε χαβλάσιοι τε καὶ Ἀγρέες οἷς ἐπι γαῖα
> Χατραμὶς ἐννάιει κατεναντία Περσίδος ἄιης.

Verum enim vero primi quidem ultra declivitatem Libani divites habitant cognomento Nabatæi. Prope autem Chablaſiique & Agrees: quos juxta tellus Chatramitica incolitur, è regione Perſicæ terræ. Scholiaſtes monet Nabathæorum metropolim eſſe *Petram*, ut hi *Arabiam Petræam* inhabitaverint; dumque numerare incipit, quilibet videt auctorem noſtrum ex occidente pergere in Orientem; cumque *Nabathæi* ſint Iſmaëlitarum portio, atque veniant pro Iſmaëlitis, Amalekitis & Hagarenis, Arabiæ Petrææ incolis, notiſſimum eſſe debet ex *Dionyſio* ultra *Nabathæos* proximè habitaſſe *Chablaſios* ſeu, quod idem eſt, *Havilæos* Arabes: atque poſt illos *Agreës*. *Eratoſthenes* apud *Strabonem*, *ab Heroum urbe Babylonem uſque adjacere Arabiæ Felici Nabathæos, Chaulothæos & Agreos.* Heroum oppidum in confiniis Ægypti eſt in occidente, ſicuti *Babylon* ſpectatur in Oriente, cumque dicit tres illas nationes adjacere intra illos terminos Arabiæ felici, ſatis innuit porrigere ſe gentes illas in longum à Syriæ partibus uſque ad Arabiam Felicem, quam tangunt ab auſtro æque *Agrei*, atque *Havelæi*, ita tamen, ut inter Havilæos & Babylonios intercedant *Agrei*, ſe quoque uſque ad Arabiam Felicem porrigentes, atque

eam

Digitized by Google

eam ad auſtro-orientem attingentes. *Dionyſius* indicat juxta hos *tellurem Chatramiticam* , Arabiæ felicis partem conſtituentem , inveniri , & quidem *è regione Perſicæ terræ*, ut ad ſinum Perſicum habitaverint. Dubium eſt , quod Vir alias ſummus *Cl. Bochartus* vult, in terrâ *Thehamâ Havilæos* habitaſſe ex *JOKTAN*, quod ex Geographo Eledris , qui vulgò *Nubienſis* dicitur , ſe eruere poſſe exiſtimat : ille enim in eâ provinciâ notat urbem aut munimentum occurrere, circa confinia provinciæ *Jamman* , cui *Chaulan du Sobaim* nomen , & caſtellum *Chond*, à gente ex terrâ *Chaulan* occupatum. Verum levius eſt illud fundamentum. Fatetur vir Doctus ejus tractus incolas *Agatharcidi Sarbos* & *Plinio Serbanos* appellari , ut proinde alia potuerit eſt nominis Arabici ratio.

Verum ponamus nominis antiqui in eâ donominatione eſſe veſtigia : an indè ſequitur eam gentem fuiſſe *Havilæ*, Heberi nepotis, progeniem? an tota ejus poſteritas tam anguſto includi poteſt termino ? docet me idem Geographiæ auctor *in terrâ THEHAMA vagos eſſe Arabes ex omni ſtirpe :* quid ni ergo *Chaulothæi* huc uſque potuerunt progredi , atque huc coloniam tranſtuliſſe , hoc munimentum condidiſſe , nec non caſtellum *Chond* occupaſſe : nam cum *Chaulothæi Arabiæ Felici* juxta *Eratoſthenem* adjaciant: nil mirum, ſi homines vagi eo uſque penetraverint aliquandò.

§. 3. Inquirimus igitur *in terram Havilæ* , quam Moſes reſpexit : atque aſſerimus graves ob cauſas , terram *Chaulothæorum* Arabum huc revocari non poſſe. 1. Quia *terra Havila*, hìc in oppoſitione ad *totam terram Cuſch* poſita , nequaquam ſignificare poteſt terram *Havilæorum Cuſchitarum*; quippe quæ ut regio particularis ſub notione generali *terræ Cuſch* comprehendi debet:

debet: ut neceſſe ſit ita *Moſen* intelligere, tanquam qui de *Havilæis* ex *Joktane* & *Hebere* loquatur, terramque deſignet ab *Heberis & Joktanis* poſteritate occupatam. Quoniam igitur *Chaulothæi* Arabes Arabiæ deſertæ incolæ Cuſchitæ fuerunt, nihil notiùs eſſe debet, quam eorum terram ab hâc deſcriptione Moſaicâ eſſe excludendam. 2. Accedit, quod *Havila* Arabiæ deſertæ, ejuſque incolæ *Chaulothæi*, nimis à terrâ Babyloniæ in occidentem removeantur à Geographis, quam ut fluvius *Piſchon* dici poſſit eorum regionem permeaſſe, aut circum iviſſe: vidimus enim non *Chaulothæos* Babyloniæ vicinos & conterminos fuiſſe, ſed *Agræos* ſeu *Agreës*, qui tertio ab occidente ponuntur loco, atque poſt *Chaulothæos*, dum enumeratio in orientem pergit, recenſentur. Errat ſanè tabula Cl. Bocharti ab auctorum jam allegatorum mente, quando hos *Chaulothæos* ponit ad ſinus Perſici angulum, in terrâ *Bahrein:* ita enim contra teſtimonium *Eratoſthenis* efficit, ut *Agrees* non adjaceant *Arabiæ felici*, intercedentibus nimirum in viri docti tabulâ *Chaulothæis*, eos ab iſtâ viciniâ arcentibus. Contra dicit *Dionyſius*, quod eam regionem teneant *Chatramitæ*; notantque etiam Arabes in terrâ *Bahrein* civitatem eſſe, quæ *Hadramath* appellatur, unde *illi* apud Dionyſium *Chatramitæ* procul dubio audiunt: ut malè confundant viri docti *Chatramitas* ad ſinum perſicum juxta *Agrees*, cum *Chatramotitis*, qui auſtralia provinciæ *Jamman* incolentes multum abhinc fuerunt remoti. 3. Addamus, quod *Havila* hæc Arabiæ deſertæ *nullo modo aurifera* dici poſſit. Fateor viros Doctos multa accumulare teſtimonia, quibus obtineant, Arabiam auro divitem fuiſſe terram, tam ex venis, quam fluviorum alluvio nobilis metalli copiam ſuppeditantem. Verum,

quod pace virorum maximorum dixero, id ullibi de Arabiâ deſertâ à quoquam Scriptorum antiquorum affirmari nunquam ſolidè probarunt, nec probabunt, ſat ſcio: ut proinde omnes iſtæ allegationes eorum propoſito parùm inſerviant: atque Chavilæ ſterili auroque vacuæ ne hilum proſint, quam *Piſchon* circuire oportebat, in quo tamen totus rei cardo vertitur. Excipit quidem vir optimus (*Bocharti* Hyperaſpiſtes) cujus eruditionem colo atque veneror, totam Arabiam forte *Havilam* vocari à Moſe, & vocatam fuiſſe, aut à *Chavilâ Joktanis* (licet terra inter fratres diviſa fuerit) cum fortè primus eam regionem occupaverit, aut fratribus ſe ducem præſtiterit, atque adeo nomen ſuum impoſuiſſe primæ regioni, Babyloniæ vicinæ, licet poſtmodum ad intimam oram penetraverit: aut à *Chavilâ Cuſchitâ*, qui forte ad exemplum *Nimrodis* fratris totam illam regionem ſubegit, ut inde ejus nomen admiſerit: imò fortè eum ſub fratris auſpiciis arma geſſiſſe, & eam partem à ſe occupatam, in ſignum victoriæ, à nomine ſuo appellaſſe, atque ita hoc nomen ad totam Arabiam tranſiviſſe, quod lepidè conjicit vir eruditiſſimus. Verum *toti Arabiæ* unquam nomen *terræ Havilæ* fuiſſe impoſitum, conjectura eſt viri docti, ſine ullâ ſpecie probationis. Juxta *Geographiam Moſaicam* ſingulæ regiones à tribuum patriarchis ſua habebant nomina: hinc catalogum nominum filiorum Chami concludens dixit Moſes. *Gen.* 10: 20. *Hi ſunt Chami filii, juxta eorum familias* (quæ ſingulæ à ſuis nomen aſſumebant patriarchis) *juxta linguas eorum: in ſuis regionibus, inque ſuis populis*: proin & regiones ſingulæ à primis ſuis incolis nomen acceperunt, & ad tempora Moſis uſque conſtanter retinuerunt: proin cum in Moſe *terram Havilam* lego, non aliam licet intelligere, quam regionem, ab *Havilais*

Digitized by Google

læis in diviſione orbis occupatam. Quod ſi de regionibus belli jure acquiſitis, atque mutatis inde nominibus aliquid foret ſuſpicandum; potiores forent *Sabæorum* partes, olim armis, rapinis, & invaſionibus in alios populos clarorum, qui eo titulo in antiquiſſimâ *Jobi* hiſtoriâ celebrantur. *Job.* 1: 15. & *Chaldæorum* verſ. 17.

§. 4. *Havila*, *Joktanis* filius (quem probavimus hic reſpiciendum eſſe, non verò *Cuſchitam* illum) à Moſe cum reliquis fratribus Patriarchis dicitur ultra *Meſcha* habitaſſe. Sic legas *Gen.* 10: 30. de filiis JOKTAN in communi, *& habitatio eorum erat à Meſcha, ubi pergis in Sephar montem in Oriente.* *Joſephus*, hæc verba reſpiciens, rem in hunc modum exponit; ἀπὸ κωφῆνος ποταμȣ̃ τῆς ἰνδικῆς, καὶ γῆς πρὸς αὐτȣ̃ Συρίας τινά. *A Cophene Indiæ fluvio, & quæ prope ipſum Syriæ loca quædam.* Verum quid Indiæ commune cum Syriâ? procul dubio hic error eſt eorum, qui codices exſcribendo hallucinati ſunt. *Euſebius* legit Σηρίας. *Hieronymus*, *Jeriam.* *Bochartus*, vir ſagaciſſimus, reſcribendum putat Ἀρίας, ut ſit *Aria.* Quicquid ſit, conſtat *Joſephum* Joktanis poſteros verſus *Indiam* ablegare. *Ophir* regio dicta fuit in Indiâ, unde claſſis Salomonis aurum advexit. 1 *Reg.* 9: 28. atque ita ſentiebant veteres, quotquot per fluvium *Piſchon Gangem* intelligunt. Contra *Guilhelmus Stuckius*, in doctiſſimis ſuis ad Arriani periplum notis *Joktanis* poſteritatem omnem in Arabiâ Felice quærendam eſſe voluit, ſuamque ſententiam viro maximo Cl. *Bocharto* perſuaſit, qui eam pro ſingulari ingenii ſui acumine eleganter adornavit, hoc adductus argumento, quod *nulla poſterorum JOKTAN in Ariâ aut Indiâ ſuperſint veſtigia*: in Arabiâ verò Felice omnia reſpondeant. Gra-

via tamen, ſi quid ſentio, argumenta ſunt, quæ vir eruditiſſimus *D. Heylinus* Anglus (Coſmographiæ linguâ vernaculâ conſcriptæ auctor celeberrimus) Sententiæ *Bocharti* oppoſuit, urgens. 1. *Joktanis poſteros* juxta textum ſacrum *in Oriente* eſſe quærendos; dicit enim *A Meſchâ, quâ itur verſus Sephar, montem Orientis.* Cum autem *Arabia Felix* Moſi, hæc ſcribenti, fuerit ab Auſtro, & Regina Sabæorum dicatur ab Auſtro veniſſe, cum Hieroſolymas appulſa audire ſapientiam Salomonis cuperet, valdè à lineâ eos aberrare aſſerit, qui regionem Orientis in Auſtro quærunt. Neque verbis textus ſatisfacere *Bochartum* cenſet, quandò dicit *Sephar montem Orientis* dici reſpectu τῦ *Meſcha*, cum per appoſitionem abſolutè ſine ullâ relatione dicatur *Sephar*, non *Meſchæ* ad oriente, ſed *mons Orientis.* 2. Notatu quoque dignum Arabiam felicem tempore *Peleg*, fratris *Joktan*, cum ille naſceretur, in diſperſione gentium *à Cuſchitis* fuiſſe occupatam: ut haud credibile ſit *Joktanis* poſteros voluiſſe terram petere, jam ab aliis poſſeſſam: aut ſe ſine ullâ neceſſitate immiſcere *Cuſchitis*, *Chamo* oriundis, hominibus à Noacho maledictis, & morum barbarie jam ab antiquo notatis. Neque facilem fuiſſe iſtius terræ aditum à quo *Nimrod Cuſchita* imperium tenuit Babylonicum: neque ingreſſum patere niſi per anguſtias terræ *Bahrein*, quas jam tum Scenitæ tenebant. Quis quæſo credat facile *Cuſchitas*, primos iſtius terræ poſſeſſores, octo tribuum gentem, optimam Arabiæ partem vacuam reliquiſſe, & Joktanis poſteris cedere voluiſſe? 3. Ampliſſima quoque fuit *Joktanis* proſapia, tredecim tribuum gens: quam ut in adeò anguſtum Arabiæ felicis angulum cogi poſſit, ac ſententia Bocharti poſtulat, quare id haud congruum videtur. Adimplen-

Digitized by Google

plendus erat orbis hominibus, & ſufficiens numeroſæ proli ſpatium erat quærendum. Neque dubium, quin *Ophir*, unam conſtituens tribum (concedente & probante ipſo *Bocharto*) Indiæ aliquam tenuerit regionem: an etiam *Ophir* ſeu *Auphir* fuerit in *Caſſanitide*, Arabiæ felicis regione? prout ſine adducto auctore video à *Bocharto* affirmari; multum dubito. Veteres ſaltem id nomen ignorant.

§. 5. Verum jactat Cl. *Bochartus* antiqua nominum veſtigia, quæ non facile in *Ariâ* & *Indiâ*, aut ullâ aliâ regione tranſtigritanâ invenias. 1. Aſt multa in derivationibus *Bocharti* deſiderat Cl. *Heylinus*: qui virum Magnum nimias feciſſe literarum etiam radicalium mutationes & tranſpoſitiones judicat, quando *Allumæotas* confert cum *Almodad*: *Manitas* componit cum *Abimâil*, & *Jobaritas* refert ad *Iobab*. Eundem aliquandò extra conſtitutos terminos vagari arguit, quando ſinum *Avalitem*, qui ad Æthiopiam ſpectat, cum *Obal* componit. Imò in aliis temere nimis procedere virum ſagaciſſimum ait, quando *inſulam* ἱεράκων ſeu *accipitrum* (à Græcis ab avium rapacium genere ita dictam) cum *Ierach* confert, & *terra palmifera* ab eo cum *Dicla* componitur, quaſi non multæ eſſent in Oriente regiones palmiferæ, & terra non à palmis, ſed à tribus alicujus primo parente veſtigia nominis retinuiſſe, debuiſſet probari? 2. Longè potiora eſſe in Oriente veſtigia poſterorum *Ioktanis* urget idem vir Doctiſſimus: convenientiùs enim ait, *Almodenam* Meſopotamiæ civitatem propè montem *Maſium* conferri cum *Almodad*; *Malos* ſeu *Mallos* ubi & civitas *Maliba* & *Malæus* mons, nec non *Malæi colon*, aurei Cherſonneſi promontorium, cum *Abimail*; *Arichôſiam* cum *Iarach*; *Cabolitem* in Paropamiſo cum *Obal*, quaſi Cobal: atque *Chadramotitas* ad oſtium In-

di cum *Chatzar-maveth.* Sunt qui *Dicla* cum *Dancale* componunt. *Ophir* extra controverſiam Indiæ populus eſt; *Evilæi*, quos cum *Brachmanibus*, tanquam duos Indiæ populos ad *Indum* fluvium conjungit *Geographus* (à *Gothofredo* editus quique ſub *Conſtantio* ſcripſit) facilè ab *Havilâ* derivantur. *Scheba* ultra ſinum Perſicum invenitur: ipſe *Bochartus* notat in *Caramaniâ Sabin* urbem deſcribi Ptolomæo, *Plinium Sabin* fluvium commemorare, & Dionyſium Periegetem *Sabas* canere vicinos Paſargadis populos.

Πρῶτα Σάβαι, μετὰ τὺς δὲ Πασαργάδαι.

Eſt etiam in Indiâ *Sabalaſſa* unum ex Indi oſtiis, *Sabanus* fluvius & *Sabana* civitas aurei Cherſonneſi. *Orites*, gens Indica etiam ad *Hadoram* referre licet. Reſtant ex tredecim nominibus ſolum *Seleph*, *Uzal & Iobab.* Verum mirandum non eſt, ſi omnia nominum veſtigia non adeò pelluceant in remotioribus à cognitione noſtrâ regionibus, quæ minus olim fuerunt luſtratæ, & de quibus ferè nil niſi fabulas narrarunt veteres. Nec termini habitationum, quorum Moſes mentionem facit, adeò ſunt obſcuri, quin *Meſcha* poſſit eſſe fluvius Saöcoras, qui etiam *Meſcha* dicitur, atque Meſopotamiam perluit: *Sephar* autem, mons Orientis, quid ni eſt mons *Sepphyros*? quem *Ptolomæus* ultra *Gangem* ponit, ut *Ophir* etiam intra terminum allegatum ſic inveniatur. Quibus ita poſitis concludimus cum Coſmographiæ auctore præſtantiſſimo *Cl. Bochartum* erroneè ſcribere, *nec locum alium Sephar nomine, nec ulla poſterorum Ioktan in Ariâ aut Indiâ veſtigia ſupereſſe.*

§. 6. Aſt dicet forte aliquis, ſi *Evilæi* ad Indi fluvium habitarunt? quomodo *Pishon*, fluvius in viciniâ

Eden

Digitized by Google

Eden, circumire potuerit totam terram *Havilah?* Nihilominus fieri etiam potuiſſe cenſendum eſt, ut hujus poſteritatis pars manſerit in regione Tranſtigritanâ, atque tenuerit inſulas ſinus Perſici cum parte terræ, ei ab oriente adjacentis. Neque diſſimulandum magnam rebus poſt Moſen introductam eſſe mutationem. Forte etiam veſtigia antiqui nominis invenias in civitate *Chulvan*, qui terminus latitudinis Iracæ Babyloniæ ponitur Orientalis: nam juxta Arabes ad long. 82:10. ſita eſt civitas, in confiniis terræ Suſianæ. Cl. *Hornius* in ſuis ad *Sulpitium* notis fortè huc reſpexit, quando ſcribit *eſſe etiam hodiè ſupra Baſſoram ad ſinum Perſicum regionem, quæ Chelſa dicitur, & cujus incolæ Chelſaleni audiunt; in quo nomine*, ait, *non obſcura ſunt Havilæ veſtigia: atque ita ad Orientem adhuc invenimus Havilam, quæ Chelſalenorum, id eſt Havilæorum prima fortè fuit patria.* Hic vir doctus procul dubio urbem *Chulvan* reſpicit, ejuſque territorium, quam in Iracâ Arabiæ recenſeri, Geographi Orientales communi conſenſu, affirmant.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Terrâ Eden.

§. 1. LOcum *Paradiſi* (ubi priſtinæ felicitatis quondam fuerat exoptatiſſima ſedes) accuratiùs inveſtigaturos ante omnia decet in terram EDEN (cujus intra limites comprehendebatur olim) ſedulò inquirere, ut verus ejus ſitus in lucem protrahatur, totumque hoc argumentum à dubiis, quibus involutum videtur, denuò liberetur. Nos in eâ ſumus ſententiâ, quod ſagaciſſima virorum doctorum ingenia, nimium ſibi indulgentia, nec ſatis ad Moſen, ejuſque ſimpliciſſimam deſcriptionem attendentia, ſubſequentibus eruditis hanc crucem fecerint: Moſen verò rem verbis, omni ambiguitate carentibus, tam feliciter abſolviſſe, atque ſtylo ſimplici adeo ad vivum depinxiſſe, ut nihil aliud factu opus ſit, quam ejus verba attentè excutere, quo rem definiamus. Inſpiciamus itaque, ut horti iſtius beati ſedem inveniamus, textum ipſum, ac preſſo pede Moſis dicta ſequamur. Ille dixit: *etiam Jehovah Deus hortum plantavit* (an plantaverat?) *in EDEN verſus Orientem, in quo hominem, quem formaverat, conſtituit. Gen.* 2: 8. Hæc inſpicienti ad oculum patet, primum mundi incolam hujus *horti Dei* factum fuiſſe colonum: eundemque locum in certâ terræ EDEN parte quærendum eſſe, ſi quis primum humani generis parentem adhuc integrum, & juſto in loco familiari cum Deo commercio ejuſdemque amicâ benevolentiâ fruentem, invenire cupiat; *hortum* enim illum præ omni aliâ terrâ pignoribus

Digitized by Google

bus divini favoris affluentem *in Eden* collocat vir Dei, & quidem in eâ terræ iſtius parte, quæ *verſus Orientem* vergit. Undè hoc agendum, ut, quod Moſis tempore erat notiſſimum, & injuriâ temporum à cognitione vulgi fuit remotum, certis ex characteribus denuò ad omnium cognitionem revocemus: hoc enim præſtito res ſalva erit. Proin hoc capite nobis inquirendum erit, in quânam orbis terreſtris regione, mundive parte ea terra *Eden* inveniatur, quæ iſtis characteribus reſpondeat? quo invento, facile erit definire, ejus particulam orientalem agrum illum continuiſſe, nobiliſſimâ illâ horticulturâ Dei à reliquis mundi partibus ſeparatum.

§. 2. Sunt, fateor, qui propter vocis עדן peculiarem homonymiam, hujus terræ inveſtigationem ſatis difficilem, & dubium indè natum vix ſuperabile autumarunt: quæſtio enim hic ſubnaſcitur; an vox iſta hìc loci nominis *appellativi*, num vero *proprii* ſignificationem exerceat? Negari nequit, quin vox עדן ſæpè appellativè *voluptatem*, *delicias*, & *amœnitatem* denotet; quo ſenſu etiam ad Græcos tranſiit, quibus ἡδονὴ idem eſt, quod Latinis *voluptas*, non aliter ac apud Hebræos. 2 *Sam.* 1: 24. *Pſal.* 36: 9. *Ezech.* 31: 9. 16. 18. Hunc uſum vocis qui reſpiciunt, vertunt hunc Moſis teſtimonium: *plantavit Jehovah Deus hortum voluptatis*; quam lectionem etiam verſio vulgata exhibens, multos in cauſâ præſenti reddidit ſuſpenſos. Sic quoque *Iſidorus* libr. 14. *Etymol.* cap. 3. *Hebraicè dicitur Eden, quod in noſtrâ linguâ deliciæ vertitur, & utrumque junctum facit hortum deliciarum.* Arripiunt hoc, qui ſitum Paradiſi incertiorem reddere, & ad lubitum ſuum in alienum tranſponere locum conantur; nihil à Moſe dictum volentes, quam quod

volu-

voluptuoſus fuerit ille tractus, & ex divinâ hâc plantatione voluptuoſior factus, quem ſalva adhuc primigeniâ integritate protoplaſtæ tenuerunt. Hinc ſibi licere quidam exiſtimarunt vel in cœlum adſcendere, vel in lunâ aliiſve regionibus cœleſtibus ultra terreſtris ſphæræ ambitum locum quærere, modo ſummis putetur deliciis refertus. Qui autem orbem hunc inferiorem haud quaquam ſibi eſſe deſerendum cernunt, nihilominùs quàm late patet terra exſpatiantes, cuicunque regioni applicari poſſe, modo conjecturis ſuis locus utcunque reſpondeat, aſſerunt. Hinc alii totum telluris orbem fuiſſe paradiſum, ſeu voluptuoſum; alii alterum telluris hemiſphærium ultra zonam torridam poſitum hoc gaviſum fuiſſe privilegio; alii inſulam Ceylon in Indiâ habere ejus veſtigia, alii alia pro voto ſuo, aut diſſentiendi prurigine ſtatuerunt. Qui tamen omnes *fruſtra* ſunt; poſito enim, non conceſſo, legendum eſſe *hortum voluptatis*, ut vox in appellativâ ſignificatione accipiatur, non tamen indè effecerint viri acutiſſimi tantam ſibi relictam eſſe amplitudinem, ut liceat in omnes ire telluris oras aut partes; cum fluviorum & nationum cognita nomina, in deſcriptione paradiſi Moſaicâ commemorata eos nobis ponant terminos, quos tranſilire, aut excedere nefas eſt.

§. 3. Aſt ſi phraſin ipſam in textu originali juxta linguæ genium expendamus, ſtatim vel ipſi tyrones animadvertent voces non eſſe poſitas in ſtatu conſtructo, ut verti poſſint *hortum deliciarum*; ſed potiùs à ſe invicem occurrere divulſas, cum per literam ב, præpoſitionis munere fungentem, tum per accentum diſtinctivum: aliud enim ſonat גן ארן *hortus voluptatis*, aliud גן בערן *hortus in Eden*, aut *in voluptate*: quoniam iſtius præpoſitionis vis eſt pro ſubjectâ materiâ circumſtan-

ſtantiam temporis aut loci vel etiam rei qualitatem ſignificare; non vero genitivum. Quod ſi quis tamen *qualitatis* ſignificationem præeligendam velit, atque per ellipſin dicta reſolvere; textum vertendo, *plantavit Jehovah Deus hortum*, qui erat vel foret *in deliciis:* ille teneat necdum rem ſalvam eſſe, dum verba ſic ſenſum commodum non fundant: nam cui quæſo foret *in deliciis? num Deo*, qui hortum plantavit? illene ex horti alicujus amœnitate concipi poteſt *voluptate* capi? Num verò *homini*; cujus nondum facta erat mentio? quis non videt hæc ad hominem nondum commemoratum referri non poſſe. Omitto jam tantas ellipſes præter neceſſitatem non eſſe fingendas, atque adeo contortam hanc expoſitionem præter cauſam nimium recedere à ſimplicitate textus, qui, ubi de loco, in quem homo primus erat introducendus, agens, non erat aliorſum rapiendus.

Certiſſimum eſt, vocem עדן *Eden* in quibuſdam S: Scripturæ dictis vim exercere nominis proprii, atque terram aliquam ſignificare ab aliis mundi habitabilis regionibus diſtinctam; ut videre eſt in locis 2 *Reg.* 19: 12. *Jeſ.* 38: 12. *Ezech.* 27: 23. ubi LXX nomen, tanquam alicui loco proprium, retinent, dum Ἐδέμ ſcribunt: nec dubium terram illam hoc nomen per excellentiam fuiſſe adeptam, eo quod omnibus ad amœnitatem & voluptatem facientibus quondam fuerit inſtructa. Jam dudum eſt, quod viri Doctiſſimi haud pœnitendis evicerint argumentis, vocem hanc apud Moſen pro regionis cujuſdam *nomine proprio* venire, neque aliter commodè accipi poſſe. 1. Quoniam hortus ille à Deo dicitur plantatus non ſimpliciter בעדן *in Eden*, ſed בעדן מקדם *in Eden ab oriente:* adeo ut ſubjecta materia loci deſignationem poſtulet, dum ejus pars o-

 rien-

rientalis definitur. Finis ſcriptoris eſt, ut benignitatem Dei agnoſcamus in horti alicujus præparatione, qui hominem recipiat, ut voluptatem adducat, non à naturâ loci, ſed ab arte ſummi artificis, dum divina eſſet plantatio, eopſe quod *hortus* eſſet, & tanto magis, quod Dei fuerit opus. Hinc Moſi animus eſt locum definire in terrarum orbe, locique partem, *in Eden verſus orientem*: ut hunc ſenſum ipſa ſenſus concinnitas exigat. 2. Confirmatur porrò illa vocis poteſtas & uſus ex *Gen.* 2: 10. ubi *fluvius* aliquis notatur *egrediens* מעדן *ex Eden*, *ad hortum irrigandum*: quod ſi *Eden* in iſtâ vocabulorum poſitione nomen loci non repræſentet, ex quo fluvius egrediens ad hortum irrigandum allabitur, non video quid verba iſta ſignificare poſſint. Quis mente ſanus ferat dictum *fluvius erat egrediens ex voluptate?* an ergò fluvius ille in voluptate erat in curſus ſui principio, eamque deſeruit cum hortum ingrediebatur? Hæc ſanè certiſſimum præbent documentum vocabulum *Eden* eo in loco certam quandam definire regionem, quæ utiliſſimo fluvio, horto irrigando inſervienti præbet ortum ſeu originem. 3. Quod ſi quis etiamnum hæreat? is quæſo nobiſcum paulò attentiùs perpendat, ut Moſes duarum terrarum (videlicet *Nod* & *Eden*) inter ſe collatione (*Gen.* 4: 16.) effecerit, de ſignificatione vocis, ut nomen terræ repræſentantis, nullam relinqui dubitationem: de exilio enim Caini agens, in quod fratricida divino propulſus fuerat judicio, ait *Cainum conſediſſe in terrâ Nod*, *ad orientem Edenis.* Vide ut duarum regionum ſitum inter ſe comparet, atque terram *Nod* fuiſſe reſpectu *Edenis*, ubi Deus paradiſum condiderat, *ab oriente*: & contra *Edenem terræ Nod* fuiſſe ab occidente. Cæcus eſt, aut ſpontaneè oculos claudit, qui hic

Digitized by Google

hìc non videat, quod *Eden* ſit terræ alicujus nomen proprium, à voluptate ſic appellatæ, atque Moſis ætate ſub eo nomine adhuc cognitæ.

§. 4. Antiqua nominis veſtigia extant in locis parallelis 2 *Reg.* 19: 11-13. & *Jeſ.* 37: 11-13. ubi *Rabſake* (gloriabundus coram rege *Hiſkiâ*, eumquè ſollicitans ad traditionem civitatis ſanctæ, ab eo obſeſſæ) inter terras, Aſſyriorum armis ſuperatas, enumerat *Gozan & Haran, & Retzeph, & filios Eden, qui erant in Teleſſar:* atque hinc pergens rogat porrò, *ubinam eſt rex Hamath? & rex Arpad, & rex civitatis Sepharvaim? Hena & Ivva?* Certum eſt *Rabſaken* veſtigia ſequi expeditionis, atque ab occupatis in Meſopotamiâ civitatibus ſuperatarum gentium incipere catalogum: incipit autem ille à civitatibus *Meſopotamiæ*, atque indè pergit ad civitates *Syriæ*. Ex *Ninive*, Aſſyriorum metropoli, poſtquam Aſſyriorum rex cum exercitu Tigrin trajecerat, Meſopotamiam ingreſſus, dicitur invaſiſſe & ſubjugaſſe *Gozan*, quæ *Gauzanitidis* erat in Meſopotamiâ metropolis; *Cl. Bochartus* in epiſtola ad *Lud. Capellum* etiam huic applicat. *Gozan* inquit, *ex Ptolomæo eſt Gauzanitis in Meſopotamiâ, ad Chaboræ & Saocoræ fontes poſita.* Sequitur *Haran*, ſecunda quam occupavit civitas; *Haran*, inquit, idem, *ſunt Carræ, Gauzanitide paulò inferiores ad Chaboram. Rezeph*, eodem auctore eſt *Reſchipha longè adhuc Carris inferior, ad Saocoræ oſtium.* Abhinc commemoratur civitas *Teleſſar*, quæ exhibetur ut *filiorum Eden*, atque videtur aut *Edenis* urbs, aut fortè incolorum *Edenis* colonia. His enumeratis tranſit in *Syriam.* Hinc colligere eſt, quod *Teleſſar* ultra *Reſchipham* quæri debeat. An ſit *Talatha* Ptolomæi, urbs Babyloniæ ad confluentem Tigris & Euphratis ſub

long. 80 : 10. & lat. 32 : 10. condita, (ut voluit *Bochartus*) an *Thiluta* Ammiani Marcellini, caſtrum in medio Euphratis, inter *Duram & Maſſicen?* planè incertum eſt: imò plurima fuerunt loca, quæ compoſita habent nomina, quorum partem facit vox תל. Sic *Eſdr.* 2 : 59. *Thel-melah* & *Thel-harſa*: atque apud profanos auctores; Sic apud *Eledris Talmauran*, locus xv MP. diſtans ab *Amidâ*, *Tal-alchair* 15 MP. à *Balad*, *Tal-nadaſa* 12 MP. à *Niſibi*, & *Tel-baſher* urbs cum arce ad Euphratem. Sic civitas noſtra *Telaſſar*, ut vox altera, compoſitionem ingrediens ſit *Aſſar*, uti in *Salman-aſſar* & *Nabo pol-aſſar*, ut videatur civitas ab *Aſſar* viri principis nomine ſuam accepiſſe denominationem, præpoſitâ voce *Tel* aut *Tal*, quæ *cumulum* ſignificat. Notatu quoque dignum, quod *Thelde* in Meſopotamiâ civitas fuerit propè fluvium *Saöcoram*, quæ forte *Thel-aſſar* quoque dicta fuit, à quo iſtius nominis princeps eam ornavit. Sanè non putem expeditionem illam egreſſam fuiſſe Meſopotamiam, nec & tranſiiſſe flumen deſcendendo ultra Meſenem ſuperiorem, in Babyloniam; quia tunc Aſſyrii deberent concipi Babylonicum jam tum occupaſſe imperium, & Parapotamiam tenuiſſe uſque ad Meſenem inferiorem: quia haud probabile eſt Aſſyrios eo uſque progredi auſos fuiſſe, relictâ à tergo *Babylone*; quod fieret, ſi uſque ad *Talatham* Ptolomæi arma ſua protendiſſent Aſſyrii, ut ex tabulis Geographicis inſpicienti ad oculum conſtat: omitto jam, quod *Calne* (poſtea *Cteſiphon* dicta) fuerit urbs longè eo tempore præclarior, quam prætermittere cum exercitu haud tutum erat; quæque ſupra *Thalatham* Ptolomæi fuerat in *Meſene* condita: aut ſi *Calnem* & *Babylonem*, longè præclariora oppida, eâdem expeditione ceperant Aſſyrii; cur

Digitized by Google

cùr illa non allegat in hâc ſuâ gloriatione de armorum Aſſyriacorum ſucceſſibus *Rabſake*? quod magis ad terrorem incutiendum feciſſet: ut hinc tutò concludas civitatem *Telaſſar* extra Meſopotamiam (quicquid velint viri docti) non eſſe quærendam.

§. 5. Noſtræ indaginis eſt terram *Eden* ex ſuis eruere characteribus, atque ejus ſitum diſtinctiùs definire. Notamus proinde. 1. Terram *Eden* non eſſe concipiendam ut regionem amplitudine vaſtam, aut multas ſub ſe provincias continentem; quia diſtinguitur à variis proximè adjacentibus terris, videlicet à terrâ *Nod. Gen.* 4: 16. à terrâ *Aſſur. Gen.* 2: 14. à terrâ *Havilah Gen.* 12: 11. & à terrâ *Cuſch. Gen.* 2: 13. ad quam etiam terra *Sinear* ſpectavit. *Gen.* 10: 8-10. Imò *filii Eden* à Meſopotamiæ quibuſdam nationibus incoliſque diſtinguuntur 2 *Reg.* 19: 12. dum poſt incolas *Gozan*, *Haran & Rezeph*, ut nova gens recenſentur. 2. Terram *Eden* quoque non nimium eſſe removendam à duobus illis fluviis *Euphrate & Tigri*, qui aquas fluvii *Edenis* per ſua oſtia erumpentes (à quo hortum Dei irrigaverant) ſciſſione factâ recipiebant: quod ſanè fieri haud potuit, niſi hortus ille in utriuſque fluvii viciniâ fuiſſet. Sic & locus 2 *Reg.* 19: 12. nos credere jubet, ut filii *Eden* non longè ab *Haran & Rezeph* habitarint, & ex Septentrionali Meſopotamiâ pergentes in auſtrum & Orientem poſt *Haran* & *Rezeph* occurrere debuerint. 3. Nec utriuſque fluvii *Tigris & Euphratis* alveos eſſe trajiciendos, ut inveniatur; dum intra utrumque terram *Edenem* fuiſſe concluſam vel hinc conſtet, quod alias explicari nequeat, quomodò ille amnis, *ex Edene exiens* (hortumque Dei perluens) ſe in quatuor capita dividendo, uno ramorum *Tigrin*, alio *Euphratem* ingrediatur, niſi inter utrumque progredi

Digitized by Google

gredi agnoſcamus; cujus characteris ope omnis terra Cis-Euphratea, & Tranſtigritana excluditur; atque neceſſe eſt, ut vel in *Meſopotamiâ*, vel *in Parapotamiâ* olim extiterit, intra utriuſque fluminis alveos, quos utrimque diverſis tamen attingat amnis ille effluviis. 4. Imò *terram Eden*, Tigri proximam, in tranſtigritanis oris è regione habuiſſe *terram Aſſur* quartus ejus character eſt, ex *Gen.* 2: 14. obſervandus; ubi quartum, quod amnis *Edenis* ſubingreditur, caput *eſt Tigris, qui orientem verſus Aſſyriam adit*: quod de toto Tigri dici non poteſt; ſed ſolum de illâ alvei ejus parte & flexurâ, quæ unum brachiorum *amnis Edenis* recipit; cum aliàs ſi totum illum fluvium ſpectemus, potiùs dicendus ſit in auſtrum pergere. Efficit autem ille character, ut Meſopotamiam non egreſſa fuerit *terra Edenis*: quod etiam de civitate *Teleſſar*, quæ filiorum *Edenis* fuit, (§. 4.) adſtruximus. Huc facit etiam, quod antiqui nominis veſtigia quoque huic Meſopotamiæ parti etiamnum adhæreant, quæ inter *Tigrin* & *Saocoram* (ſeu ut alii appellant *Meſcham*) intercipitur: eſt enim ſupra Bagdad adhuc fluvius *Odeine*, ex Meſopotamiâ in Tigrin influens, ut notat *Tavernierus*, diligentiſſimus illarum terrarum luſtrator: eſt & in viciniâ oſtiorum inſula ei cognominis, quam Tigri fluvio ambiri, & circiter decem milliaria anglica continere, *Edenemquè* dici teſtatur *Joan. Cartwrigtus* Anglus in ſuo itinerario. Imò addit Cl. *Morinus* in diſſ. de paradiſo terreſtri pag. 13. Inſulæ iſtius Edenis incolas pro paradiſi parte etiam illam habuiſſe. Eſt autem hæc eadem illa inſula, quam in potamographiâ Tigris inter *Tekrit & Samorram* indicabimus; ubi inſula illa deſcribitur tanquam foſſâ, ex Tigri aquam recipiente, à continenti avulſa, & ad Meſopotamiam pertinens.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Negat quidem *Cajetanus* terram filiorum *Eden* (cujus ſit mentio in locis 2 *Reg.* 19: 12. & *Jeſ.* 37: 12.) huic terræ *Eden* eſſe applicandam, in quâ Deus hortum illum paradiſi condiderat: ſed ratio negandi levior eſt: ita enim loquitur ad *Gen.* 2. *Eden, de quo hic agit Moſes, & in quo Adam locatus eſt, fuit poſt ejectionem Adæ inhabitabilis & inacceſſus hominibus, propter cuſtodiam Cherubini, in aditu ejus poſitam: at hæ regiones erant maximè cultæ, de quibus ſupra dicti loci agunt.* Aſt, non duravit illa angeli cuſtodia in ſempiternum; verum à quo communis terræ impoſita maledictio hortum illum perdiderat, atque arborem vitæ & cognitionis boni & mali cum reliquis deliciis deſtruxerat, ratio indè arcendi homines planè ceſſavit. Præſertim à diluvio, cujus ebullitione maxima telluris facies fuit corrupta, & mirum in modum ſubverſa. Nil obſtat proindè, quo minùs illa regio à diluvio, ſub diſperſione humani generis, ſed depravata, rurſus fuerit à Noachi poſteris exculta & occupata. Sanè eâ in regione oſtendimus *filios Eden* inveniri, quæ deſcriptioni paradiſi Moſaici reſpondet quam proximè, quod ad ſcopum noſtrum ſatis eſt: præſertim cum Moſes terras & fluvios ſub iis deſcribat nominibus, quibus iſtâ ætate loca illa erant cognita.

Maneat igitur terram Eden in Meſopotamiâ è regione Aſſyriæ, haud procul à Tigri, & Euphrate inflexo, ubi oſtium Saöcoræ prætermiſit, verum ſuum ſitum ætate Moſis habuiſſe.

Digitized by Google

PARS SECUNDA,

Potamo-graphia, ad amnium & fluviorum, Paradiſi ſitum illuſtrantium, deſcriptionem ſpectans.

CAPUT I.

De Euphrate.

NOtiſſimus omnium fluviorum, quorum mentionem in Paradiſi deſcriptione facit Moſes, eſt *Euphrates*, qui in textu ſacro indigitatur ſub nomine פרת *PHRATH*. Lxx hanc vocem conſtanter *Euphratem* vertunt, nihil hæſitantes. Ipſa denominationis utriuſque convenientia eam verſionem confirmat. Græci procul dubio eam fluvii nomenclaturam ab Arabibus, terræ incolis, acceperunt, atque terminationem genio linguæ ſuæ conſonam adjecerunt: Arabes enim eum fluvium præpoſito ſuo articulo appellant אל-פראת *Alphorath*, quod Græci ex ſenſu aurium perceperunt ſub ſono *Euphrat*, & cum terminatione Græcâ reddiderunt εὐφράτης. Niſi fortè ex *Iphrat* (quæ vox Arabibus *aquarum inundationem* ſignificat) fluvius quoque incolis *Iphrat* audierit, idque à Græcis *Euphrat*, & *Euphrates* ſit redditum: ita præclariſſimus ille Orientis fluvius nomen ex beneficio retulerit, quod in circumvicinos agros inundationibus ſuis impendit, dum eos limo ſuo ſuperinducto reddit

Digitized by Google

dit uberiores. Notavit hoc *Cicero* lib. 2. *de nat. Deor. Meſopotamiam*, inquit, *fertilem efficit Euphrates, in quam quaſi quotannis novos agros invehit :* annuum hoc beneficium indicat, quia certâ anni tempeſtate illa inundatio fieri dicitur. Hujus reſpectu cum *Nilo* comparatur, qui & ipſe annuâ inundatione pinguiori ſuo limo agros Ægyptiacos fœcundat; de quâ re ita cecinit *Lucanus* libr. 3.

- - - - - - Sparſus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ.

Ubi Poëta per *Pharias undas Nilum* ſubinnuit, quocum Euphratem comparat.

§. 2. *Euphratem*, celeberrimum illum *Meſopotamiæ* fluvium, in ſacris denotari, ubicunque fluvii *Phrath* fit mentio, vel indè conſtat, quod ponitur in promiſſione Abrahamo factâ ultimus hæreditatis poſterorum Abrahami (quandò latiſſimè regnarent) in oriente terminus. Ita legimus *Gen.* 15: 18. *Semini tuo dedi terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad magnum fluvium, fluvium Phrath.* Confer etiam *Joſ.* 1: 4. Quâcum promiſſione ſi conferas ejus implementum (2 *Sam.* 8: 3.) obſervabis ſpontè hâc appellatione indicari magnum illum fluvium, qui ſupra *Syriam Zobæ* manat in oriente: eo enim in loco David dicitur felicibus armis regem *Zobæ* in Syriâ ſubjugaſſe, manumque ſuam porrexiſſe ulteriùs verſus *fluvium Phrath*, id eſt, *Euphratem.* Innoteſcit etiam idem ille fluvius eodem ſub nomine ex prælio regis Ægypti, cum rege Babyloniæ ad fluvium *Phrath prope Carchemis* commiſſo, de quo inſpice *Jer.* 46: 2. 6. 10. Quis non in voce *Carchemis* animadvertit nomen *Cercuſii* civitatis ad Euphratem condi-

tæ, ad oſtia fluvii *Chaboræ*, confluentem utriuſque radentis Depingitur etiam *Phrath* ut nobiliſſimus Babyloniæ fluvius in hiſtoriâ; quæ occurrit *Jer.* 51: 63. ubi *Serajah*, legatus Regius, Babylonem deſtinatus præceptum accipit ſecum aſſumendi librum Jeremiæ, deſcriptionem judiciorum Dei in Babylonios continentem, atque eundem à lectione publicâ in medium τȣ̃ *Phrath* projiciendi, additâ comminatione, ita Babelem projecturum Deum in profundum, ut ſubſidat & nunquam emergat. Ex quibus argumentis conficimus extra omnem dubitationis aleam eſſe collocandam, quod qui Moſi in ſuis libris audit *Phrath*, ſit ille ipſe fluvius magnus, atque nobilis Orientis, qui in hiſtoriis *Euphrates* dicitur, & non nunquam terminus fuit imperii inter Parthos ab oriente & Romanos ab occidente dominantes.

§. 3. Qui hujus fluvii *Euphratis* originem debitâ indagarunt ſedulitate, fontes ejus in Armeniâ aſſignant, eâque majori. *Strabo* libr. 11. dicit *Euphratem fontes habere in parte Tauri boreali.* Veteres Latini auctoritatem *Domitii Corbulonis* & *Licini Mutiani* adducunt, quorum ille fontes Euphratis ponit *in Caranitide, præfecturâ Armeniæ Majoris*, montiſque partem illam *Abam* vocat, hic vero *Catapoten* appellari tradit. Ex noſtri ſeculi hominibus, qui *Armeniam* luſtrarunt, eſt *Tavernierus Gallus*, qui *montem*, ex quo fluvius noſter proruit, *magnum* vocat, *fontiumque multitudine celebrem:* incolis verò *Mingoul* hodie appellari tradit: ſitum autem ejus montis inter præclariſſimas civitates *Erivan* & *Kars* deſcribit.

Aberrant ſanè à vero, qui *Euphraten & Tigrin*, ex uno eodemque fonte prolabi aſſeverant, ut *Lucanus* libr. 3. quandò in hunc modum canit.

Qua-

Digitized by Google

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diverſis fontibus edit
Perſis; & incertum, tellus ſi miſceat amnes,
Quod potius ſit nomen aquæ: ſed ſparſus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ.
At Tigrim ſubito tellus abſorbet hiatu,
Occultoſque tegit curſus, rurſuſque renatum
Fonte novo flumen Pelagi non abnegat undis.

Hunc ſequitur ducem *Boëthius libr. 5. de conſ. Philoſophiæ* ſcribens

Rupis Achameniæ ſcopulis, ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax,
Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt,
Et mox abjunctis diſſociantur aquis.

Strabo libro 11. contra utriuſque diſtantiam notat, ubi dicit *Euphratis fontes & Tigris inter ſe diſtare ad ſtadia duo millia quinquaginta:* quæ trecenta circiter conficiunt milliaria. Idem affirmat *Q. Curtius* libr. 5. *Ipſi amnes* (inquit, ſcilicet Tigris & Euphrates, de quibus loquitur) *ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio iter, quod coëpere, percurrunt.* NB. *Duo millia & quinquaginta ſtadia emenſi ſunt, qui ampliſſimum intervallum circa Armeniæ montes notarunt.*

§. 4. A fonte pergentes primo conſpectu magnam facit aquarum prorumpentium colluviem, quam *Pomponius Mela* deſcribit libro III. *de ſitu orbis*, cap. 8. his verbis. *Euphrates immani ore aperto, non exit tantum undè oritur, ſed & vaſtè quoque decidit: nec ſecat*

Digitized by Google

continuò agros, ſed latè diffuſus in ſtagna, diuque ſedentibus agris & ſine alveo patulis piger, poſt ubi marginem rupit, verè fluvius eſt. Magna itaque aquarum copia ex immani ore ſimul erumpit, & ex alto ſe præcipitat, ubi ex intimis montis viſceribus primo in publicum prodit: nec ſtatim alveum inveniunt prorumpentes aquæ, ſed magnum agrorum ſpatium occupant, variaque faciunt ſtagna, margine communi aquas includentia, atque unum exitum, ubi marginem rumpunt, habentia. Naſcitur itaque *fluvius* alveo ſuo incedens ab eo loco, ubi aquæ ex ampliſſimo receptaculo exeuntes marginem rumpunt.

§. 5. Primus ejus curſus in occidentem vergit. Audiamus iterum *Pomp. Melam: verè* (ab eruptione) *fluvius eſt, acceptiſque ripis & fremens per Armenios & Cappadoces occidentem petit, ni Taurus obſtet, in noſtra maria venturus.* Adde *Strabonem. Fontes habet in parte Tauri boreali: fluit ad occidentem per Armeniam, quæ major appellatur, uſque in Armeniam minorem, quam à dextris habet, à ſiniſtris verò Liſanam.* Monuit autem *Licinus Mutianus* Romanam gentem Euphratem *ſuper radicibus montis ſuper Cyrniram* 12 *M. paſſ. initio Pixiratem nominari:* ut nondum nomine Euphratis veniat, quàm diu in Armeniâ majori hæret.

§. 6. Secundus hujus fluminis curſus ſe convertit in auſtrum. *Strabo* libr. cit. *Deinde ad auſtrum flexus, confiniis jungitur Cappadocum, quam ad dextram relinquit, ad ſiniſtram Comagenorum confinia: rurſumque à Sicinſinâ etiam Sophenâ majoris Armeniæ ad ſiniſtram relictâ, progreditur in Syriam.*

§. 7. *Euphrates* igitur propriè dicitur fluvius ille noſter, ubi Meſopotamiam radit lævâ, dexterâ vero Syriam,

riam, Arabiam, & Babyloniam: quare ad noſtrum ſcopum tantummodo facit, nobiliſſimum hunc fluvium à Tauro monte (qui Armenios à Meſopotamiâ dirimit) diligentiùs luſtrare. *Strabo* rectè monet *Euphratem Meſopotamiæ latus occidentale & auſtrale alluere:* occidentale dum à Samoſatâ in auſtrum tendit, atque Meſopotamiam à Syriâ disjungit: Auſtrale verò, dum curſu inflexo in orientem progreditur, atque Arabes & Babylonios à Meſopotamiâ arcet, in progreſſu mediante fluvio regio etiam *Parapotamiam* & *Meſopotamiam* diſtinguens *Plinius* duplicem illum curſum notans, primum his verbis definit. *Ita fertur uſque Uram locum, in quo converſus ad Orientem relinquit Syriæ Palmyrenæ ſolitudines.* 1. Primus itaque Euphratis curſus eſt à *Samoſatâ uram uſque*, quo occidentale Meſopotamiæ latus claudens à boreâ vergit in auſtrum. Aſt vitium eſt in codicibus Plinii, atque legendum *Duram*; qui locus eſt inter *Cercuſium & Aanam*, ut jam ante notavimus. *Al idris*, qui geographiæ Nubienſis eſt auctor, monet, quod Euphrates ubi à Samoſatâ ad auſtrum excurrit cum aliquâ inclinatione vergere in Orientem; atque indè pergere ad *Sobcham* pontem: hinc ad oppidum *Rafekam* & *Rakkam*, in cujus viciniâ *Mohammediam* ab occidente alluit: unde ad civitatem *Chabucam* progreditur, atque porrò in *Cercuſium*, ubi aquas *Chaboræ* recipit, nec non in *Rahabath Melik*, infra quam civitatem alveos emittere incipit. Interea recipit etiam *Euphrates* ex Meſopotamiâ aliquot amnium oſtia: præclariora autem duo ſunt, oſtium fluvii alicujus, qui Ammiano *Belias* dicitur, atque apud Davanum ortum habens; hunc ait ſupra *Callinicum* aquas ſuas in Euphratem effundere. Alterum eſt *Chaboræ oſtium*, infra Callinicum, apud *Cercuſium*, ad Chaboræ & Euphra-

tis

Digitized by Google

tis confluentem conditum. Gaudet quoque illa *Euphratis* pars duplici trajectu, quorum ſuperior dicitur ad *Zeugma*, inferior ad *Thapſacum*. *Zeugma* (dicit *Plinius*) LXXII *MP. à Samoſatis, tranſitu nobile.* Zeugma vero eſt eadem civitas, quæ poſtea *Hierapolis* Græcis dicta fuit, *Arabibus Manbegz*, atque Syriæ Cyrrhiſticæ haud infima civitas, XXV MP. à ponte diſtans, ut ex *Almegrebi* Geographo Arabe me docuit vir doctus. *Thapſacum* apud *Plinium Amphipolis* dicitur, & propè Europum ponitur, apud Arabes ſcenitas. 2. Secundus Euphratis curſus, ubi ſe in Orientem flectit, atque auſtrale Meſopotamiæ latus claudit, ſcinditur circa vicum *Maſſicen*. Sic *Plinius* libr. 5. cap. 26. *Scinditur Euphrates à Zeugmate* LXXXIII (an CDLXXXIII?) *MP. circa vicum Maſſicen: & parte lævâ in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præterfluenti infuſus Tigri: dexteriore alveo verò Babylonem, quondam Chaldææ caput, petit, mediamque permeans diſtrahitur in paludes.* *Idriſius* Geographus Arabs dicit, quod *à Rahabath melik* pergat in *Daliam*, atque inde in *Aanam*, *Hit*, *Anbar*, atque ſic in Tigrin. *Ammianus Marcellinus*, Juliani expeditionem in Orientem deſcribens, ait *eum veniſſe ad vicum Macepractam, quæ alias Maſſice dicebatur. Hinc* (inquit) *ſcinditur Euphrates, dum pars ducit ad interiores Babylonis tractus: alia pars Naarmalcha* (quod fluvium regium ſignificat) *Cteſiphonta permeat.* Notant Geographi ex *Ammiano* poſt Cercuſium & Chaboræ oſtia *Zaitam*, inde *Duram*, tunc *Anathan* caſtellum & inſulam in Euphrate poſitam, quæ Libanio φρέριον τȣ̃ ποταμȣ̃ dicitur. Porrò pergentes venerunt ad *Caſtra Thilutha*, in medio fluminis ſita: hinc ad munimentum *Achaiachala* fluminis circumitione vallatum; inde

Ba-

Digitized by Google

Barax-malcha, undè ſeptimo miliario eſt *Diacira* trans amnem, & porro *Ozogardana*, quæ etiam *Zaragardia* dicitur; poſt biduum veniunt *Maceprac͏̃tam* vicum, in quo ſemiruta murorum veſtigia videbantur. Aliis occurrit primò *Anna*, dein *Gebbar*, tertiò *Heit* ab occidente fluvii, caſtellum, ubi puteos bituminis à caſtello in auſtro occidentem ſpectare licet. Ab *Heit* uſque ad *Anbâr* unius diætæ eſt diſtantia, atque perpetuis conſita eſt illa ripa palmis, ac domiciliis. Ultimus vero locus eſt *Felugium*.

§. 8. Varios eſſe Euphratis alveos, qui regnum Babylonicum ingrediuntur ex *El Idriſio* Cl. 4. p. 5. conſtat. *Reliqua verò*, inquit ille, *pars Euphratis fluens ex Rehabâh à tergo deſerti in varia dividitur brachia, quorum unum pergit ad Tzartſar, aliud ad Alkatzar, aliud etiam ad Sura, quartum denique ad Cuſam.* Neque multum abludit etiam *Ammianus Marcellinus* libr. 23: 6. qui rem in hunc modum deſcribit. *Hic propè Chaldæorum eſt regio ... perfluunt autem has eaſdem terras ante alios omnes hi, quos prædiximus, fluvii Marſias* (ſeu Nahar Sares) *& flumen regium, & Euphrates cunctis excellens, qui tripartitus, navigabilis per omnes eſt rivos, inſulaſque circumfluens, & arva cultorum induſtriâ diligentiùs rigans, vomeri & gignendis arbuſtis habilia facit.* Notandum hic, quod *Euphrates* in contradiſtinctione ad fluvium *Naarſares* & *Naarmalcha* (qui Anthori dicuntur Marſias & flumen regium) dicatur adhuc tripartitus, & per omnes rivos navigabilis.

§. 9. Nemo dubitat, quin alveus ille nobiliſſimus, Babylonem permeans, ſit ipſe *Euphrates* antiquus: quia in auſtrum prolapſus *Hellam* (ſeu ut apud Tudelenſem legimus *Hilam*) trajicit, & tandem in paludes

 diſtra-

Digitized by Google

diſtrahitur. *Philoſtratus* in vitâ Apollonii libr. 1 : 14. *Sunt qui dicunt in paludem quandam partem maximam Euphratis dilabi, ita ut ad mare non perveniat, ſed in terrâ curſus ſui finem recipiat.* Accedat huic ſuffragium *Pomponii Melæ*, qui eandem rem attingit his verbis. *Cum Arabes ingreſſus non perdurat in pelagus, verum ingens, & navigabilis, in pertenues rivos diſpeſſus emoritur, & nuſquam manifeſto exitu effluit, ut alii amnes, ſed deficit.* Pleniùs tamen hanc rem exponit *Plinius* libr. 6: 26. ubi antiqui oſtii facit mentionem. *Inter duorum amnium* (Tigris nempe & Euphratis) *oſtia* 25 *Millia paſſuum fuere : ſed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni & accolæ agros rigantes : nec niſi per Tigrim defertur in mare :* & iterum. *Olim quidem Euphrates in ſinum Perſicum influxit, donec accolæ, ut commodiùs rigarent agros, eum præcluſerunt, adeo ut jam non niſi per Tigrim feratur in mare.* Quod idem quoque *Dion* confirmat in *Trajano.* Proin alia hujus *Euphratis* fuit facies antiqua, antequam divertigia fuerunt effoſſa, aquarum copiam in alias partes derivantia; alia vero cum magna pars per Tigrim in mare defertur : nec *defecit*, antequam Orcheni & accolæ, oſtium *Euphratis* antiquum præcludentes, ejus aquas inter ſe diſtrahebant; quod factu facilè fuit, poſtquam canalibus hinc carptus, illinc agris irrigandis diſtractus, partim ad Paſitigrin acceſſit, partim ab agris fuit abſorptus. Notantur autem duo divertigia Euphratis à Nebucadnezare facta, *Naarmalca & Acracanus*, ut author eſt *Abydenus*, quorum primum à Maſſice incipit, aquas derivans in Seleuciam: de quo *Plinius* l. c. *Tradunt Euphratem Cobaris Præfecti opere deductum, ubi eum diximus findi* ad Maſſicen, *ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret.* Alterum

rum fuit per *Acracanum*, ſeu *Narragam*; foſſam, ad occidentem Babylonis ex Septentrione in auſtrum utcunque currentem. Hujus laboris ſuſcepti ratio fuit, *ne*, quandò ex nivium reſolutione Euphrates intumeſcens, ſeque in tractus Babylonicos inflectens, *præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret*: propterea partem aquarum intercipiendam, antequam ad Maſſicen uſque pervenerant, partem aliam derivandam in alias oras, quando Maſſicen attingebant, ita deducere conſultum duxit Regum maximus.

§. 10. *Acracanus* Abydeni videtur idem amnis, qui Plinio *Narraga*, aliis *Naarſares* & corruptè *Marſias*, & *Baarſares* dicitur. *Narraga* dicitur, quaſi נהר אגם *Nahar-agam*, fluvius ſtagni; quia ſtagnum alluebat, aut permeabat. Abydenus illud ſtagnum deſcribit in hunc modum, dicens Nebucadnezarem *in gratiam Sipparenorum foſſam effeciſſe, quæ in ambitu haberet paraſangas quadraginta, in altum viginti orgijias, & clauſtra appoſuiſſe, quibus apertis irrigaretur ager*: ut aquarum fuerit ſtupendæ capacitatis receptaculum, quas, quandò Euphrates minor erat, indè in agros derivare pro libitu poterant. *Plinius* monet *Hipparenum* (id eſt Sipparenum) *oppidum fuiſſe juxta fluvium Narragam, qui dedit civitati nomen: muros Hipparenorum Perſas diruiſſe*. Fluvius *Naar ſares* dicebatur, quaſi נהר שרש id eſt, *fluvius utilitatem afferens*, quia agris irrigandis effoſſus, vel quaſi נהר סרים, id eſt *fluvius caſtratus* ſeu avulſus, qui à genuino Euphratis alveo avulſus fuit. Nos hunc eundem cum *Narragâ* Plinii fuiſſe conjicimus.

Rationes ita ſtatuendi ſunt. 1. Quod Ptolomæo (qui ejus conjunctionem cum Euphrate ponit ad long. 78: 20. & lat. 35: 40. dum *Maſſicen* deſcribit ſub

K 2 long.

long. 79: 10. & lat. 35: 40.) ſit fluvius *Maſſicæ* 40 min. ab occidente, adeò ut utriuſque ab invicem diſtantiam faciat differentia 40 minutorum longitudinis. Cæterum principium Naarſaris eidem auctori eandem habet cum *Maſſice & Seleuciâ* latitudinem. Cumque *Narraga* Babyloni etiam fuerit ab occidente, neceſſè eſt, ut unus idemque ſit fluvius, aut ut plures fuerint amnes Babyloni ab occidente, ex Euphrate in auſtrum pergentes. 2. Quod *Sippkara* Ptolomæo ſita ad long. 78: 15. & lat. 35: 40. eandem habens cum principio *Naar Saris* latitudiuem, tantùm agnoſcat differentiam longitudinis quinque minutorum; quæ tamen Plinio dicitur ad *Narragam* olim fuiſſe conditam. Juxta *Baarſaram* (id eſt Naarſarem) Ptolomæus collocat *Barſitam* ad long. 78: 45. & lat. 34: 20. ut differentia longitudinis à principio fluvii ſit 25 min. long. & 1: 20. latitudinis. Ponit idem quoque *Vologeſiam* ad long. 78: 20. & lat. 34: 30. ut longitudo ejus, & principii *Nahar ſaris* eadem ſit; verum differentia latitudinis gr. 1: 10.

§. 11. Notetur & alius amnis, qui *Pallacopa* dicitur, apud *Arrianum* in expeditione Alexandri, quem *à Babylone diſtare ſtadiis fermè* 800 ait, atque deſcribit ut *foſſam, ex Euphrate ductam*, nequè *fluvium eſſe ex fonte ortum* ait: eundem fortè amnem intellexit *Plinius* libr. 6: 26. ubi dicit. *Ad Pellacontam Bura oppidum, Salmani & Maſei Arabes.* Per hunc canalem Euphrates ſe in lacus & paludes exonerat, & Alexander vectus per lacus navigavit uſque in Arabum regionem. De hoc amne obſtruendo cogitavit quoque Alexander, neque huic ſcopo locum invenit commodum, niſi ad 30 ſtadia progreſſus, ubi terra erat petroſa & quaſi intercisa; ibi ſi clauderetur ob terræ firmitatem, negat

Ar-

Digitized by Google

Arrianus eam foſſam aquas tranſmiſſuram per veterem Pallacopæ alveum, neque tamen aquæ diverſionem ſtatis temporibus forè difficilem pronunciat. *Strabo* dicit *Euphratis effuſiones, quæ Arabiam verſus & lacus & paludes efficiunt, mari Perſico proximas eſſe: Iſthmum autem, qui eam dirimit, nec ſanè magnum eſſe, nec petroſum.*

Medium lacuum & paludum ponitur Ptolomæo ad long. 78: 30. latit. 32: 30. Imò ad urbes attendentes, quas idem auctor juxta paludes ponit, invenies differentiam longitudinum paludoſa comprehendentem inter gr. 77: 10. & 79: 15. nec non etiam latitudinum inter 30: 50. & 33: 20. *Orchoe* civitas etiam ad paludes ponitur ad long. 78: 30. & lat. 32: 40. Hinc colligo regionem illam paludoſam & lacubus refertam ſpatium occupare duorum cum quarta parte graduum longitudinis, & duorum cum dimidio graduum latitudinis: neque multum à mari perſico fuiſſe remotam.

CAPUT II.

De Tigri.

§. 1. ALter majorum fluminum eſt *Tigris*; Moſes vocat חדקל. Thargumiſtæ דגלת, Chaldæi nunc דגלת, alias דקלת ſcribunt: etiam ab incolis hodie *Tiglito* appellatur. *Græci*, quos *Latini* ſecuti ſunt, orientali pronunciationi minus aſſueti, in *Tiglin* mutarunt, an potiùs depravarunt; utpote qui hic de fero iſto ani-

Digitized by Google

mali cui *tigris* nomen cogitantes, à ſcopo nimium abludebant. Veri nominis veſtigia in voce hebraicâ adhuc ſatis ſuperque pellucent: *Hiddekel* enim facilioris pronunciationis cauſâ per ἀφέρεσιν prioris literæ tranſiit in *Dikel*, atque illud in *Tigil*, & *Tiglito*. Ajunt antiquiſſimi Scriptores *Plinius* libr. 6: 27. *Curtius* libr. 4. & *Strabo* libr. 11. *Tigrin à celeritate Sagittæ* nomen ſuum accepiſſe, *quæ Medorum linguâ Tigris appellatur:* an potius *Tigil?* *Scindlerus* in Lexico Pentaglotto celeritatem ejus indicaturus, ut ratio denominationis adſtruatur, notat, *uno die* eum *tantum abſolvere intervallum*, *quam fortis & celer viator ſeptem*, *ac lacum Arethuſam ita penetrare*, *ut cum ejus aquis*, *ob celeritatem non miſceatur.* Verum quod ad primam viri docti rationem attinet, ea deſumpta eſt ex *Dionyſio Periegete*, qui verſ. 983-986. ita canit.

Τόνδε μέτ' εἰς αὐγὰς, ποταμῶν ὤκιςος ἁπάντων
Τίγρις ἐυῤῥείτης φέρεται, ῥόον ἶσον ἐλάυνων,
Τόσσον ἀνέυθεν ἰὼν, ὅτον ἕβδομον ἦμαρ ὁδεύσας
Ἴφθιμος καὶ κραιπνὸς ἀνὴρ ἀνύσειεν ὁδίτης.

Malè autem fluvii rapiditati verba applicat: cum de diſtantiâ inter Tigrin & Euphratem accipienda ſint juxta Scholiaſten Græcum, undè rectiùs Interpres vertit. *Abhinc in orientem fluviorum celerrimus omnium Tigris pulchrifluus fertur*, *fluentem æquabile agens*, *tantum procul* (ab Euphrate) *labens*, *quantum* viæ *ſeptem diebus incedens robuſtus & celer conficere poteſt viator.* Interim res ſalva manet; nam idem verſ. 990 canit

Οὐκ ἂν ἐκείνȣ
Ἐν πᾶσιν ποταμοῖσι θοώτερον ἄλλον ἴδοιο.

Non

Digitized by Google

Non illo inter omnes fluvios velociorem alium conſpexeris.

§. 2. Nil dubitandum eſſe, quin fluvius ille *Hiddekel* apud Moſen, ſit *Tigris*, ut nomen illud vertitur à Græcis & Latinis interpretibus, conſtat ex ipſo Moſe *Gen.* 2: 14. ubi tertius ille fluvius jungitur cum Aſſyriâ: hinc LXX vertunt, *καὶ ὁ ποταμὸς ὁ τρίτος* ΤΙΓΡΙΣ, *ὗτος ὁ πορευόμενος κατέναντι Ἀσσυρίων*: & vulgata, *Nomen verò tertii fluvii* TIGRIS, *ipſe vadit contra Aſſyrios.* Sola hæc definitio curſus ejus rem abſolvit; eſt enim *Tigris fluvius*, qui Aſſyriam inter & Meſopotamiam means, utramque regionem diſtinguit, atque ita Aſſyriam perpetuo fluxu radit, ut latus ejus occidentale claudat. Adde ejuſdem fluvii mentionem fieri apud prophetam *Danielem*, qui cap. 10: 4. eum vocat *fluvium magnum*, in cujus ripâ cum ſtaret, vidiſſe ſe *fata monarchiæ Perſicæ* multis exponit: & quidem eo in loco, ubi *Darii Medi* regnum ante ſubjugatos Babylonios terminum habuerat. Jam verò *Tigris* poſt Aſſyriam etiam præterlabitur *Suſianam*, quam habet à lævâ, ſicuti poſt Meſopotamiam habebat *Parapotamiam* à dextrâ. Hi autem characteres efficiunt, ut nemo interpretum unquam dubitaverit, aut dubitare aliquâ ſpecie potuerit; quin *Hiddekel* tertius fluviorum à Moſe in deſcriptione Paradyſi enumeratorum ſit notiſſimus ille in Oriente fluvius *Tigris*, aliquandò Parthici imperii, quandò Romani *Meſopotamiam* tenebant, terminus; atque cum *Euphrate* eam includens.

§. 3. *Plinius* libr. 6. cap. 27. (quem *Solinus* ſequitur cap. 38.) *oritur in Armeniæ majoris regione, fonte conſpicuo in planitue, loco cui nomen Elongoſine eſt.* Qui terras illas nuper luſtrarunt, dicunt ex altiori Tauri parte ortum ducere, quæ *Armeniis* hodie *Hoquet Zwang*, id eſt *ſpirituum manſio* audit; quamvis fontes

tes

Digitized by Google

tes primarii ſuperiùs in partibus montis magis borealibus ſitum habeant.

§. 4. Dum à ſuo excurrit principio, dicitur binis vicibus ſubmergere & emergere; prior pars ſe à planitie Elongoſines porrigit *in lacum Arethuſam* (inquit *Plinius*) *atque tranſvectus amnis, monte Tauro occurrente, in ſpecu mergitur, ſubterque lapſus à latere ejus altero erumpit, qui locus vocatur Soroanda, ulvas & purgamenta plurima ſecum trahens.* Altera ejus pars à Tauro ſpectanda: à quo enim ex ſubterraneo Tauri meatu erupit ille fluvius, alterum ingreditur lacum; atque de hoc ejus curſu ita pergit nominatus jam *Plinius, alterum deinde tranſit lacum, qui Theſpides* (an Thoſpites) *appellatur, rurſus in cuniculos mergitur, & poſt* XXV *MP. circa Nymphæum redditur.* Diſſimulare tamen non poſſum, quod D. *Guilh. Hil* in ſuis ad Dionyſium Periegetem notis de fide *Plinii* dubitet, atque putet eum ex duobus unius lacus nominibus duos lacus feciſſe. Putat lacum, qui *Dionyſio* & *Straboni Thonitis*, *Plinio* verò, & *Ptolomæo Thoſpitis* dicitur, ab urbe viciná *Thoſpiâ*, eundem eſſe, quem *Plinius Arethuſam* vocat; quoniam ipſum *Thoſpiten* à *Ptolomæo* prope Tigris fontem poni, quilibet videat, quod ex Plinii ſententiâ locum habere non poteſt. Conjicit porrò vir doctu Ἀρσηνῆς nomen à Latinis ſcriptoribus in *Arethuſam* mutatum. Addit Straboni fidem non eſſe negandam, qui eandem paludem binominem faciens, Arſenem & Thonitin vocari affirmat. Ἀρσηνὴ, ἣν καὶ θωνίτιν καλοῦσι: quod illius judicium propterea certiſſimum judicat, qua ipſe Armeniam peragrarit.

§. 5 *Tigris* eſt fluvius ille propriè, qui ab ultimâ emerſione pergit inter Meſopotamiam & Parapotamiam à dextrâ, atque Aſſyriam & Suſianam à ſiniſtrâ, donec in

Digitized by Google

in ſinum Perſicum infra Baſſoram erumpat. 1. Primus ejus excurſus nobis contemplandus eſt ab urbè *Amidâ* uſque ad *Bagdad*, & *Seleuciam*, ubi Meſopotamiæ terminus eſt auſtralis. Poſt *Amidam* Tigris præterlabitur à dextris *Matiram*, *oſtia amnis Barema*, & *oſtia fluminis Sorait*. Abhinc ambit inſulam, quæ *Gezirath ebn Omar* dicitur, de cujus fertilitate & felicitate multa deprædicant authores: relictâ iſtâ inſulâ pergendo præterit civitatem *Balad* ſeu *Beled*, atque abhinc *Moſul*, quam urbem alluit; hinc præterit *Nineven* à lævâ, donec venias ad ejus *cataractam*: abindè pergentes cernunt ab occidente oſtia amnium *Zab*, *Baſilinſæ* & *Tirtâr* propè *Tekrit*; ab oriente verò in Aſſyriâ *Lycus*, *Gorgus*, *Caprus*, notiſſimi in hiſtoriâ antiquâ amnes ſunt, qui Tigrin ingrediuntur. Infra Moſul obſervavit *Tigrin* valde tortuoſum *Thevenotius*: & tribus diætis ſupra *Bagdad* Tigris amnem recipit ex Meſopotamiâ decurrentem, cui incolæ nomen *Odeine* adhæſiſſe jam olim teſtantur: quem obſervarunt intineraria fluvium eſſe ſatis ſpectabili oſtio aquas egerentem.

§. 6. A Bagdad ex oriente *Diala* fluvius *Tigrin* ingreditur, qui indè ad Seleuciam pergens confluentem facit cum Euphrate biduum infra *Bagdad*, notante Thevenotio & mappas vulgares hìc corrigente. Nec ſine peculiari mentis attentione prætermittendum eſt, quod Caſp. Sam. Bernardini in ſuo Itinerario Indico obſervavit, fluvium Dialam ferè adæquare Tigris amplitudinem, atque LIV M. Portugallicis infra Bagdad cum Tigri confluentem facere, & poſtea confluentis iſtius aquas ſe jungere apud Seleuciam cum Euphrate. Addit Arabes *Dialam* vocare *Fiſam*, ubi Arabiam inter & Perſiæ dominium intercedit, ac utramque regionem dirimit, donec ſe in ſinum Perſicum effundat. Ibi ad

 con-

confluentem cum Euphrate maximam facit inſulam Meſenem, ſcilicet Superiorem, atque orientale inſulæ latus radens præterit proximè *Cteſiphontem* ſeu Madain. Hinc IX aut X dies pergentibus occurrit foſſa manufacta, quæ inſulam Meſenem ſecans, partim in Tigrin partim in Euphratem aquas ejicit. *Tigris* indè labitur ad *Apameam*, ubi nunc caſtellum *Gorno*, quod triduum abeſt à foſſâ Meſenes ſupra dictâ. Hinc cum Euphratis alveo, occidentale Meſenes latus claudente, confluentem facit, qui *Schat el Arab*, id eſt Arabum fluvius audit: atque paulò infra utriuſque conjunctionem videas oſtium fluvii *Karbhæ* ex Suſianâ progredientis. A *Gorno* ad oſtium foſſæ civitatis Baſſoræ ſunt XV leucæ; abhinc in fluvii alveo occurrunt inſulæ *Fajadi*, *Bochaſi*, *Bouarin*, donec venias ad inſulam *Chader*, ubi iterum finditur, antequam Mare Perſicum ingrediatur, atque pluſquam uno oſtio aquas ſuas exonerat.

CAPUT III.

De fluvio Piſhon.

§. 1. FLuvius alius apud Moſen memoratur, cui פישון *Piſhon* nomen, græcis interpretibus Φισῶν & Φεισῶν. Quidam à פשה derivant, aut potius à פוש: quæ radix *excreſcere* ſignificat, ſive in magnitudinem, ſive in multitudinem (vide *Jer.* 50:11. *Hab.* 1:8.) imò etiam *diffundere*. *Nah.* 3:18. ſicuti ſolent aquæ, varios permeantes alveos, aut per plura oſtia exeuntes, quæ ſe in varios ramos dividendo excreſcunt *multitudine*, aut in unum alveum conveniendo augentur magnitudine. Ita *Piſhon*

ex

ex multiplicatione fortè excreverit: fortè etiam in progreſſu excreverit *magnitudine*, auctus aquis aliundè accedentibus. Alii tamen malunt nomen accepiſſe à *diffundendo*, quia patitur maris æſtus graviores. Hinc Ill. Scaliger per πλημμύρα vertit, quod *exundationem æſtus*, & *fluxum maris* ſignificat: undè terra humilis longè latequè aquis obtegitur: quod ſanè ante aggerum munimina terræ humiliori evenire ſolet. Saltem author Eccleſiaſtici cap. 24: 35. hanc ei proprietatem attribuit, quandò de Deo loquens ſcribit *quod omnia ſapientiâ impleverit ſicuti Phiſon.* Sunt etiam, qui vocem velint compoſitam ex voce פי, quæ *oris* obtinet ſignificationem, & verbo שנה *diverſum* eſſe, atque *iterare*, quaſi פי־שונה *ore diverſo*: fortè quia plus quam uno oſtio aquas ejicit. Aſt ego malim à *Paſis*, ejus accolis, nomen accepiſſe. Verum, cum admodum incertæ ſint etymologiæ nominum propriorum, & pro acumine Grammaticorum facilè præconceptis cujuſvis opinionibus hoc aut illo modo accommodentur; nobis ſufficit, quæcunque Etymologia aſſumatur, eam ſaltem cum noſtrâ ſententiâ conciliari facilè poſſe: nam *Paſitigrim* dicimus eſſe fluvium *Piſhon*: qui uſque ad finem Meſenes ſuperioris patitur maris fluxum, ex multorum amnium receptione amplior factus fluvium Arabum valdè dilatat, & pluſquam uno oſtio aquas in ſinum Perſicum effundit: ante aggerum verò egeſtiones procul dubio ampliſſimos campos & tractus aquis exuberantibus obtegit.

§. 2. *Gangi*, Indiæ fluvio, applicant hoc nomen Veteres plurimi, nec non Theologi; quæ erronea *Joſephi* ſententia libr. 1. *Ant. Jud.* videtur patribus impoſuiſſe eundem errorum; quem errant *Epiphanius* in Ancorato. *Hieronymus* libr. traditionum in Geneſin. *Auguſtinus* libr. 8. de geneſi ad literam. c. 7. *Hieronymus*

nymus Epiſt. IV ad Ruſticum monachum de eo ſic loquitur. *Ganges fluvius eſt, quem Phiſon ſancta ſcriptura commemorat, qui circumit totam terram Hevilath, & multa genera pigmentorum de Paradyſi fonte dicitur devehere, ubi naſcitur carbunculus, & Smaragdus, & margarita candentia, & uniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio: monteſque aurei, quos adire propter gryphes & dracones, & immenſorum corporum monſtra, hominibus impoſſibile eſt, ut oſtendatur nobis, quales cuſtodes habeat avaritia.* Verum hæc ſententia nobis parum probabilis videtur, indè ſolum orta, quod terram *Havilath* putarint nullibi niſi in Indiâ eſſe quærendam, quam *Ganges* percurrit: in quâ hypotheſi ſi aberrarunt (ut in ſequentibus oſtendemus, demonſtraturi non ſolum in Indiâ conſediſſe *Havilæos*, verum etiam in terris Suſianæ vicinioribus) exciderunt ſuo ſcopo, qui iſtius ſententiæ fuerunt auctores. Obſtat ſanè immanis locorum diſtantia, ut hic *Gangem* admittamus, nimis à Tigri remotum, quam ut cum utroque amnis Hedenis communionem habere facile poſſit: intercedere enim Gangem inter & Tigrim LXX gradus, hoc eſt 4300 milliaribus & amplius ſpatium obſervant Geographi, terraſque amplas, & flumina eas ſecantia multa, nec non longas montium ſeries, quæ conjunctionem omnem prohibent; ut frigidum ſit hic ad mutationes provocare, quæ poſt Moſen telluris faciei fuerint introductæ. Monet quidem vir doctus *non oportere, ut derivativa flumina confundantur cum primitivo:* quod & nos urgemus. Sed ut conciliet eam ſententiam cum motâ difficultate; ponit flumen primitivum *ex Paradiſo promanaſſe*, ac in quatuor *alia dividendo ſe exoneraſſe poſtmodum:* quod apprimè placet. Verum, oportet tamen ut locus aliquis ſit conjunctionis, ad

quem

Digitized by Google

quem amnis Edenis ſe in Gangem exoneraverit, ſicuti in *Tigrin & Euphratem.* Hunc ſanè ob nimiam Gangis & amnis Hedenis diſtantiam inveniri poſſe ſatis commodè negamus, quia diviſio illa ab horto non adeò remota cernitur, ubi in *Tigrin & Euphraten* illabitur. Cumque ratio poſtulet, ut hortus fuerit intra notos hos fluvios, ſanè Tigris per aliquam ſui ſciſſionem & diviſionem alveum aliquem in *Gangem* mittere deberet, atque omnia montana & flumina interpoſita ita perrumpere, donec locum nexus attingat, quod nobis valdè abſurdum videtur. Subterraneos autem fingere ductus eſt contra Moſis ſcopum, qui non ex incertis & à nemine cognitis, ſed ex certis ſitum Paradiſi indicare & palam facere ſibi propoſuerat.

§. 3. Nos quod attinet, per fluvium *Piſhon* intelligimus cum Cl. viris *Junio*, *Scaligero*, aliiſque, fluvium illum, qui *Meſeni* ſuperiori labitur ab Occidente, & infra Apameam cum Tigri confluentem facit, ſeu potiùs ejus aquas omnes recipit, atque inde pergens infra Baſſoram pluribus oſtiis ſe in ſinum Perſicum effundit. Luſtremus igitur primo hunc fluvium, atque ex antiquis & hodiernis ſcriptoribus in lucem eum protrahamus, incipientes ab eo termino, ubi nunc *Tigris* & *Euphratis* confluens ſupra Cteſiphontem exiſtit. Notanda ſunt *Ammiani* verba l. 24: 6. *Ventum eſt hinc ad foſſile flumen Naarmalca nomine, quod amnis Regum interpretatur, tunc aridum. Id antehac Trajanus, poſteaque Severus, egeſto ſolo fodiri in modum canalis ampliſſimi ſtudio curaverat ſummo, ut aquis illuc ab Euphrate tranſfuſis, naves ad Tigridem commigrarent. Tutiſſimumque ad omnia viſum eſt eadem loca purgari, quæ quondam ſimilia Perſæ timentes mole ſaxorum obruêre multorum. Hâcque valle purgatâ, avulſis cata-*

 ractis

ractis undarum magnitudine claſſis ſecura ſtadiis XXX *decurſis in alveum ejecta eſt Tigridis.* Nota canalem triginta Stadiorum, ſed effoſſum, qui amnis Regum dicitur, noſtro amni ab oriente: nec non amnem Cobaris illi ab occidente, per quem aquas Euphratis recipit: qui duo canales olim non fuerunt. Per eum canalem hunc noſtrum amnem ingreſſus *Tavernierus*, ad confluentem vidit civitatis ruinas, quæ magni milliaris ſpatium in ambitu ſuo referebat, cujus muri fuerant latiſſimi. *Amnis* ille inſulam Meſenem, quam multæ foſſæ minores ſecant, claudit ab occidente, donec ad munimentum *Gorno*, in ultimâ inſulæ extremitate conditum, ſe cum Tigri conjungat. Loca, quæ præteriit, dicuntur *Amarat* munimentum, *Satarat* item, *Manſouri* vicus magnus, *Magar* & *Gazær*, poſt quæ *Gorno* ſequebatur. Omnem terram intra *Bagdad* & *Baſſoram* aggeribus eſſe munitam, & ab aquarum inundationibus defenſam monet. Sequebatur hinc confluens, quem viri optimi nimium extendunt: à *Gorno* enim ad *Baſſoram* dicit XV eſſe milliarium ſeu leucarum diſtantiam *Tavernierus*: & à *Baſſorâ* ad mare iterum XV milliarium. Appellatur autem ille confluens hodie *Schat el Arab*, id eſt *Fluvius Arabum.*

§. 4. Probamus autem ſententiam hanc noſtram 1. Ex veſtigiis antiqui nominis; ex *Plinio* notum eſt confluentem illum, qui Arabibus *Shat el Arab* audit, atque à Meſenes ſuperioris finibus ſe porrigit ad Meſenes inferioris principia, *Paſitigrin* dici; ita enim ille libr. 6. cap. 27. *Tigrin* dicit *citra Seleuciam in duos dividi alveos, quorum altero meridiem & Seleuciam petit; altero ad Septentrionem flexus, Cauchas ſecat: ubi remeavere aquæ Paſitigris appellatur.* 2. Aliud quoque mihi ſuccurrit nominis antiqui veſtigium apud *Curtium*,

qui

qui in campis Babyloniis *Paſas* collocat. Locus extat libr. 10: 12. ubi de Regis Aridæi in componendâ ab Alexandri morte ſubnatâ diſcordiâ agens ſtudiis, dicit, *equites campos circa Babylonem occupaſſe, ut frumentum, quod in urbem invehebatur, retinerent*; indeque famem obortam: utque illi ſedarentur Theſſalum fuiſſe Paſas legatum. Verba *Curtii* ſunt: *à Rege legatur Paſas Theſſalus & Amiſſas Megapolitanus & Perilaus*: ut *Paſæ* videatur vici aut regionis nomen, atque ad campos Babylonios ſpectare, ubi advectum aliundè frumentum intercipere, omnemque commeatum intercludere poterant tumultuantes equites. Hinc conficio in Parapotamiâ *Paſas* fuiſſe, haud longè à Babylone remotas; non verſus deſerta Arabum, undè nullum advehi poterat frumentum; ſed ubi alvei erant navigabiles, & advehendo frumento apti. 3. Adde *Arrianum* (in periplo maris Erythræi) mentionem facere emporii, ad ſinus perſici extremitatem ſiti κατὰ Πασίνȣ χώραν κατὰ πόταμον εὐφράτην. *Juxta Paſini regionem Euphrati fluvio adjacentem*: ubi tamen notandum, quod fluvio *Piſhon Euphratis* nomen imponatur; quia etiam ſupra *Baſſoram*, nec non propè Seleuciam aquas per *Nahar Malcha* recipiebat, quæ ex *Euphrate* fuerant derivatæ. Jam video *Paſini regionem* ad auſtro-orientem ſpectaſſe, ut forte *terram Baſſoræ* indicet, & Meſenes inferioris. Mihi ergo *Delas* eſt *Piſhon*, quique profanis auctoribus infra Apameam, quoniam ibi *Tigrin* recipit, *Paſitigris* dicitur; is apud *Moſen* nomen ſuum ſervat, etiam ubi per varia oſtia exit. *Fluvius*, qui Moſis ætate, antequam ad *Apameam* pervenerat, nullum aut cum Tigri per foſſam Seleuci, aut cum Euphrate per *Nahar-malca* communionem habuit: illa enim ante conditam *Seleuciam* nulla fuit, quippe à *Seleuco*

leuco

leuco Nicatore demum effoſa: hic verò *fluvius*, qui à Maſſice huc uſque excurrit, & *Nahar-malca* audit, etiam omnium ſcriptorum aſſenſu ſub Monarchiâ Babylonicâ arte demum & induſtria humanâ confectus fuit: ut proindè nec alveus Tigris nec Euphratis tunc dici potuerit, ſed ex Meſopotamiâ aquas recipiens, amnis fuerit diſtinctus, ac propriis fluens aquis uſque dum ad fines Meſenes ſuperioris accederet. Quæ de *Nahar-malca* dixi confirmat *Plinius* libr. 6. cap. 26. *Tradunt Euphratem Cobaris Præfecti opere deductum, ubi eum diximus fundi, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret.* 4. Nec minoris valoris argumentum mihi ſuppeditat Itinerarium Indicum, cujus auctor *Caſpar Sam. Bernardini*, qui *Dialam* ait ab Arabibus *Fiſam* appellari, quod evidentiſſimum nominis *Phiſon* veſtigium refert: ac *Delas* fortè eſt ipſe amnis *Diala*, hìc nomen ſuum retinens. Dubito autem ego valdè, an non *Diala* (ſeu *Phiſam* id eſt *Phiſon*) quoniam cum *Tigri* confertur, ſit ipſe ille fluvius capitalis, quem Moſes innuit: quod facilè concipi poterit, ſi ſtatuamus *Tigrin*, à quo cum *Dialâ* confluentem facit, nomen ſuum olim amiſiſſe, & nomen Dialæ confluenti adhæſiſſe. Imò ſuſpicor nomen *Phiſam* aut *Phiſon*, à græcis poſtea in Dialam mutatum, atque retinuiſſe illud nomen tempore Moſis uſque ad ejus oſtia, in ſinum Perſicum aquas effundentia. Ita ramus aliquis fluvii Edenis concipiendus eſſet, quocunque loco infra confluentem Tigris & Dialæ ſe confluenti inſinuans; Hoc ſi lectori fortè magis placeat, poterit commodè mutari in tabulâ, & *Phiſon* pingi à confluente cum Tigri olim Meſenem inſulam feciſſe, incipiendo ſupra Seleuciam, licet ille aditus per foſſam Seleuciæ poſt fuerit obſtructus.

§. 5. Sunt, fateor, qui *Piſhon* ſolummodò applicant

cant occidentali Paſitigris alveo, quo *Meſenem* inferiorem claudit, atque radit, per oſtium dextrum in ſinum Perſicum erumpens. Res ita ſe habet. Norunt jam omnes *Tigrim* & *Euphratem* hodiè infra Apameam commiſceri, & ingenti alveo excurrere verſus mare Perſicum, aſt antequam ſinu Perſico excipiantur, in duo ingentia iterum ſcindi fluenta, Padi inſtar & Rhodani. Ipſa autem fluenta paludes multas efficere, ut non ſolum ſcribit *Arrianus*, ſed mercatores etiam, qui ante aliquot annos ea loca adierunt, idem teſtantur. Sic *Joſeph de S. Angelo* in Gazophylacio ſuo Perſico. pag. 270. *Ex Euphrate & Tigri coëuntibus enaſcuntur infra civitatem Baſſoram duo fluenta: ſeu dividitur magnus fluvius Kobar in duo capita, vel quaſi brachia: unum verſus terram Havila (quæ eſt Chutea regio Perſica) & vocatur Chaffar: alterum verſus Æthiopiam Arabiæ deſertæ, quod quidem dicitur Chezer, ex quo tum tanquam ex altero alveo (cui nomen Sarragi) efformantur inſulæ, deliciis affluentes, palmetis, cedris, vitibus, innumeriſque aliis fruticibus copioſæ.* Jam verò exiſtimabat illuſtris *Scaliger* de emend. Temp. libr. 5. *Fluentum orientale à Moſe vocari* פישון *id eſt* πλημμύραν *propter paludes ingentes, quas efficit, cujuſmodi* (inquit) *eſt Paduſa, quam Padus fluvius facit. Alterum,* (inquit) *quod occidentalem partem ſpectat, vocatur* גיחון, *id eſt emiſſarium; eſt enim porrectiùs altero, quod magnus ille alveus ex ſe emittat, ut Mincium lacus Benacus, Adduam Luſius, Ticinum Verbanus, Rhodanum Lemannus, quare ab eâdem cauſâ rivus, quem piſcina Hieroſolymitana emittebat, dicebatur* גיחון *Gichon Hebraicè, quod idiotiſmo Hieroſolymitano erat* שלוחה *id eſt, emiſſarium.* Verum hic in diverſa abit *Cl. Bochartus.* Sed audiamus *Mori-*

num, virum eruditiſſimum. *In hoc aquarum*, inquit, *divortio novum ſententiarum divortium Scaligerum Calvinumque inter & Bochartum occurrit: quod enim orientale illi fluentum nuncupant, hic occidentale eſſe affirmat; ſcribit enim literis ad Capellum datis; fundamenta eorum valde caduca eſſe; collocant enim regionem Cus & Gihon intra Tigrim & Euphratem, ultra autem ſunt: contra Piſon ultra, qui intra eſt, unde eorum expoſitio plurimis erroribus eſt obnoxia.* Vides ut vir doctiſſimus P. M. *Calvini* ſententiam invertat, atque quem incolæ *Chaſſar* vocant alveum, Bocharto non eſſe *Piſhon* ſed *Gihon*; alveum vero occidentalem, qui incolis *Chezar* audit, illi eſſe *Piſhon*, qui *Calvino* & *Scaligero* erat *Gihon.* Verum re benè perpenſâ, mihi videtur, quod utraque pars aberret: duo enim illa aut tria *Paſitigris* brachia haudquaquam à fluvio *Piſhon* ſunt alienanda: atque hoc ei ex etymo proprium eſt, quod multitudine excreſcat, poſtquam ex Tigris acceſſu excreverat magnitudine, unde non duo alvei ſunt, ſed tres, & hinc tria oſtia, per quæ aquas ſuas effundit in ſinum Perſicum noſter *Piſhon. Tigris* itaque, ſtrictè loquendo, nomen ſuum apud Moſen amittit, à quo *Paſarum* amnis ejus recipit aquas, licet poſterioris ævi auctores ex utrâque appellatione nomen compoſitum *Paſitigris* faciant. Hinc boni auctores κατὰ τὰς ἐκβολὰς ὀνομάζεσθαι πασίτιγριν *ad oſtia nominari Paſitigrin* voluerunt, omnia illa oſtia Paſitigris exitus facientia; non unum aliquod eorum; ut viri Docti ſine ullo auctore volunt. Saltem alveum orientalem non poſſe excludi ex iſtius appellationis ſignificatione vel indè conſtat, quod *Charax Paſini*, celeberrimum quondam Orientis Emporium, non ad oſtium ejus occidentale, ſed orientale conditum fuerit oppidum: imo potiùs ad

maris

Digitized by Google

maris marginem inter *Eulææ & Tigris* oſtium orientale inveniri ejus ruinas (ubi locum majoris alicujus urbis infra aquas oſtendunt incolæ) Cl. *Huetius* credi jubet.

CAPUT IV.

De Fluvio Gihon.

§. 1. SEquitur jam alter ille *fluvius*; ſatis obſcurus, qui à Moſe גיחון *Gichon* appellatur. Hoc nomen alii derivant à radice גוח, quæ *erumpere* ſignificat: hinc *Scaliger emiſſarium* interpretatur, quia porrectiùs procedit. *Grotius* ἐκβολὴν, id eſt, *divertigium fluminis* interpretatur, *Junius* ſic dictum putat, quod irrigandis ägris inſerviat. *Bar Cepha* l. 1: 28. ſcribit, quod hic fluvius *nomen Gihonis obtinuerit à fluendo cum inundatione, hâc enim ripam ſuam ſupergrediens irrigat terras ſibi circumjacentes*. Habent hoc fluvii, ex montanis oriundi, ut quandò nives liqueſcunt, aut tempora pluviarum ſtata accedunt, alveos ſuos impleant, & ùbi regiones ſunt humiliores, eas inundent.

§. 2. Qui ex Veteribus *Piſhon* interpretantur *Gangem*; illi per *Gichon* intelligunt *Nilum*, celeberrimum Ægypti fluvium, cujus fontes ſunt in *Abyſſiniâ*, in regno *Gojamâ*, de quâ re vindendus vir doctiſſimus *Jobus Ludolphi*, in ſuâ hiſtoriâ Æthiopicâ, ſeu Abyſſiniæ. Cauſa ita ſtatuendi ferè duplex eſt; primaria fuit, quod *Gihon* dicatur Cuſchitarum fluvius, quippe qui *totam terram Cuſch circumeat*: Patres au-

Digitized by Google

tem ſine ullâ hæſitatione *terram Cuſch* interpretati fuerint terram Æthiopum & Abyſſiniæ. Altera autem ſic ſtatuendi cauſa fuit, quod *Eccl.* 24: 27-29. *Gihon* poni videatur ultimo loco, enumeratione ab Oriente inceptâ: dicitur enim ibi de Deo, *quod impleat omnia ſapientiâ uti Phiſon & Tigris in diebus novorum fructuum. Quod repleat intellectum, ut Euphrates & Jordanes tempore Meſſis: quod ſplendere faciat doctrinam, ut lucem, uti Gihon tempore vindemiæ.* Verum cauſas iſtas leviores eſſe, quam ut hanc ſententiam ſtatuminare queant, facilè videbit quiſquam, qui mecum attendit. 1. Cuſchitas non tantum fuiſſe *Abyſſiniæ incolas*, verum etiam *Arabes*, Euphrati longè propinquiores, uti in cap. de terrâ *Cuſch* vidimus. 2. Nec certum eſt authorem libri Eccleſiaſtici in recenſendis hiſce fluminibus eum ordinem reſpexiſſe, & non potiùs juxta diverſa exuberationis tempora quoſdam conjunxiſſe, ut ultimo loco poſuerit eum, qui ſeriùs exuberat. Neque *Nilum* ſub nomine τȣ̃ *Gihon* intellexiſſe ſcriptorem illum vel inde conſtat, quod *Nilus* non vindemiæ tempore, ſed ad ortum caniculæ exundare ſolet.

Quicquid ſit, *Nilum* huc nihil facere ex nimiâ ejus ab *Euphrate* diſtantiâ colligimus, & contrario curſu; quippe qui in Abyſſiniâ ſuos habet fontes, & in Ægypto mare ingreditur mediterraneum. Sanè Moſis deſcriptio exigit, ut fluvium *Gihon* circa *Edenem*, nec multum à *Tigri & Euphrate* remotum inveniamus, atque ex ſeptentrione in auſtrum à diviſione fluvii Edenis progredientem. Neque ullibi connexionem fluvii *Edenis* cum *Nilo* oſtendas: fingere enim neſcio quos meatus ſubterraneos, nemini mortalium obſervatos, eſt Moſis ſcopum enervare, qui ex notis & manifeſtis characte-

racteribus rem minùs cognitam in lucem protrahere ſibi in animum induxerat : atque eâdem phraſi communicationem aquarum, quam facit *Hedenis* amnis, exponit, cum de fluvio *Gihon* agit, ac quandò eandem *Tigri & Euprati* applicat : ut apertam & manifeſtam aquarum in fluvios *Phiſon* & *Gihon* ejectionem definire cenſendus ſit Moſes. Imo ſi *Nilum* intelligat? cur non potiùs eum circumire terram *Mitzraim*, quam *Cuſch* dixit Moſes? dum illud ultimum notiùs fuerit Iſraëlitis, quam hoc : aut ſaltem *Mitzraim* cum terrâ *Cuſch* non conjunxit? quam totam *Nilus* permeat.

§. 3. Quid ſi *Gihon* ſit ille fluvius, qui *Piriſaboræ* ſeu *Anbaritidis* tractum claudit ab oriente, atque inter eum, & terram palmiferam labitur; quique *Cobar* apud Benjaminem Tudelenſem audit. Hunc fluvium trajecit *Julianus* apud *Ammianum Marcellinum* libr. 24: 3. *Poſt hæc* (relictâ *Piri-Saborâ*) *decurſis millibus paſſuum quatuordecim, ad locum quendam eſt ventum, arva aquis abundantibus fecundantem : quo itinere nos ituros Perſæ prædocti ſublatis cataractis undas evagari fuſiùs permiſerunt. Itaque humo latè ſtagnante altero die militi requie datâ Imperator ipſe prægreſſus, conſtratis ponticulis multis ex utribus & coriaceis navibus, itidemque confectis palmarum trabibus, exercitum non ſine difficultate traduxit.* Obſerva hìc fluvium, quem pervadere non poterant, quique pontes poſtulabat, ut fieret trajectus. Hic diviſionem facit inter tractus *Piriſaboræ* & terram palmiferam, quam priori ponit ad orientem, atque in hunc modum deſcribit. *In his regionibus agri ſunt plures conſiti vineis, varioque pomorum genere : ubi oriri arbores aſſuetæ palmarum, per ſpatia ampla aduſque Meſenem & mare pertinent magnum, inſtar ingentium. Et quaquâ inceſſerit quiſ-*

Digitized by Google

quam, termites & ſpadica cernit aſſidua, quorum ex fructu mellis & vini conficitur abundantia. Notandum planè hunc fluvium non pergere ad confluentem Tigris, quia terra illa palmifera hìc deſcribitur, ut ſe porrigens uſque ad mare magnum, atque adeo terræ Baſſoræ continua. Proin concipi debet hic fluvius aliorſum ſe inflectere, atque occidentales *Cuſchitas* adire: contra ac alvei ulteriores, & *Tigri* viciniores. Ex cataractis avulſis conficio incolarum ſtudiis aquas Euphratis ab hoc fluvio fuiſſe modicè averſas, ut cogeretur, poſtquam terram palmiferam prætererat, maximam aquarum copiam per multifidos rivos *ad Bluthram* projicere, *ubi pars major Euphratis in rivos dividitur multifidos*, inquit Ammianus; nam inter *Meſenem & terram* hanc palmiferam notat idem varias fuiſſe inſulas: ut Meſenem ingreſſuri, *pontibus, multorum amnium concurſu continuatis*, trajicere debuerint: qui tamen amnes & rivi multifidi omnes ſe in fluvium *Delam* ſeu *Phiſontem* exonerant. Dirimit itaque terra palmifera inter fluvios, qui Moſi appellantur *Phiſon & Gihon*: prior inter Meſenem & terram palmiferam; alter inter eandem terram palmiferam, & tractum *Piriſaboræ* (qui idem & tractus *Babylonis* erat, partem urbis orientalem continens) progrediebatur. Concipe jam hos fluvios extitiſſe ante factitium fluvium *Naar-malca*, qui à Maſſice effoſſus eſt *Cobaris* præfecti operâ; ſanè facile erit conceptu utrumque amnem aquas ſuas recepiſſe ex Meſopotamiâ, priuſquam illam conjunctionem cum Euphrate acceperant.

Jungit ſeſe hic fluvius cum Euphratis alveo, qui Babylonem permeat, ad ſepulchrum Ezechielis, ubi uterque confluentem facit; atque hic noſter Euphratem, ſicuti *Phiſon* infra Apameam Tigrin, excipit, quippe aquis

quis alvei iſtius *Euphratis* factus auctior; indè porrò in *Pallacopam* progrediens, & ante foſſæ iſtius aperturam mare Perſicum ingrediens; poſt ejus aperturam verò ſeſe in paludes *Borſippenas* exonerans, terram *Cuſch* adit, & ab *Arabibus* avidè excipitur, qui aquas iſtius ad agros irrigandos magno ſtudio derivant.

§. 4. Si quis verò diſtinctiùs roget; quomodo *ille fluvius totam terram Cuſch circumeat?* Reſpondeo, quia tractus Babylonicos claudit ab oriente, qui fuerunt Cuſchitarum portio, dum *Nimrod* (qui filius erat *Cuſch*) ibì regni ſedem erexit; atque pergens ad *Arabum* tractus, per antiquum Euphratis oſtium in mare Perſicum prolabitur, ubi Arabum ripas perpetuo radit & ambit: veriſimile enim eſt, terram *Chader* olim continenti Baſſoræ adhæſiſſe, atque humanâ induſtriâ canalem iſtum occidentalem, ad Catifam ducentem, terram *Chader* à continenti avulſiſſe, nec non inſulas multas unâ cum *Bahrein* terram fuiſſe continuam; adeo ut inter *Bahreinam & Catifam* progrediens rectè dicatur *totam terram Cuſch circumiviſſe*. Conjicit quoque Cl. *Huetius*, alveos reliquos ad inſulam *Chader* eſſe manu factos. *Viſuntur adhuc hodiè* (inquit, cap. 6: §. 4.) *ad alveum, quem Tigris & Euphrates communem habuere, à dextrâ & ſiniſtrâ plures alii alvei manu facti.* Quâ hypotheſi poſitâ noſter amnis totum illud latus *terræ Cuſch* radere potuit commodè, atque ſic *totam terram Cuſch* (id eſt Arabiam) *circumire.*

§. 5. Affirmant antiquiores auctores, Euphratem olim in mare per oſtium peculiare ſe evolviſſe, ut in fluminis iſtius deſcriptione §. 8. vidimus. Verum obtendit Ill. Abrincenſis Præſul; *conſentaneum eſſe, alveum illum Euphratis, qui peculiari oſtio mari illabebatur, non niſi emiſſionem aquarum fuiſſe, quas Arabes*

bes ad irrigandas terras ſuas ex hoc fluvio deduxerint, iſtoſque populos, latrocinia ſua continuantes, ductum hunc exſiccaſſe: & ſic arte, opus artis abolente, res in eum ſtatum, in quo Moſis tempore erant, deveniſſe. Quod ſi hæc conjectura minùs placeat, alium adfert, dicens porro: *fortaſſe etiam non niſi torrens erat, ex effuſionibus Euphratis enatus, qui aliquandò uſque ad mare pergebat, aliquandò tamen in viâ ſubſiſtebat. Uſque ad mare pergebat, cum iſtæ exundationes ſectiones atque paludes, ex collectionibus aquarum per iſtas ſectiones factas, replerent: in viâ autem ſubſiſtebat, cum exundationes Euphratis deſiiſſent.* Ego contra, antequam duæ ſectiones fuerunt apertæ, quarum una eſt *Cobaris* (fluvii regii auctoris) qui *Euphratem* in Delam derivat; altera eſt *Pallacopa*, 800 ſtadiis infra Babylonem (quam foſſam vocat *Arrianus* ex Euphrate ductam, negatque fluvium eſſe ex fonte ortum) quæ aquos in ſtagna & paludes, ad Arabes deducebat; ita aquam Euphratis per antiquum oſtium fuiſſe in mare effuſam autumem, ut omnem reciperet: Arabes enim oſtium illud non fecerunt; ſed occluſerunt, ut omnem per lacus & paludes ad ſe traherent, quæ commodior erat via. *Arrianus* libr. 7. p. 490. Lacus & ſtagna, aquas per Pallacopam recipere cum dixiſſet, addit, ἃι δὴ ἀρχόμεναι ἀπὸ ταύτης τῆς διώρυχος, ἐς τε ἐπὶ τὴν ξυνεχῆ τῆ Ἀράβων γῆ καὶ ἔνθεν μὲν ἐς τέναγος ἐπὶ πολὺ, ἐκ δὲ τῦ ἐς θάλασσαν κατὰ πολλά τε καὶ μάλιϛα ἀφανῆ ϛόματα ἐκδιδῶτι. *Quæ* (lacus & paludes ſcilicet) *ab hâc foſſâ* (Pallacopâ) *incipientes, aquas uſque ad regionem Arabum proximam, atque inde per vadoſa loca, & hinc porro permulta atque potiſſimum occulta ora in mare deferebant.* Non itaque ab Arabibus exſpectandum, ut oſtium Euphratis aperiant. Neque dubitandum Pallacopam fuiſſe foſſam arte factam,

ctam, *foſſam* enim appellat *Arrianus*, & quod amplius eſt, foſſæ notam invenit Alexander, teſte eodem, quandò 30 ſtadiis à principio Pallacopæ (ubi ex *Euphrate* ducitur) terram vidit petroſam & interciſam, quo loco eam denuò occludere Rex cogitabat. An torrens fuerit canalis ille antiquus, ad oſtium ducens, qui Euphrate attenuato aquas non egerebat? ut quidem volunt. Id ex nullo auctore conſtat, atque adeò eodem jure negari poteſt, quo noſter affirmat. Poſtulat vir maximus ut credamus antiquum eſſe alveum & Paradiſo terreſtri coævum, quo Euphrates Tigri conjungitur. Aſt is eſt *Naarmalca*, flumen procul dubio foſſile; alium autem nullum invenio: ſi alius fuerit à principio rerum, ille aſſignandus eſſet. Omnes auctores teſtantur Euphratem (qui per Babylonios tractus labitur, oſtio antiquo ab Orchenis occluſo) ad paludes derivari, & ſic in occiduum ad Arabum terras prolabi; in Tigrin vero immittere aquas, poſtquam Babylonem permeavit, quantum ego obſervavi dicit nemo.

§. 6. Hiſce addo, quod *Texeira* in ſuâ relatione, reditum ſuum ex Indiâ deſcripturus, narret, Euphrati ramum eſſe, qui ſe in ſinum Perſicum ad Catipham propè Bahreinam præcipitat. *Catipha* verò Arabiæ Felicis urbs maritima & portus eſt, cui inſula margaritifera *Bahrein* x M. ex adverſo adjacet. Sunt etiam, qui affirment aquas ex paludibus per canalem ſubterraneum mare Perſicum ingredi, atque eruptione factâ amnem facere, cujus oſtium ad prædictum mare aquas egerit.

Imò ſufficeret nobis, ſi fluvius *Cobar* (qui nobis eſt *Gihon*) à quo apud Ezechielis monumentum Euphratem recepit, paludes Borſippenas ingreſſus, *Arabiam* adeat, atque rivulis indè deductis eam longè lateque

Digitized by Google

irriget; dici enim exindè poſſet *terram Cuſch circumire*, quod ad teſtimonium Moſis confirmandum ſatis eſſet.

CAPUT V.

De fluvio Edenis Seu Paradiſi.

§. 1. Circa *fluvium Edenis*, qui hortum Dei ſeu paradiſum permeaſſe dicitur, ſummoperè laborant Interpretes, aliis eum unum ex quatuor iſtis nominatis fuiſſe pertendentibus: aliis ex duobus alluentibus confluentem factum defendentibus, qui egreſſurus ſe rurſus in duos alios dividat: hi verò confluentem illum cum fluvio Edenis confundunt. Aſt nos ſimplicem Moſis deſcriptionem expendamus, & ipſa verborum ſimplicitas jubebit hìc quintum agnoſcere fluvium, qui terræ Edenis ſuam debeat originem. Audiamus quæſo Moſen, rem (*Gen.* 2: 10.) in hunc modum referentem. *Fluvius ex Edene, ad irrigandum hortum, egrediebatur: indè dividebatur, & fuit in quatuor capita*, aut (ſi ita velis potiùs) *quatuor capitibus.*

§. 2. Simpliciſſimum eſt, ut hìc fluvium Edenis, qui horto irrigando uſum præbuit, ut peculiarem & à quatuor nominatis alium, ſatis manifeſtò ab iis diſtinctum concipiamus; quippe *ex terrâ Edenis egredientem.* Sanè *egredi ex loco aliquo* commodè eruptionem ex obſcuro in publicum notat, niſi à propriâ & ſimplici vocabulorum poteſtate præter cauſam recedere volumus: quod ſi ſequamur, hìc fluvius dicitur in terrâ Edenis ſuum,

ſuum, ex quo erumpebat, fontem habuiſſe, atque originem: quod aut *Euphrati* aut *Tigri* applicari nequit, qui uterque ex *Armeniâ*, non *ex terrâ Eden*; primum prodire ab omnibus Geographis agnoſcitur. Evicimus jam antè terram Edenis extra Meſopotamiam non eſſe quærendam: neque regio Meſopotamiæ auſtrâlis, cum quoad partem montoſa ſit, fontibus & amnibus deſtituta cenſenda eſt; quaſi fluvios non haberet, ex ejus montibus erumpentes, per quos aquas ſuas emittat. Hoc poſito, nulla ratio proferri poteſt, quo minus unum ex iſtis amnibus hìc deſignari putemus, qui terræ Edenis ſuam debet originem.

§. 3. Huic, hortum permeanti, ſpectabilis aliqua tribuitur *diviſio*: addito termino, à quo diviſio illa incipiebat; *indè* ſcilicet ab horto, cujus proxima facta erat mentio: ſanè illud prædicatum haud commodè ad Edenem referri poterit, cum *in Edene* dicatur fluvius unus, ex eâ egrediens, ac proindè aliquo uſque ſine diviſione progrediens: fuit igitur ei ante diviſionem indiviſus indivulſuſque progreſſus, donec horto irrigato ab indè ſe dividat; atque adeò non tota regio, ſed hortus Edenis diviſionis iſtius terminus, in orientali Edenis parte conſitus. Proin in horto, aut ad ejus egreſſum ex horto, concipiendus eſt fluvius ille unitatem ſuam deſerere, & in plures ejus ramos multiplicari, qui totidem ejus alvei ſunt, aquarum diviſione imminuti.

§. 4. Quæ ſequuntur verba etiam probè expendenda ſunt, והיה לארבעה ראשים: cum quia ab aliis mutilantur, vertentibus, *& dividebatur in quatuor capita*; tum quia à quibuſdum eo trahuntur rami hujus fluvii, quaſi ab ipſo diviſionis principio majora conficerent flumina, & quidem ea ipſa, quæ poſtea appllantur

Euphrates & *Tigris*, nec non *Piſchon* & *Gihon*: notandum itaque, quod *vau* copula duas faciat affirmationes, ac præcedenti alteram adjiciat. Quod etiam obtinet, ſi pro *vau* conſecutivo accipiatur: præter fluvii enim diviſionem aſſerit quoque diviſarum partium uſum, & ſi ſenſus conſecutivus admittatur, ratio diviſionis; dividi enim dicitur, ut eſſet, aut *fieret quatuor capitibus*. Difficultas eſt in voce ראשים, quæ capita ſignificat, quod hic loci per *principia* reddere minus rei conſentaneum eſt: *diviſio* enim fluminis exeuntis, & delabentis, non fit, ut indè enaſcatur principium, ſed ut per ſua divergia ducatur ad exitum. Potior ſententia exponit *capita* per fluvios capitales & primarios, ſeu principes, qui haud quaquam initium ducunt ab iſtâ diviſione, ſed qui ramorum, ex diviſione natorum, ac proindè poſtmodum tenuiùs fluentium, oſtia recipiunt: prout rivi minores & tenuiores aquas ſuas in amnes majores effundere ſolent. Sanè ex amnis diviſione nata divergia eopſe ignobiliora ſint neceſſe eſt, ut nomen ראשים accipere alienum ſit: ſed nobiles dicantur fluvii oportet, qui egeſtiones illas admittunt, & ampliori ſuo alveo âbſorbent. Hunc ſenſum poſtulat verbum היה conſtructum cum ל notâ dativi caſus: verti enim poteſt textus *ut eſſet quatuor fluviorum principalium*, qui ſtatim nominetenus recenſentur: aut ſi id magis fortè placeat, *ut pergat uſque ad quatuor principes fluvios*. Ita ſenſus continuationis à poteſtate verbi היה non eſt alienus, prout alibi ex locis *Gen.* 23: 33. *Pſal.* 37: 18. evincere conabimur: ac præpoſitio ל ſi præcedat מן terminum ad quem indicat, ut ejuſdem poteſtatis cum voculâ עד cenſeatur, ſicuti ex locis *Levit.* 24: 12. & *Jeſ.* 7: 15. evidens eſt. Sic terminus fluvii Edenis à quo

quo erit alibi locus in terrâ Edenis ſupra hortum Dei; terminus ad quem erunt quatuor fluvii majores, ſtatim enumerandi, quos mediante diviſione adiiſſe olim depingitur.

§. 5. Hinc oritur nobiliſſimus hujus fluvii character, quod ſc. debeat eſſe talis, ut aquas ſuas deferendo, per oſtia ſua effundere potuerit in quatuor nominatos fluvios majores, & quidem eoſdem ipſos, qui ſtatim recenſentur: quique appellantur *Euphrates*, *Tigris*, *Piſchon*, *&* *Gihon*: quem characterem non retinent, qui ex fluvio Edenis confluentem *Euphratis & Tigris* faciunt, atque utrumque fluvium ſupra amnem Edenis collocant, eundem aquas ſuas egerere ſolum in duos alios fluvios, qui apud Moſen *Piſchon & Gihon* dicuntur, affirmantes: ita enim terminus ad quem agnoſceret ſolum duos fluvios, non quatuor. Nec rei ſatis faciunt, qui alicubi inveniunt quatuor fluvios, & inter eos *Euphratem & Tigrin*, cum hic requirantur quinque fluvii, quorum unus quatuor alios attingit oſtiis ſuis, in quos ramis diviſis omnem aquam ſuam egerit.

§. 6. Hoc, qui præſtabit fluvius (in Edene oriundus) debuit neceſſariò quæri in terrâ interamnanâ, *Euphratem* inter & *Tigrin* interceptâ: ac intra interamnanam regionem adhuc infra ſe duos fluvios emittente, ad quos quoque liber pateat per diviſionem ulteriorem aditus. Potuit autem id præſtare fluvius aliquis, regionem Samorræ inter Tigrin & Saöcoram perluens, qui oſtium ad Tigris ripam exhibet ſpectabile, cuique incolæ nomen *Odeines* imponunt; prout tabula noſtra delineavit. Quid ni ille fluvius ſupra oſtium hoc, quo cum Tigri aquas ſuas communicat, concipi poteſt olim etiam per alia divergia ramum emiſiſſe in Euphratem?

Digitized by Google

ubi inter oſtium Saöcoræ & Maſſicen alluit: alium in amnem *Gihon*, ſeu fluvium Cobar? tertium verò in fluvium *Piſchon* ſeu Dialam aut Delam? qui duo fluvii ultimi in Parapotamiâ intra *Euphratem* & *Tigrin* procurrunt; donec ille ſe cum Euphrate apud ſepulchrum Ezechielis, hic autem cum *Tigri* infra Apameam commiſceat. Niſi diviſio fluvii Edenis concipiatur ſupra ingreſſum *Phiſchonis & Gihonis*, indicari non poterit, quomodò ejus ramificationes ſe ad quatuor fluvios protendere potuerint, eoſque per oſtia ingredi: neceſſe enim eſt, ut duæ propagines ſupra fontes aut confluentes fluviorum interceptorum fluvios extremos intercipientes ingrediantur, duæ verò aliæ, ultra fontes aut confluentes interceptorum pergendo, alibi juſto loco etiam interceptos infra iſtos limites attingant. Ex quibus luce meridianâ clarius eſt, fluvium Edenis in Meſopotamiâ quærendum eſſe, in quantum à fonte unicus uſque ad diviſionem excurrit: quoniam origines *Delæ* & *Cobaris* procul dubio ſupra Parapotamiam exſtiterunt olim; hoc eſt, in *Meſopotamiâ*, quæ olim intra Maſſicen & Seleuciam Parapotamiæ indivulſè adhæſit.

§. 7. Perierint antiqua nomina fluviorum *Piſchon & Gihon*: hoc ſaltem ex indicato charactere conſtat, quod uterque debeat ſpectari, ut inter *Euphratem & Tigrin* interceptus; ſi enim fuiſſent fluvii intercipientes, & *Euphrates ac Tigris* intercepti, atque iis incluſi, removeri deberet diviſio fluvii Paradiſi ſupra fontes utriuſque, *Euphratis* inquam & *Tigris*: quod cum alibi demonſtrabimus abſurdum eſſe; neceſſe eſt ut *Euphratem & Tigrin* agnoſcamus eſſe fluvios extremos, duos illos alios juſto loco intercipientes, aut ſe in illos cum amiſſione nominis effundentes, atque illos fuiſſe ab utroque interceptos; vel ſaltem eos ita recipien-

pientes, ut nomina ſua retineant. Jam verò fluvii intercepti nulli alii eſſe poſſunt, qui terram Cuſch & Havilæ circumeunt, præter illos, qui in Parapotamiâ inter Euphratem & Tigrin Babyloniam ſecant; quod faciunt *Delas* ab occaſu Meſenes ſuperioris, & *Cobar* ab Oriente Ancobaritidis, terram Palmiferam in medio relinquentes, & ſuis locis fluvios extremos recipientes; *Delas* nempe *Tigrin* infra Apameam aut fortè parùm ſupra Seleuciam (hic enim hæreo adhuc) & *Cobar Euphratem* infra ſepulchrum Ezechielis. Cum itaque fluvius *Paradiſi* non ſit *Delas* aut *Cobar* (ſeu *Piſchon* aut *Gihon*) ſed alius ab utroque diſtinctus, & ſuis oſtiis utrumque ingrediens; nec diviſionem incipiat, niſi ſupra utrumque, ut etiam *Euphratem & Tigrin* immediatè adire queat. Iterum concludendum eſt fluvium Paradiſi cum horto Edenis, in parte ejus orientali plantati, fuiſſe Meſopotamiæ auſtralis amnem, intra *Tigrin & Saocoram* comprehenſas regiones irrigantem.

§. 8. Si quis objiciat; oſtium *Odeines* quidem hodiè cognitum eſſe, per quod fluvius aliquis Meſopotamiæ auſtralis *Tigrin* ingreditur: ſed nihil compertum eſſe de ejus diviſione, quâ ſe *Euphrati*, *Delæ & Cobari* inſinuat. Ei reſpondemus, fortè alveos iſtos exſiccatos fuiſſe, à quo fluvii *Nahar-Malca* & *Nahar-Sares* fuerunt aperti, atque effoſi: quo tempore humana ſtudia id effecerunt, ut derivationibus aquarum incubuerint: quod ſine obſtructionibus oſtiorum antiquorum, & aperturis novorum perfici haud potuit. Hoc unum quæſiviſſe Nebucadnezarem ſaltem conſtat, ut nimiam aquarum copiam à Babylone, eas alibi avertendo, alibi in novos alveos derivando, averteret. Hinc ſanè magna rerum introducta eſt mutatio, & fortè, ut a-

quæ

quæ Euphratis feliciùs per novam foſſam decurrerent; rivulorum tenuiorum, ex Meſopotamiâ alluentium, obſtructio, quâ per unum ramum cogantur Tigrin adire: cæteris oſtiis enim aggeſtione terræ, ex novâ foſſâ eruendæ, occluſis, veſtigia rivulorum ex adducto limo tandem deleta fuiſſe, neceſſè eſt. Ego hanc unicam ceſpitationis virorum doctiſſimorum cauſam exiſtimo, quod non ſatis attendant ad antiquam terræ faciem, quæ jubet, ut fluvium *Nahar-Malca* ex tabulâ ſuâ deleant, & à Maſſice uſque ad Cteſiphontem terram inferiorem faciant cum Meſopotamiæ angulo auſtrali continuam: nec ullam olim *Euphratis* cum *Tigri* coälitionem fuiſſe agnoſcant; quod veteres monent. Quare ante foſſæ iſtius egeſtionem & aperturam, per quam *Euphrates* ad *Tigrin* aditum accepit, apud *Seleuciam*, & ingreſſum in *Delam*, neceſſe eſt, ut duorum amnium intermediorum longè alia fuerit circa eorum principia ratio; ac quidem poſt eam effoſſionem nunc conſpicitur.

§. 9. Maneat ergò tempore Moſis (diu ante apertam illam foſſam, quæ Maſſicen inter & Tigrin jam conſpicitur) *fluvium Paradiſi* Meſopotamiam auſtro orientalem perluiſſe, & non ſolum per oſtium Odeines Tigrim, ſed etiam per tria alia oſtia (poſtmodum fortè obſtructa) reliquos tres fluvios juſtis locis ingreſſum fuiſſe, quod nobis probandum ſuſceperamus.

LI-

Digitized by Google

LIBER TERTIUS,

De Paradiſi terreſtris vero ſitu.

CAPUT I.

De Paradiſo, ſeu horto Dei.

§. 1. PRimam hominis integri & in amicitiam Dei recepti, ſedem fuiſſe *hortum*, teſtatur *Moſes:* vox enim hebraica גן *hortum* ſignificat, ſive à communi terrâ ſeparatum agrum, ſuâ macerie aut ſepimento concluſum, arboribus aliiſque frugibus & floribus conſitum, nec non omnibus ad victum & honeſtam oblectationem ſummâ cum abundantiâ & præſtantiâ refertum. Etymon cum uſu vocis collatum, ſignificationem iſtam confirmat; deducitur enim vox גן à radice גנן *protexit, & munimine cinxit. Jeſ.* 37: 35. ſolent enim *horti* ſepibus aut muro muniri, ut à ferarum & furium irruptionibus ſint tuti, & præſervati. Applicatur autem hoc nomen loco ſeu ad arboretum conſtituendum *Jeſ.* 5: 2, aut ad frutices aromaticas colendas *Cant.* 4: 16. 5: 1. 6: 2, aut ad olerum genituram 1 *Reg.* 21: 2. macerie ſuâ circumſepto, aliove modo clauſo. Inter honeſtiora hominis, etiam ſanctiſſimi, oblectamenta (quamdiu mens in corpore hoc organico, cibo atque potu reficiendo, peregrinatur) *horti* ſunt; omnes ſenſus externos demulcentes, dum variegatis florum coloribus paſcunt *oculos*, multiplici volucrium concen-

Digitized by Google

tu afficiunt *aures*, fragrantium herbarum odore gratiſſimo opplent *nares*, fructuum variorum dulcedine voluptatem adferunt *palato*, atque tandem etiam mollia ejus arva toti *corpori* jucundam præbent requiem. Neque hortorum uſus in iis tantummodo ſubſiſtit, verum etiam animum, rerum varietate affectum, in divinæ benevolentiæ, atque variegatæ ejus ſapientiæ contemplatione feliciter exercent: in hortis enim benè cultis præ primis

Laudat præſentem quælibet herba Deum.

Plinius l. 18: 1. *Inter ea*, inquit, *quæ benignâ tellure proveniunt vel per ſe tantum herbarum immenſa contemplatio eſt, ſi quis æſtimet varietatem, numerum, flores, odores, coloreſque & ſuccos ac vires earum, quas ſalutis, aut voluptatis hominum gratiâ gignit.* Ampliſſimus itaque in horto Dei contemplationis campus erat, ſi ſingulis ſe applicaret mens humana. *Cicero* de naturâ Deorum 2. animadvertit, *ut terra veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus; quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur*, doceat DEUM ESSE. Ad ſapientiam & providentiam cauſæ primæ nos reſpicere jubet dominus noſter *Matth.* 6: 28. 30. quo agnoſcamus Deum eſſe, *qui pingit flores & veſtit lilia campi: Quis enim alius artifex poſſit tantam rerum exprimere venuſtatem?* rogat *Ambroſius* l. 3: 8. Hexaem. Naturæ benignitatem miratur in his *Columella* l. 1: 21. nos Dei, cujus beneficio *tot floribus ver, tot undique verſicoloribus pomis gravidus collucet autumnus.* Jam concipe hominem, ad imaginem Dei conditum, pro lumine naturali adhuc integro, ampliſſimam habuiſſe contemplationis ſpiritualis

lis materiam, quotieſcunque ex re materiali aſſurgere placuerit ad cœleſtia, & cauſæ primæ virtutes perpendere in effectis: præ primis quandò in horto iſto beato ſymbolum agnoſcebat datum majoris felicitatis in paradiſo cæleſti perfruendæ.

§. 2. Interpretatio Græca τῶν Lxx. tum hìc, cum alibi, loco vocis גן vocem παράδεισος ſubſtituit, undè factum, ut hic *hortus* Helleniſtis & Philoni Judæo per excellentiam *Paradiſus* audiat. *Suidas* vocem παράδεισος græcæ eſſe originis voluit, atque ex παρὰ & δεύω *affatim irrigo* derivat, eo quod talis locus debeat eſſe admodum irriguus, aquarumque copiâ refertus. Verum cum jam Hebræis ſit in uſu, ut patet ex locis *Eccl.* 2: 5. *Cant.* 4: 13. *Nehem.* 2: 8. non videtur illa etymologia admittenda. Alii vocem eſſe hebraicam exiſtimant, atque vocem eſſe compoſitam ajunt ex verbo פרח *fructificavit*, & הדס *myrtus*; quaſi locum indicaret, inde ob agri fertilitatem *myrticeta* conſeri ſolebant. Verum & illa etymologia nimis coäcta & longe petita videtur. *Pollux* monet in onomaſtico, perſicam eſſe vocem; nec obſtat, quod in Salomonis libris occurrat, qui longe ante tempora *Cyri* (ſub cujus imperio *Perſæ* potiſſimum inclaruerunt) vixit, atque ſcripſit; cum jam tum Perſæ fuerint, quibus paradiſos plantare fuerit pro more; undè fortè illi primi nomen dederunt, quod ad Meſopotamienſes, alioſque cum uſu rei tranſiit; atque inde ad Hebræos. „ De *Cyri mino-*
„ *ris*, qui Perſa fuit ſtudiis, *Cicero* videndus cap. 17.
„ de ſenectutè: monet enim ut Lyſandro Lega-
„ to Sardis quendam conſeptum agrum, diligen-
„ ter conſitum oſtenderit: in quo cum *Lyſander*
„ admiraretur & proceritates arborum & directos in
„ in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque

„ puram, & ſuavitatem odorum, qui adflarentur è
„ floribus; tum dixiſſe, mirari ſe non modo diligen-
„ tiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa di-
„ menſa & deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe; atqui
„ ego omnia iſta ſum dimenſus, mei ſunt ordines,
„ mea deſcriptio: multæ enim iſtarum arborum meâ
„ manu ſunt ſatæ. Idem *Cicero* vocem Paradiſi apud Xenophontem inveniens, eam reddit hic loci *agrum conſeptum & diligenter conſitum*, atque ad eum refert ea omnia, quæ commemoravimus. *Gellius* vero *vivarium* vertit, quia etiam in iis certæ ſpecies animalium erant oblectamento. In Salomonis cantico *Paradiſus* exhibetur ut continens *mala punica cum pomorum fructibus, cyprum cum nardo:* atque adeo gratiſſimos odores, dulciſſimos fructus, ſaluberrima poma, & quicquid hominem reficere, ac longe proſpicientibus jucundiſſimum præbere ſpectaculum poteſt. In ſuo Eccleſiaſte vitæ ante actæ rationem & ſtudia exponens dicit ille (qui potis erat *diſceptare ſuper arboribus à cedro, qui eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete* (1 *Reg.* 4: 33.) עשיתי לי גנות ופרדסים. *Feci mihi hortos & paradiſos & conſevi eos cuncti generis arboribus.* Ubi fateor hortos eum à Paradiſis diſtinguere; quod tamen ita intelligendum eſt, ut putemus vocem priorem generalem jungi cum voce ſpecialioris ſignificationis, quo ſpeciem alteram ſignificet: proin *Paradiſos* vocat, in quibus mirari liceat & arborum ſelectum, & ordines atque deſcriptiones: quibus vulgaribus hortis præcellunt.

§. 3. *Arboretum* fuiſſe hunc hortum Dei, variis arborum ſpeciebus conſitum, ex verbis hinc Tentatoris, illinc mulieris, inſidiatoris quæſito reponentis, conſtat: rogat enim callidus iſte fallaciarum artifex *Gen.* 3: 1. 2.

Dixit

Digitized by Google

Dixit ne Deus ; ex omni arbore comedetis? neque hæc interrogatio aliâ accipi poteſt mente, quàm ut ſit in quaſcunque arborum ſpecies, in horto illo conſitas, inquirentis : quare & mulier reſpondet : *De fructu arborum horti hujus veſcemur.* Proin arbores continuit hic hortus pluſquàm unius ſpeciei ; arbores inquam multivarias, quas inter hinc *arbor vitæ*, illinc arbor *cognitionis boni & mali* nominetenùs recenſentur. Nec tamen ita denſatum fuiſſe arboribus hoc pomarium putes, quaſi in opacum exſtructum fuiſſet nemus, nullumque frumento & frugibus ſpatium reliquerit divina architectura, quibus tamen etiam veſci debuit homo. Sanè omnia vitæ alendæ neceſſaria, eo in loco invenire debebant horti iſtius coloni ; ut proin oporteat hinc agros comprehendiſſe ad ſegetem, olerumque proventum, illinc vivarium paſcuis lætum, quibus animalia gaudent: quoniam homini recto cum dominio in animalia, etiam fruges & olera in cibum dederat Deus. *Gen.* 1:28. 29. In uberrimo hoc rerum promptuario quis neget extitiſſe, quæ ad vitam & lœtitiam fovendam conducunt: neque illa fuiſſe nimiùm à loco commorationis, ubi degebant primi homines, remota, æquitas poſtulat: *Paradiſus* primo humani generis parenti, ut coleret commendatus fuit, non terra ulterior ; adeoque intra ejus ambitum invenit ſpatia, variis rebus ad neceſſitatem & oblectationem ſpectantibus, dimenſa & ordinata. Meritò itaque *hortus ille* celeberrimus, omnium neceſſitatum & oblectamentorum compendium & promptuarium antiquis *Paradiſus* dicebatur.

§. 4. Cumque *paradiſi* eo quoque communes atque vulgares hortos tranſcendant, quod, quæ ad ordinem & gratiam faciunt, ibi majori cum ſolertiâ obſerventur ; atque hic hortus reſpici debeat ut artificium,

diviná ſapientiâ dignum, quippe quem *Deus plantaſſe* dicitur *in Eden*; quo divinæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis ſingulare ſpecimen atque ſpectaculum homini recto exhibeat; ſanè *paradiſi* nomine recte fuit inſignitus. *Ad gratiam* ſpectabat, quod in eo ſelectum fuiſſe utiliſſimarum & gratiſſimarum arborum erudimur: dicit enim Moſes *Gen.* 2: 9. *Quod Jehovah Deus quamcunque arborem ex illo ſolo excreſcere juſſerat, quæ grata erat conſpectui, & bona ad cibum*: quicquid oculos formâ, atque palatum dulcedinè delinire pote erat, hoc præelegerat divina prudentia, ut horti ſui colono objiceret, eique in uſum concederet: *Ad ordinem* referre, & tanquam juſtæ diſpoſitionis obſervatæ ſpecimen atque argumentum cenſeri oportet, quod *arbor vitæ & arbor cognitionis boni atque mali*, dicantur *in horti medio* collocatæ, tanquam præ reliquis omnibus ſpectabiles: hoc enim ſignum eſt, ſingulas arborum ſpecies peculiares accepiſſe ſtationes, prout concinnitas poſtulat: neque longam rerum varietatem promiſcuo ſitu & confuſâ inter ſe poſiturâ, fuiſſe permixtam; ſed prout promptior rerum uſus, & concinnior ordo requirebant, ſuas tenuiſſe areolas, ſuamque ſeriem. Sic *arbor vitæ in medio* ſpectabatur, ne ſi paſſim extaret, vileſceret, aut cæteris immixta in obſcuro latitaret, inventuve difficilis eſſet: imò ut aditus ad eam omni ex parte æque eſſet facilis. Confer *Ezech.* 31: 8. 9.

§. 5. Commendabat quoque *horti* præſtantiam, eumque ad *Paradiſi* dignitatem extollebat, quod agros continebat irriguos; quippe qui integrum habuit *amnem*, hujus uſibus ſingulatim inſervientem, atque *ad hortum illum irrigandum* prolabentem: quod præſtare potuit, aut tempeſtivis inundationibus, ut Nilus fæcundat Ægyptum; vel humi impragnatione, dum venas

nas

nas ſubterraneas perreptando, ſuccos frugales ubique exſudaret, vel etiam aquarum derivationibus, mediantibus rivulis ex fluvio eductis, ſicuti agricolæ ductis elicibus, hortos & agros per areolas irrigare ſolent. Quocunque modo id factum fuerit, hoc ſaltem conſtat, à fluvio iſto *irrigatum* fuiſſe *hunc hortum Dei*, atque creatorem orbis *huic uſui fluvium iſtum ordinaſſe*, ut curſu ſuo locum, quem horto huic voluptuoſo ſuſcipiendo deſtinaverat, adiret, permearet, & aquarum copiâ humectaret. Laudantur horti & paradiſi, qui aquis irrigantibus abundant, *Jeſ.* 58: 11. ubi in Symbolum divinæ benedictionis proponuntur: *Eritis inſtar horti irrigui, & ſcaturiginis aquarum, cui aquæ non deſunt.* Conf. *Num.* 24: 6. indè proverbium *riguo formoſior horto.* Ne aquarum inopiâ laborarent horti ſui, teſtatur Salomon de ſe, quod *Eccl.* 2: 6. *Exſtruxerit ſibi piſcinas aquarum, ut irrigaret ſilvam lignorum germinantium* *Piſcinæ* hebr. ברכות à benedictione vocantur; quia felicior plantarum, arborumque proventus exindè dependet. Inter jactationes, quibus Semiramis ſe efferebat, quaſque columnæ inſcripſerat, legitur & hæc. *Terram ἄκαρπον reddidi fœcundam; fluviis enim meis eam temperavi* (Vid. *Polyæn. l.* 8. *ſtrat.*) agnoſcens ubertatem ſoli non inveniri niſi in locis irriguis: aquæ enim plantarum nutrimentum cum ſint, ope ſolis volatiliſatæ, atque in rorulentum humorem excoctæ, à quo poros radicum ſubingreſſæ ſunt, idem præſtant germinibus, quod ſanguis homini: ſuccorum nempe, à quibus vigor & incrementum pendet, circulationem, dum ductus & canaliculos interiores uſque ad minima filamenta perreptantes, ſecum advehunt, quæ corpori cum materiâ augmentum adſtituunt, quo in frondes, folia, gemmas, flores & fructus erumpant.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Quid ni etiam *hortum illum* à præcellentiori climate præſtantiam ſingularem habuiſſe agnoſcamus. Nemo neſcit quantum aëris clementia ad feliciorem germinum proventum conferat. Solis calor ubi temperatus eſt, ſuccos terræ alimentoſos foris ad modum & menſuram impellens, efficit, ut poros radicum felicius ſubeant, & per fibras juſto moderamine pergentes, plantas alacrius promoveant: ut enim à nimio ardore exareſcunt atque elanguent plantæ; ita à frigore rigeſcunt, quas moderatus calor vegetat. Cum autem terra *Eden*, cujus partem occupaſſe hortum hunc beatum, ob auctoritatem Moſis credimus, à nobis inventa fuerit intra Tigrin & Euphratem, in auſtrali Meſopotamiæ parte, ubi Aſſyriam adhuc reſpicit: ſanè oportet ut ſub climate quarto, ejuſque principio, hortum iſtum condiderit Deus: ubi dies longiſſimus eſt 14 horarum cum ſemiſſe; omniaque gratiſſimè temperata exiſtunt, neque anni tempeſtates nimiam cæli mutationem adferunt: ſub quo climate etiam *Rhodus*, & *Syria*, ac feliciſſimæ telluris partes inveniuntur. Adde etiam illo ſeculo ibi viguiſſe hortum illum, quo terra nondum erat ſubjecta maledictioni; ac proindè nullos emittebat vapores iniquos, athmoſphæram corrumpentes, aut blandam aëris temperiem turbantes, ſed molli rore ac pluviâ humum ſub clementiori ſolis calore permulcentes. Ultra quæ nemo jure ad placidiſſimam regionis inhabitationem quicquam amplius requirat.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT II.

Examen ſententiæ eorum, qui allegoricè accipienda eſſe verba Moſis volunt.

§. 1. FUerunt inter Veteres, *Philonem Judæum* imitantes, qui hiſtoriæ literam prætereunt, atque totam de horto Edenis Hiſtoriam Moſaicam in allegoriam convertunt. Horum inter Doctores Chriſtianos Dux fuit *Origenes*, de quo *Hieronymus* ad Pammachium Tom. 2. refert, *Origenem ſic Paradiſum allegorizare, ut hiſtoriæ auferat veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cæleſtes intelligens, totamque paradiſi continentiam tropologicâ interpretatione ſubvertat.* Verum inſpiciamus ipſa Doctoris verba, quæ extant libr. 4. περὶ τῶν ἀρχῶν, c. 2. quæ ita ſeſe habent. *Quis verò ita idiotes invenitur, ut putet velut hominem quendam agricolam Deum plantaſſe arbores in paradiſo, in Eden contra Orientem, & arborem vitæ plantaſſe in eo, id eſt, lignum viſibile & palpabile, ita ut corporalibus dentibus manducans, quis ex eâ arbore vitam percipiat? & rurſus ex aliâ manducans arbore boni & mali ſcientiam capiat? ſed & illud, quod Deus poſt meridiem deambulare dicitur in paradiſo, & Adam latere ſub arbore, equidem nullum arbitror dubitare, quod figurali tropo hæc à ſcripturâ proferantur, quo per hæc quædam myſtica indicentur.* In Philocaliâ. Cap. 1. hæc ſunt ejus verba. Τίς ὄυτως ἠλύθιος ὡς οἰηθῆναι τρόπον ἀνθρώπυ γεωργῦ τὸν θεὸν πεφυτευκέναι παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολὰς, καὶ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν ἀυτῷ πεποιηκέναι ὁρατὸν καὶ

 αἰσθη-

ἀισθητὸν; ὥςε δία τῶν σωματικῶν ὀδόντων γευσάμενον τοῦ καρποῦ τὸ ζῆν ἀναλαμβάνειν: καὶ πάλιν καλοῦ καὶ πονηροῦ μετέχειν τινὰ παρὰ τὸ μεμασῆσθαι τὸ ὑπὸ τοῦ ξύλου λαμβανόμενον. Ἐὰν δὲ καὶ ὁ θεὸς τὸ δειλινὸν ἐν τῷ παραδείσῳ περιπατεῖν λέγηται, καὶ ὁ Ἀδὰμ ὑπὸ τὸ ξύλον κρύπτεσθαι ἔκ οἶμαι διςάζειν τινὰ περὶ τοῦ αὐτὰ τροπικῶς διὰ δοκούσης ἱςορίας, καὶ οὐ σωματικῶς γεγενημένης μηνύειν τινὰ μυςήρια. Hoc autem de ſpirituali paradiſo commentum, *Origenem* ex *Philonis*, & aliorum Judæorum hauſiſſe allegoriis, merito aſſerunt viri docti. *Ambroſius*, latinorum patrum facundiſſimus, in hanc etiam conceſſit ſententiam, qui difficultatem in paradiſi Moſaici explicatione prætexens, ait. *De paradiſo adoriundus ſermo, non mediocrem æſtum nobis videtur incutere, quidnam ſit paradiſus, & ubi ſit, qualiſve ſit inveſtigare & explanare cupientibus.* Hinc pergens, ad myſticam ſe confert ſignificationem. *Si paradiſus eſt*, inquit, *in quo erant exorta virgulta: videtur paradiſus anima eſſe, quæ multiplicat ſemen acceptum, in quâ virtus unaquæque plantatur; in quâ erat etiam lignum vitæ, h. e. Sapientia.* Ex recentioribus fuit *Franciſcus Georgius Venetus*, qui Probl. T. 1. Sect. 1. §. 31. eam cauſam hiſce tuetur argumentis. „*Ubi*,
„ inquit, & quomodò plantatus fuit hortus delitia-
„ rum? An forſitan in terrâ; ut eſt vulgaris opinio?
„ unde & paradiſus terreſtris falſo vocari ſolet: cum id
„ nuſquam in ſcripturâ reperiatur. Nam, quomodo
„ conſitus dicitur hic locus à principio arboribus mate-
„ rialibus: cum jam toti terræ dictum ſit; *producat*
„ *terra herbam virentem & lignum pomiferum?* Si e-
„ tiam tota terra conſita & præparata fuerat in hoſpi-
„ tium hominis peregrinantis; ad quid locus iſte parti-
„ cularis? an forte locus iſte particularis factus eſt pro
„ iis, qui erant in ſtatu innocentiæ? Sed ille commu-

„ nis,

Digitized by Google

„ nis, quibus paratus erat; cum nullus adhuc pecca-
„ tor eſſet? Prævidit inquies Deus hominem caſurum;
„ hinc præparavit ei locum illum communem. Sed,
„ nonne ſcriptum eſt, *maledicta terra in tranſgreſſione*
„ *tuâ?* unde docemur; quod peccantibus data fuit
„ terra maledicta, quæ non maledicta parata erat iis,
„ qui erant in ſtatu innocentiæ. Expulſo itaque homi-
„ ne, ad quid plantatio illius horti? Quis eum po-
„ ſtea coluit? An forſitan Henoch & Elias? Sed an-
„ tequam Henoch & Elias illuc irent; quis colebat
„ ipſum? quis comedebat fructus illos? & quomodo
„ duo viri poſſunt ſufferre cultum, qui univerſo gene-
„ ri humano indictus erat? Et quomodo plantatus eſt
„ in terrâ? cum in veritate hebraicâ habeatur, quod
„ *Deus plantavit ipſum in voluptate?* Plantatus ita-
„ que fuit hic hortus *in terrâ*, de quâ propheta canit.
„ *Credo videre bona Domini in terrâ viventium*, ubi
„ enim melius potuit plantari arbor vitæ, quam *in ter-*
„ *râ viventium?*

§. 2. Culparunt in hâc ſententiâ celeberrimi primitivæ eccleſiæ Doctores, quod omnem ſenſum hiſtoricum, in literâ textus tam manifeſto percipiendum, ut rem abſurdam rejiciendo, ſcripturam evacuarit *Origenes*: ſi enim nullus fuit in terrâ paradiſus; & locus, quem Moſes deſcripſit, à ſenſibus planè fuit remotus, nihil earum rerum fuit in paradiſo, quas Moſes nominibus rerum ſenſibilium deſcripſit. Audiamus *Epiphanium*, id pulcherrimâ gradatione exaggerantem; Ἐι τοινυν οὐκ ἐνι παράδεισος ἀισθητὸς, οὐκ ἐνι πηγὴ; εἰ οὐκ ἐνι πηγὴ, οὐκ ἐνι ποταμὸς, εἰ οὐκ ἐνι ποταμὸς οὐκ εἰσὶ τέσσαρες ἀρχάι· οὐκ ἐνι Φησὼν καὶ Γηὼν, καὶ Τιγρις καὶ Ἐυφράτης: οὐκ ἐνι συκῆ, οὐκ ἔνι φύλλα, οὐχ ἔφαγεν ἀπὸ τοῦ ξύλου Εὔα, οὐκ ἔνι Ἀδὰμ, οὐκ εἰσὶν ἄνθρωποι, ἀλλὰ μῦθος λοιπὸν ἡ ἀλήθεια, καὶ ἀλλη-

γοροῦται τὰ πάντα. Hoc eſt: *Si paradiſus non eſt ſenſibilis, non eſt etiam fons; ſi non eſt fons, non eſt flumen; ſi non eſt flumen, non ſunt quatuor principia, non Piſon, non Gihon, non Tigris, nec Euphrates; non eſt ficus, non folia, non comedit ex arbore Eva, non eſt Adam, non ſunt homines, ſed veritas jam fabula eſt, & omnia ad allegorias revocantur.* Nec diſſimile reſponſum legitur apud *Dionyſium Alexandræum.* *Si in cælo eſſet paradiſus, quomodo*, inquit, *terrenum hominem Deus illuc introduxiſſet? quomodo ibi animantes è terrâ volucreſque creaſſet? ubi vir & mulier? ubi lignum fuit* θανατηφόρον *& ſerpens deceptor? quæ quidem in cælo eſſe non poſſunt.* Hæc teſtimonia adduxit *Joh. Hopkinſonus*: additque porro; „ In hoc errore refellendo „ omnes propemodum Patres, tam græci, quam lati- „ ni, multum laborarunt, qui concordi ſententiâ pa- „ radiſum locum fuiſſe terreſtrem prodiderunt. Planè „ ridiculum eſſet, voluiſſe Moſen deſcribere paradiſum „ per ea loca, quæ in noſtro orbe ſunt, ſi paradiſus „ extra hanc noſtram terram fuiſſet. Cur de paradiſi „ fluminibus ſcripſerit Moſes? cur eorum origines, „ curſus, terraſque, quas præterlabebantur, minuta- „ tim enarrarit, niſi ut pateret omnibus, paradiſum „ fuiſſe locum corporeum & terreſtrem. Hactenus vir doctiſſimus, & ſatis nervoſe. Subjungam tamen & locum *Chryſoſthomi* ex hom. 13. in geneſin. *Ideo*, inquit ille, *Moſes, deſcribens paradiſum, & nomen loci, in quo erat, ſcilicet Heden, & plagam orientalem, quam ſpectabat, & nomina fluminum è paradiſo egredientium, ferè nota omnibus, tam ſubtiliter & accuratè enarravit, ut non liceret nugari volentibus decipere ſimpliciores, dicendo nullum fuiſſe in terrâ paradiſum, ſed in cælo, & alias fabulas, ſuaque ſomnia jactando:* nam

Digitized by Google

nam ſi cum Moſes tantam in deſcribendo paradiſo diligentiam poſuerit, nihilominus tamen fuere nonnulli fabulantes, non fuiſſe paradiſum, multaque alia à doctrinâ Moſis alieniſſima inducentes, & verba ejus aliorſum quam dicta ſunt detorquentes: quid futurum fuiſſet, ſi non tam minutatim, tam dilucidè, denique tam enucleatè paradiſum deſcripſiſſet?

§. 3. Non quidem ſpernebant antiqui illi Doctores allegorias; ſed damnabant illud allegorizandi ſtudium, quod ſenſum literalem rejicit; atque res externas, quæ Symbolorum vice funguntur, non in literâ agnoſcit, diligenterque in veritate hiſtorica perpendit. Omnium loco mentem eccleſiæ dicat *Auguſtinus* libr. de civitate Dei 13. c. 21. „ Nonnulli totum illum paradiſum, „ ubi primi homines fuiſſe narrantur, ad intelligibilia „ referunt, arboreſque illas & ligna fructifera in virtutes „ vitæ moreſque convertunt, tanquam viſibilia & corporalia illa non fuerint, ſed intelligibilium ſignificandorum cauſâ, eo modo dicta vel ſcripta ſint, „ quaſi propterea non fuerit paradiſus corporalis, quia „ poteſt etiam ſpiritualis intelligi: tanquam ideò non „ fuerint duæ mulieres Agar & Sara, & ex illis duo „ filii Abrahæ, unus de ancillâ, alius de liberâ, quia „ duo teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus. Nemo itaque prohibet intelligi paradiſum, vitam beatorum; quatuor ejus flumina, quatuor virtutes, „ prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & juſtitiam: & ligna ejus, omnes diſciplinas, & lignorum „ fructus, mores piorum, & lignum vitæ, omnium bonorum matrem ſapientiam; & lignum ſcientiæ boni „ & mali; tranſgreſſi mandati experimentum. Poſſunt „ etiam hæc de eccleſiâ intelligi, ut eo melius accipiamus tanquam prophetica indicia præcedentia futuro-

„ rum: paradiſum ſcilicet ipſam eſſe eccleſiam, ſicut
„ de illo legitur in *Cant. Cant.* Quatuor autem flu-
„ mina paradiſi, quatuor Euangelia; ligna fructifera,
„ Sanctos; fructus autem, opera eorum; lignum vitæ,
„ ſanctum ſanctorum utique Chriſtum; lignum ſcien-
„ tiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium.
„ Hæc, & ſi quæ alia commodius dici poſſunt de intel-
„ ligendo ſpiritualiter paradiſo, nemine prohibente di-
„ cantur; dum tamen & illius hiſtoriæ veritas fideliſſi-
„ ma, rerum geſtarum narratione commendata, cre-
„ datur.

Fatemur *Paradiſi* nomen ad cœlum beatorum transferri in Novo Teſtamento. *Luc* 23: 43. 2 *Cor.* 12: 4. *Apoc.* 2: 7. Verum tunc nomen Symboli transfertur ad rem ſignificatam, propter analogiam utrinque intercedentem: quod ſanè non prohibet, quo minus *Paradiſus* quem Moſes deſcripſit, fuerit vera ſymboli delineatio, in amœniſſimo telluris horto contemplanda. Sicuti nemo negabit rupem à Moſe percuſſam, aquam effudiſſe, quâ populus ſitim exſtinxit ſuam, à quo deſertum horridum & inaquoſum ingreſſus fuit, etiamſi Paulus dicat 1 *Cor.* 10: 4. *rupem fuiſſe Chriſtum:* ita quoque negandum haud eſt, hortum â Deo in oriente terræ Eden fuiſſe plantatum, in quem *Adamum* introduxit, etiamſi cœlum *paradiſus* vocetur: cum illud fiat juxta conſuetum S. literarum ſtylum; qui nomen ſigni imponere rei ſignatæ ſolet.

§. 4. Quæ autem adverſus ſenſum literalem ſeu hiſtoricum, quem verba Moſis fundunt, objiciuntur tanquam abſurda, tanti non ſunt, quin facile diluantur. 1 Obtendunt quidem; *haud quenquam fore adeo ſtupidum, ut Deum putet agricolam fuiſſe, & arbores plantaſſe in paradiſo.* Ita *Philo Judæus* ante Origenem libr.

Digitized by Google

libr. 1. Alleg. legis. Μὴ γὰρ τοσαύτη κατάχοι τὸν ἡμέτερον λογισμὸν ἀσέβεια, ὡς ὑπολαβεῖν, ὅτι Θεὸς γεωπονεῖ, καὶ φυτεύει παράδεισον. *Abſit enim ut tanta rationem noſtram invadat impietas, ut ſuſpicemur Deum colere & plantare paradiſum.* Cui ſatis ſolidè reponit *Cl. Morinus.* „ Abſit equidem ô Philo! ut exiſtimemus Deum „ plantaſſe hortum, & coluiſſe arbores ob fructus, „ aut alias utilitates, quibus indigeret: fatemur, quod „ ſe ipſo contentus eſt, & ſibi etiam locus eſt: ſed „ in gratiam hominis hortum, omnium arborum præ„ ſtantiſſimarum genere conſitum produxiſſe, firmiter „ credimus, quia ipſe docuit. Nec eſt, quod quis putet Deo non convenire agricolæ inſtar arbores plantare, atque eo labore occupari, atque ita his curis aliquamdiu diſtrahi: quaſi operam manuariam Deo attribuat Moſes, eamque moleſtam. Quare ad rem reſpondit *Chryſoſthomus* Hom. in Gen. 13. *Quid? dic oro: ligone opus habuit, & agriculturâ, & aliâ curâ, ut paradiſi hortum excoleret? abſit: iterum enim verbum plantavit, ſic intelligendum, quod imperavit hortum in terrâ fieri.* Sane loquitur Deus & adeſt, præcipit & ſubſiſtit. Ejus voluntate & nutu omnia erant, & creata fuerant: neque quicquam Deo moleſtum aut difficile fuit. *Jeſ.* 40: 28.

2. *Robertus Flud* (ſub ficto *Rudolfi Otreb* nomine) ad fratres Roſeæ crucis libr. 1. de vitâ c. 9. *abſurdum* dicit, *Deum terreſtrem quendam paradiſum condidiſſe, qui tempore tam exiguo homini in uſum cedere debuerit*, ô miſeras animas. Tenent ne, Deum non tractare hominem ex futurorum præſcientiâ, ſed ex conditionis præſentis exigentiâ, ut gloriam ſuam exaltet? ille omnia facit ad reſponſum ſuum. Angelos poſtea apoſtatas in cælo, Protoplaſtas in paradiſo conſtituit, licet præ-

Digitized by Google

prævideret utrorumque perfidiam paulo poſt ſecuturam; verumne illa defectui divinæ bonitatis attribuentur? æterni uſus erant illa beneficia; quia æterna eorum memoria plurimum faciebat ad perennem viarum Dei juſtificationem: & rodens peccatoris conſcientia ei ſemper poterat exprobrare, quantam ſpreverat felicitatem; quotieſcunque priſtinæ felicitatis recolebat memoriam. Quod ergo nefandæ ingratitudinis reos damnat in perpetuum, & creatoris hinc bonitatem glorificat, illinc juſtitiam vendicat per omnia ſecula, hujus uſus non eſt exigui temporis, ſed æternus; contra ac ille obtendit: imò cujus rei memoria utilis eſt ad omnem peccatorem invitandum, ut ad largiſſimum illum bonitatis fontem per reſipiſcentiam redeat, & ſpem rei ita quondam oppignoratæ, nunc amiſſam, recuperet; ſane ejus rei creatio non cenſenda eſt vel ipſi homini parum, & ad exiguum tempus utilis: atqui ita ſe habet creatio Paradiſi terreſtris in ſymbolum Paradiſi cæleſtis homini recto conceſſi, & in invitamentum lapſi, ut dum ſymbolo iſto deſtituitur, re adumbratâ deſtitutus non maneat. Hinc incitatio ad reſipiſcentiam & ad conſtantiam. *Apoc.* 2: 7. *Qui vincit, dabo illi comedendum de arbore vitæ, quæ eſt in medio Paradiſi Dei.* Tantum valet priſtini pignoris memoria.

3. Quod *Fr. Georgius Venetus* opponit ſcilicet, *ſi terreſtris fuit Paradiſus, terram reliquam nullius uſus fuiſſe:* hoc nihili eſt; multiplicato enim humano genere in rectitudine, potuiſſet reliqua terra ſimilibus impleri hortis, Deo bonitatem ſuam amplificante, aut alio modo nobis non revelato cum poſteritate agente, qui non minus ad piorum ſpem fovendam coöperaretur. Quod ſollicitus de Paradiſi poſt primorum parentum ejectionem uſu rogat: *ad quid eſſet? quis eum coluerit?*

rit? &c. fruſtrà eſt. Cum palam ſit, vi maledictionis hortum eum corruptioni relictum fuiſſe, & diluvio planè ſublatum: quicquid ſtatuant Pontificiorum quidam, *Paradiſum* illum adhuc poſt primævam integritatem exiſtere volentium: atque ſuis temporibus *Henochum* & *Eliam*, ut inquilinos, recepiſſe putantium; quod urget *Bellarminus* libr. de gratiâ primi hominis cap. 14. Contra tamen ſtatuunt eum diluvio planè periiſſe prudentiores *Bonfrerius*, *Pererius*, multique alii. Licet & nos vi maledictionis omiſſâ omni culturâ ſponte à primo ornatu receſſiſſe putemus; cum pars eſſet terræ, maledictioni divinæ propter peccatum Adami ſubjectæ.

CAPUT III.

An totus mundus fuerit Paradiſus? inquiritur.

§. 1. QUidam totum terrarum orbem fuiſſe Edenem ſtatuunt. Dux & auctor ejus ſententiæ putatur *Joſephus*, aut Judæorum aliquis Magiſter, ex quo ille eam hauſit. *Rigatur*, inquit, ille, *hic hortus ab uno amne, univerſam in circuitu terram luſtrante, qui in quatuor diverſos alveos finditur. Horum, qui Phiſon nominatur ... ad terram Indiam delatus, in illud ſe pelagus exonerat, Græcis Ganges appellatus. Euphrates autem & Tigris in rubrum mare exeunt... Geon autem Ægyptum mediam ſecat ... quem Græci Nilum appellare ſolent.* Alii tamen præter cauſam eam ſententiam Joſepho adſcribi animadvertunt. Quicquid ſit de ſententiâ *Joſephi*, ſal-

rem eam ſententiam inter ſuos Enthuſiaſtas propagare conatus eſt *Valentinus Weigelius*, affirmans triplicem fuiſſe Paradiſum; *viſibilem* ſcilicet, *inviſibilem* ſeu ſpiritualem, & *æternum*: atque viſibilem, in quo collocatus eſt Adam, dicit eſſe hunc mundum aſpectabilem, ut ex eo notat *Joh. Crocius* in ſuo Antiweigelio p. 1. cap. 5. verſ. 6. Verba ex iſtius libris adducta latinè ita ſonant. *Eſt autem Paradiſus primò mundus viſibilis, in quo homo conſtitutus eſt intra tempus & æternitatem: omnis enim creatura eſt pulchra, jucunda & bona, & appellantur quidem paradiſus. Poſtmodum etiam quilibet fidelis eſt paradiſus Dei. Prout rurſus hominibus quoque eſt templum, habitaculum & Paradiſus.* Hæc ex libro de loco mundi cap. 14. & denuò in parte tertiâ τοῦ γνῶθι σεαυτὸν dicit: *primum paradiſum eſſe hunc mundum, ex quo homo factus eſt: alterum in homine: tertium quietem in novâ Jeruſalem, ſeu altero ſeculo* deſignare affirmat.

§. 2. Impugnat hanc ſententiam vir doctus quinque argumentis, atque ſatis validè debellat 1. *Primum* viri optimi argumentum indè deſumitur, quod in ſcripturâ Paradiſo aſpectabili, quem Moſes deſcribit, certa tantum mundi regio aſſignetur: ut proin non fuerit totus mundus adſpicuus: probatque antecedens manifeſto Moſis teſtimonio, dicentis *Gen.* 2: 8. *ornaverat autem plantis Jehovah hortum in Hedene*. Ubi *Heden* eſſe nomen proprium loci conſtare ait, tum ex Moſe mox dicente, *fluvium prodiiſſe ex Hedene ad irrigandum hortum*: tum ex reliquâ ſcripturâ: nam 2 *Reg.* 19: 12. Hiſkia repetit voces Rabſake, jactantis, quos Meſopotamiæ populos Rex Aſſyriæ ſub jugum miſerit, inter quos nominabat *Hedenitas*. Conf. *Jeſ.* 37: 12. Ezechiel mercatores *Heden* nominat, qui cum Tyriis

mer-

Digitized by Google

mercati erant. Cap. 27: 23. 2. *Alterum* verò argumentum, quo eruditus Theologus Weigelii petit ſententiam, exindè deſumitur, quod certa mundi plaga, verſus quam ſitus fuerat hortus, etiam apud Moſen exprimatur; nam ſic *Moſes* dixerat. *Ornaverat autem plantis Jehovah hortum in Hedene NB. ab Oriente.* verſ. 8. Parum refert, ratione Moſis ſcribentis, an Adami, an ob aliam relationem, hortus dicatur ab Oriente extitiſſe, hoc ſaltem indè legitimè infertur, magnam partem mundi illi fuiſſe ab occidente: quod ſatis eſt ad concludendum adverſus hominem phanaticum totum mundum non fuiſſe Paradiſum. 3. *Tertiò* notat idem, quod fluvius dicatur procedere ex Hedene ad irrigandum hortum, indè ſeſe dividere, ferrique in quatuor capita *Gen.* 2: 10. & licet circa duo ex fluminibus iſtis quatuor varient auctores; tamen hoc conſtat aquas ingredientes hortum, & indè porro cum diviſione curſus egredientes efficere, ut ſupra & infra hortum terrarum orbis fuerit reliquus & relictus, quem *Paradiſus* non occupavit: ut non totus mundus, ſed ejus pars tantum Paradiſum receperit. Nec ſolvunt argumenti vim, qui dicunt Oceanum eſſe illum fluvium: ſic vocari ab *Heſiodo* in Theogoniâ, & ab *Homero* in Odyſſeâ: illumque dici in quatuor flumina dividi, non quod plura de ſe non fundat, quam iſta quatuor, ſed quod illa ſint memoratu digniſſima, tanquam nobiliſſima & celebratiſſima. Vocaverit, inquit *Crocius*, Heſiodus, vocaverit Homerus ita Oceanum: alienum tamen hoc eſt à ſcripturâ. Oceanus ambit orbem terrarum totum, non autem fluvius, qui dicitur paradiſum totum circumdediſſe. Non eſt cur Synecdochen in verbis ponamus ubi ſenſus proprius locum habet. Is fluvius non irrigat totum mundum, ſed particulam mundi,

Digitized by Google

di, terræque iſtæ exprimuntur verſ. 11. 12. 13. 14. Adde aquas Oceani ineptas eſſe propter inhærentem ſalſedinem muriaticam *ad hortum illum irrigandum*, quippe quæ fertilitati agrorum inimicæ ſunt, undè Pſaltes cecinit *Pſalmo* 107: 34. *Ponebat terram frugiferam in ſalſuginem, propter malitiam inhabitantium eam.* 4. *Quartum* Crocii argumentum indè mutuatum eſt, quod *Jehovah hominem accipiens, collocaverit in horto Hedenis. Gen.* 2: 15. undè infert hortum Hedenis non fuiſſe totum hunc mundum: cur enim, ait, acciperet eum & collocaret in horto, ſi jam erat in horto? nempe extra hortum erat conditus, ut proin extra hortum locus fuerit. Niſi quis inſanire velit, & ſtatuere Deum Adamum ex limo terræ formaſſe extra mundum; atque eum abhinc in tellurem hanc introduxiſſe, oportet ut vim argumenti agnoſcat. Sanè formatus eſt in terrâ Adam, qui ex pulvere terræ corpus hoc recepit organicum; quâ de re cum dubitandum non ſit; certum eſt, hominem à creatione in paradiſum introductum, hortum ſpectare debuiſſe, ut locum à communi terrâ abſciſſum & ſeparatum. 5. *Quintum* ſeu ultimum ſequitur viri docti argumentum, quod ab hominis ex paradiſo ejectione ſumitur. Moſes teſtatur hominem in peccatum prolapſum Deo judice ex Paradiſo ob defectionem ſuam fuiſſe exturbatum. *Gen.* 3: 23. *Emiſit itaque* Deus *Jehovah eum ex horto Hedenis, ad colendam terram eam, ex quâ ſumptus erat.* Non ejectus eſt ex mundo habitabili, qui juſſus eſt agrum colere, quique per terras orienti vicinas miſer exulavit poſtea, à quo hortum deſerere coactus eſt.

§. 5. Excipit quidem Weigelius, *ejectionem illam non fuiſſe externam*; quaſi mutationem ſolùm conditionis, non vero loci & ſoli diceret. Aſt quotuſquiſque non videt,

videt, & palpat, textui talibus detorſionibus vim inferri: cum oſtendat Moſes, quomodò Adamo, ne ad arborem vitæ redeat, via præcluſa ſit. Imò *Gen.* 3: 23. dicitur Deus *hominem dimiſiſſe ex horto Edenis, ad terram, ex quâ deſumptus fuerat, colendam*: quæ verba notant, hortum non ampliùs curæ & culturæ primi hominis relictum fuiſſe. Quid ergò voci dimiſſionis includitur clariùs, quam ut juſſus fuerit ſolum mutare.

CAPUT IV.

Examen ſententiæ eorum, qui in loco mundi inacceſſibili Paradiſum fuiſſe ſtatuunt.

§. 1. INter veteres fuerunt etiam, qui Paradiſum à Deo fuiſſe conditum volebant in loco nobis inacceſſibili, & à terrâ habitabili remoto. *Ephrem Syrus* teſte *Moſe Bar-kephâ* p. 1. de paradiſo, *hunc hortum Dei ingentibus Oceani fluctibus undique allui* putavit, quam vaſtitatem ſuperare nemo, nemo ob profunditatem emetiri poſſit. Addit idem auctor, *quoſdam Doctorum antiquorum cenſuiſſe Paradiſum, ultra Oceanum remotum, nunc à primis hominibus, cum eſſent ſtaturæ proceriſſimæ in hanc noſtram terram per vadoſum mare commeantibus, deſertum eſſe.*

§. 2. Sed tricæ atque pinæ, Siculiſque ſimillima gerris hæc ſunt: ut benè monet Doctiſſ. G. C. *Kirchmajerus.* Quis quæſo ea loca, à Moſe notata, invenit unquam; ſi ultra Oceanum ſunt remota? Undè hauſit celeberrimus ille Doctor iſta, quæ ſibi ultra Moſen ſa-

Digitized by Google

pere videtur? aut quo auctore perſuadebit aliis vera eſſe, quæ tantâ cum fiduciâ aſſeverat? Ea vivimus ſecula, quibus audax Japetum genus novum detexit orbem, & in omnes oras navium direxit curſus; nullibi autem invenit quiſquam vaſtitates illas inſuperabiles, aut profunditates, progreſſus inquirentium prohibentes: ut non ſit dubitandum, quin vir (aliàs ob antiquitatem venerandus) ſuavia aliorum ſomnia nimiâ credendi facilitate admiſerit, ac non ſine temeritatis notà cum orbe Chriſtiano communicare auſus fuerit. Præprimis alicui bilem moveat fabula, de eâ proparentum proceritate & tædioſâ peregrinatione, quâ finguntur ſine navium operâ vadoſum mare pervaſiſſe, donec emenſo itinere orbem cognitum attigerint. Mirum, ut vada illa, aquis obtecta, & tantâ ſerie continuata invenire potuerint, adeò ab oculis remota. Quid ni illa vadorum ſeries efficit, ut naves in ea incurrentes non quotidiana patiantur naufragia, dum hodiè Oceanum in quibuſcunque oris ſulcare rates videmus. Si ultra Oceanum remotam fingas regionem, dicas quibus mediis vitam ſuſtentare aquas tranſeuntibus tam diu conceſſum fuerit? aut quo indice viam (nuſquam veſtigia itineris præbentem) magnete deſtituti ſine deflexibus retinere potuerint, ut non à metâ aberraverint. Novi gigantes olim fuiſſe, ſed qui vada maris pedibus attingere & caput ſupra undas extollere potuerint, credat Judæus Apella, non ego.

§. 3. Haud multum ab hoc commento diſtat aliud, quod licet etiam ineptiſſimum ſit, tamen plurimos ſortitum fuit patronos; fingens *Paradiſum in editiſſimi montis vertice locatum, ſuſtollique in altitudinem adeo, ut ſupremam aëris attingat regionem, & ad lunæ uſque concavum, ubi puriſſimus aër eſt, excurrat.* Sic quidem

dem *Damaſcenus* l. 2 : 11. de fide Orthodoxâ. *Rabanus Maurus*, *Strabus*. Ad hanc mentem cecinit carminis de Phœnice author, cujus verſus inter Lactantii Firmiani opera extant.

Sed noſtros montes, quorum juga celſa putantur,
Per bis ſex ulnas eminet ille locus.
Et cum diluvium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exſuperavit aquas.

Hunc errorem etiam ſuum fecit *Athanaſius Kircherus*, vir cætera ſatis ingenioſus, in itinere ſuo exſtatico, Dial. 1. cap. 2. *Nemo adhuc mortalium eam plagam* (juxta mare Caſpium, de quo proximè locutus fuerat) *ob inacceſſa ſcopuloſorum montium præcipitia, in coronam quaſi coördinata, penetravit: neque voluntas Dei eſt, ut is locus, niſi temporibus noviſſimis reveletur. Hunc ſub initium mundi conditi Protoplaſtæ omni felicitate beati incoluerunt, à quo demum per peccatum expulſi, locum mortalibus inacceſſum reliquerunt: in hunc poſteris temporibus Henoch & Elias tranſlati beatam, & ab omnibus caducitatis humanæ miſeriis liberam vitam, rerum divinarum contemplatione, uſque ad conſtitutum ipſis à Deo tempus tranſigunt.* Veteres quod attinet, illi ſtupendam illam montis ſtatuebant altitudinem, ob aëris puritatem, quam ibi exiſtere putabant: quale quid tradidit *Solinus* cap. 16. de *Atho* monte, ejuſdemque bonitate. *In ſummo* (inquit) *Atho monte, qui locum unde cadunt imbres excedere putatur, oppidum eſt Achroton, ubi dimidio longiorem vitam, quam alibi degunt incolæ, quos ob id Græci dicunt μακροβίους, nos diceremus longævos.* Hæc philoſophemata ſecuti Patres. Huc refer, quæ *Baſilius* in orat. de Paradiſo profert.

Para-

Paradiſus locus eſt ... ob ſublimitatem loci, in quo erat, nullâ ſui parte tenebras admittens, ſed exorientium ſiderum ſplendore ſemper illuſtratus, in quo nulla erat immodica ventorum vis, nulla tempeſtatum procella, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æſtatis ardor, non moleſta & noxia autumni ſiccitas, ſed temperata & pacifica omnium temporum inter ſe conſonantia: ita ut, quod in quâque anni tempeſtate optimum & jucundiſſimum eſt, in ſe haberet, ſcilicet *veris amœnitatem, libertatem æſtatis, autumni hilaritatem, hyemis otium & quietem.* Item, quæ producit *Damaſcenus* l. c. *Eſt locus ... omni terrâ excelſior, optimâ temperie cæli, aëre ſubtiliſſimo & puriſſimo, plantis ſemper virentibus ſuaviſſimum odorem ſpirantibus plenus.* Alii tamen editiſſimum montem præoptant, quo locum ab aquis diluvii tutum fuiſſe, atque hinc Paradiſum terreſtrem adhuc perſtare, priſtinoque vigore gaudere efficiant.

§. 4. Patrum ſententia multis modis laborat, non ſolum, quia deſerit characteres deſcriptionis Moſaicæ, quos præter neceſſitatem omittunt, dum à locis Moſi notatis nimium recedunt; ſed quam maximè, quoniam aliena à verò tanquam vera aſſumunt. 1. Qui editiſſimum montem, ut ad longævitatem conducentem hìc eligunt, ſe parum philoſophos & experientiæ contrarios oſtendunt: quod jam olim Auguſtinus libr. 3: 2. de geneſi ad literam annotavit, qui perhibet *in ſummis montibus, qualis Olympi vertex, aerem eſſe adeò tenuem, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur ventis; neque alites ſuſtinere, nec homines (ſi qui fortè vel ſacrificandi vel inſpiciendorum ſiderum cauſâ illuc adſcenderint) craſſioris auræ ſpiritu alere poſſit, eoſque ferre ſecum ſpongias plenas aquâ, unde ſugant humo-*

humorem, ad refrigerandum cor, aliter enim ob ſummam aëris tenuitatem & ſiccitatem vivere non poſſent. Unde igitur aëris ſalubritas, ſi nemo ibi vivere, imò ne aves quidem ibidem ſubſiſtere poſſint? Imponit ſanè lectoribus ſuis turpiter *Solinus* teſte *Johanne de Montevillâ*, qui idem de monte *Atho*, quod *Auguſtinus* de vertice Olympi refert: ut urbs illa *Achrotos* non aliud ſit, quam Mori *Utopia*, id eſt, ſplendidum figmentum. 2. Docent *Ptolomæus* aliique Aſtronomi intervallum, quod à tellure uſque ad orbem lunarem obtinet, ferè ſepties ac decies ipſo terræ diametro majus eſſe, quæ diſtantia 19937 milliaria conficit. Si igitur culmen montis, cui Paradiſus fuit impoſitus, aduſque lunæ concavum ſe porrigeret, oporteret eum pluſquam univerſam terræ amplitudinem pro baſi habuiſſe, quâ tantæ altitudinis mons ſuſtineatur; quod plane experientiæ contrarium eſt. 3. Adde, quod tanta Paradiſi & montis altitudo ad Orientem nobis oppoſita, & undique conſpicua atque adſpectabilis, eſſet in eodem orbis hemiſphærio, nec non ſolis illuminationem maximâ ex parte nobis auferret, atque ampliſſimam umbram projiceret: quam nemo non obſervaret. Navigatum eſt circa orbem telluris, & omnes ferè orbis partes adierunt intinerantes, nec ulli talem montem invenerunt, aut obſervarunt, qui tamen in occulto remanere per umbram non poſſet.

§. 5. Adverſus *Kircheri* ſomnium *Gaſparis Schotti* oppono judicium. *Mirum* (inquit ille) *ſi ita res ſe habet, cur tantum apud Hiſtoricos & Geographos de eâ ſit ſilentium.* Notum erat mare Caſpium, ſaltem Geographis Arabum, qui Tatarorum illud accolentium regiones ſibi à Tamerlanis expeditione habuerunt cognitas: cur nemo eorum vel fando de hiſce quicquam audivit?

divit? *Pergit Schottus: conſtat, cum Deus ex Paradiſo expulit Adamum, poſuiſſe ante eum Cherubinum pro cuſtodiâ: utique ut prohiberet introitum hominibus; nulla autem neceſſitas fuiſſet cuſtodiæ, ſi propter ſcopuloſorum montium coronam inacceſſus foret. Verum in diluvio cenſent multi, perdidiſſe terram illam amœnitatem ſuam, quoniam aquæ per annum integrum totam terram occuparunt, atque adeo & locum Paradiſi. Credo equidem facilè, eſſe alicubi, in orientalibus regionibus inacceſſa quædam ſcopuloſorum montium præcipitia: at intra illa Paradiſum fuiſſe, aut ſi fuit, eum adhuc in amœnitate ſuâ perſeverare, minimè credo: quis enim id vidit, ſi inacceſſa ſint loca?*

CAPUT V.

An Paradiſus extiterit in auſtrali mundi hemiſphærio?

§. 1. PRodiit noſtrâ ætate, auctore *T. Burneto*, nova telluris contemplatio, in quâ tellus antediluviana nobis ſpectanda objicitur in ſitu ad ſolem recto, zonâ torridâ ſeu æquatore ita in duo hemiſphæria diviſo, ut haud diu à primâ ejus creatione (quam primum abſumpti erant ab urente ſole regionis ſubſolaris vapores) tranſitus ex uno in aliud evaſerit impoſſibilis. Negat auctor paradoxus primigeniam illam tellurem maria aut montes habuiſſe, aut ullos fluvios ad medias illas partes pertigiſſe, prohibente iſtud intolerabili ſolis æſtu & ardore, omnem terram mediam, inter duo memorata hemiſphæria poſitam, in arenas & horrida deſerta con-

convertente. Hinc ſeſe libr. 2. cap. 6. ad Paradiſi expoſitionem convertens, Paradiſum in telluris primordialis auſtrali hemiſphærio olim conditum fuiſſe aſſerit; ex quo cum propelleretur Adamus unà cum uxore, eundem in borealem orbis partem conceſſiſſe haud dubitandum exiſtimat: Idque factum antequam terra media à directis ſolis radiis omni humido orbata, & in regionem inhabitalem converſa fuerat. Hinc *igneum illum gladium*, qui ejectos ex Paradiſo à regreſſu arcebat apud Moſen, cum multis Patribus *de zonâ torridâ* interpretandum eſſe tuetur, quam Veteres olim inhabitabilem & impermeabilem ſtatuiſſe ex bonis auctoribus adſtruit. Ex hâc orbis diviſione natam eſſe ſententiam, duos eſſe orbes, ab hominibus excultos, hunc noſtrum & *Antichthonum:* quos alii terrâ mediâ, ſed torridâ & haud permeabili, alii Oceano diviſos autumabant. Indè pergens adducit ſententiam Patrum, qui *in orbe Antichthonum* fuiſſe Paradiſum ſtatuerunt, nobis aut propter zonam torridam, aut propter Oceanum interpoſitum inacceſſum. In eam ſententiam adducuntur, qui Oceanum interjiciunt, *Moſes Bar Cepha*, *Ephrem*, & *Tatianus*, atque huc trahit *Origenem*, *Hieronymum*, *Sulpicium Severum*, *Irenæum*, *Lactantium*, alioſque. Qui verò *zonam torridam* feciſſe eam diviſionem exiſtimabant, recenſentur fuiſſe *Tertullianus*, *Arnobius*, *Cyprianus*, *Auguſtinus:* & poſt illos *Iſidorus Hiſpalenſis* ac *Thomas*. Indè pergit ad Poëtas, atque probare annititur, eos campos Elyſios, fortunatas inſulas & Heſperidum hortos maris interventu ab orbe noſtro ſubmoviſſe, eorumque ſedes ultra Oceanum collocaſſe. Concludit igitur omnes, qui Paradiſum dixerunt *ultra Oceanum*, *extra Torridam*, *extra orbem noſtrum*, *ad locum inacceſſum* ſpectaſſe, nihil aliud voluiſſe,

luiſſe, quam quod in auſtrali mundi hemiſphærio, nobis incognito, extiterit. Si quis ſententiæ iſtius adſtructionem ex Moſe petat, nihil hujus inveniet: idſcilicet credendum auctoritate patrum & poëtarum, quos in hâc lite controverſiæ hujus facit arbitros. Quaſi in ſimilibus Patres non ſæpiſſimè à vero aberraverint, & alii alios in errores pertraxerint. Si ex Moſe hanc ſententiam didicerint? oſtendant quibus argumentis & quam ſolidis, ut & nos convincamur: ſi ex antiquâ traditione? fontes iſtius traditionis aperiant, ut videamus, quod ſua ſomnia aut conjecturas non protulerint. Ego ſanè in hâc lite Moſen ſolum agnoſco arbitrum, non Patres, ſine auctore aut probationibus loquentes: Nec conſentanea proferentes, niſi à noſtro auctore aliam addiſcant telluris primigeniæ theoriam, quæ Oceanum ab eâ tollat, obliquam eclipticam rejiciat, omnemque terræ ſuperficiem complanet: de quibus tamen illi ne quidem per ſomnium cogitarunt.

§. 2. Verum cum novus ille telluris contemplator nobis orbem telluris fingat ante diluvium, doctrinæ Spiritus Sancti planè contrarium, non eſt, ut de ejus ſententiâ nobis quicquam boni ſpondeamus. Erraſſe veteres, qui terras, ſub zonâ torridâ conſtitutas eſſe inhabitabiles & minimè permeabiles, edocuit nos experientia, à quo expeditiones per Oceanum in Indiam factæ, ac regiones ſub æquatore ſitæ penitiùs introſpectæ ſunt. Quare ipſe auctor Philoſophus terram mediam inhabitalem non niſi in tullure ſuâ primigeniâ agnoſcit: quamdiu non lacerata nec montes nec maria agnoſcebat, & polos habebat polis vorticis ſolaris parallelos: qualem orbis faciem uſque ad diluvium perduraſſe aſſumit pro hypotheſi. Philoſophum agens, multis aſſerere conatur in primâ telluris geneſi cruſtam ter-

terream æquali ſuperficie aquarum abyſſum undiquè circumdediſſe, ut nec oceano denudato, nec montibus locus fuerit; aſt poſtmodum ex diſſolutione terræ primæ partes iſtius terræ in profundum demerſas, partes alias verò in altum ſublatas maria & montes effeciſſe: idque non niſi cum diluvio factum: atque tunc ſimul inclinatos fuiſſe telluris polos, conjicit, undè obliquitatem eclipticæ derivat. Quæ omnia ita refingenda erant, antequam obtinere poſſet terram ſub æquatore inhabitabilem & impermeabilem, ab urente ſole in arenas & deſerta horrida permutatam. Sed hæc figmenta Moſi & ſacris literis parum conſona eſſe, facilè evincimus, ſi attendamus. 1. Jam Moſem in creationis hiſtoriâ monere, ut maria tertiò die creata fuerint. *Gen.* 1: 9. 10. & terra arida à mari Dei juſſu fuerit diſtincta: utque creator omnipotens die quinto produxerit omne genus piſcium, in mari natantium, *Gen.* 1: 21. 22. quorum maxima pars in abyſſo auctoris ſubterraneo animam trahere non poſſet. Nec omittit idem Moſes homini recto dominium conceſſum in piſces maris, *Gen.* 5: 26. quod nullum foret, ſi in abyſſo degerent ſubterraneo, & mediante totâ telluris cruſtâ ab eo remoto. Scriptura terræ fundationem exponit per ejus appoſitionem juxta mare, & eam concipit ut ante hominis creationem factam, undè etiam æternitatem deſcribit per phraſin ante jacta terræ fundamenta: ſupponens hoc opus ad temporis pertinere principium. Vide *Pſal.* 24: 1. 2. 102: 26. Col. *Job.* 38: 4. 7. *Prov.* 8: 29. *Eph.* 1: 4. 11. Falſiſſimum eſt terram antediluvianam non habuiſſe *montes*: niſi enim illi etiam cum collibus ante creationem humani generis exſtitiſſent, nulla cauſſa fuiſſet Sapientiæ hypoſtaticæ ſibi, ut aliquid proprium vendicandi, quod ante montium ſtabilitionem, & col-

Digitized by Google

lium ortum genita fuerit; quare & cum terræ creatione montium exortus conjungitur, *Prov.* 8: 25. Pſaltes montium productionem cum terræ fundatione & marium geneſi conjungit, *Pſal.* 104: 5-9. ubi in compellatione Deum ut mundi creatorem celebrat dicens: *qui fundavit terram in ſtatuminibus ſuis, ne commoveatur ſeculo & in ſempiternum. Abyſſum* quod attinet, *tanquam* indumentum indueras illam: ſupra montes ſtabant aquæ; ab increpatione tuâ *fugiebant; à voce tonitru tui præcipites ferebantur* (*adſcendebant montes deſcendebant valles*) *in locum, quem fundaſti ipſis: terminum poſuiſti, quem non tranſeunt, non revertentur ad operiendam terram.* Concedimus ex diſſolutione terræ montes ortos & maria: neque ad hoc probandum tot egemus argumentis. Sed eam diſſolutionem non ante diluvium factam fuiſſe probandum erat: cumque Moſes eam ad primam orbis creationem revocet, fruſtrà & contra revelationem divinam poſt ſedecim ſeculorum elapſum differtur. Si eam diſſolutionem longioris temporis opus eſſe quis putet? is teneat ſcripturam id increpationi divinæ tribuere, ac per conſequens, ut opus ad nutum Dei ſecutum enarrare. Quid ni motus telluris inteſtinus auctior (uti in terræ motibus aliquandò fieri cernimus) modò aëris preſſurâ fortior ſit, id efficere, & fornicem terræ verſus exteriora diſrumpere potuit? Sic impetus à centro ad circumferentiam validior, à voce Dei tonitruante excitatus, corticem telluris, licet recentiorem, ſtatim diſſolverit, ut factum fuiſſe ſcriptura tradit. 3. Neque inclinatio polorum mundi facilè ut cum diluvio demum nata ex ſufficientibus cauſis exponi poterit; dum ejus rei ratio nullum cum cruſtæ terreæ diſſolutione, nexum habeat, præſertim ſi illa diſſolutio ex vi ſolis,

rimas

Digitized by Google

rimas agere corticem cogentis, derivanda ſit: quod ſalvâ inteſtinâ telluris mole, circa centrum ejus hærente, & antiquos meatus retinente, fieri potuiſſet. Sublato autem hoc figmento, ruit illa uniformis in orbe tempeſtas; & ſanè quatuor anni tempeſtates à creatione mundi obtinuiſſe indè patet, quia Moſes eas ſub nomine מועדים denotavit *Gen.* 1: 18.

§. 3. Qui *gladium illum flammeum*, Cherubinis demandatum, *zonæ torridæ* applicant, præterquam quod errent cum antiquis, terram ſub eâ zonâ inhabitabilem ſtatuentibus, aut cum *Burneto* talem ante diluvium fuiſſe volentes, mutationem fingant, quam probare nequeunt; haud commodè oſtendunt, quo pacto illud cuſtodiæ hortenſis inſtrumentum in poteſtate angelorum ſit conſtitutum: quomodò enim res naturalis, ex lege naturæ profluens, angelorum curæ & ſtudiis ſubjici poſſit, haud video. Audiamus verba Moſis *Gen.* 3: 24. *Et expulit hominem, & conſtituit Cherubinos ab oriente horti Edenis, gladiumque flammeum ſeſe vibrantem, ad cuſtodiendum viam ad arborem vitæ.* In textu authentico legitur להט חרב, quod *Grotius flammam machæræ* vertit; ſenſumque eſſe dicit *hortum igne impervio obſeptum.* Quid hìc *Burnetus?* rogat *quo igne?* additque, *niſi torrenti ſolis flammâ, hujus & alterius orbis in antiquo mundo ſeparatrice?* Imò potiùs igne ad Angelorum arbitrium (inquam ego) ſeſe movente, & parato, ut redire cupienti opponatur: non verò torrenti ſolis flammâ, quæ non ſuberat Angelorum arbitrio; neque horto erat ab oriente, ſed à Septentrione, ſi verum eſt Edenem fuiſſe hemiſphærium mundi auſtrale.

§. 4. Non fuiſſe terram Edenis in altero illo orbe auſtrali, ultra zonam torridam, ſed in eodem ipſo, in

quo

Digitized by Google

quo *Adamus* cum poſteris exilium paſſus eſt, probo ex ſupplicio *Caini*, pejus adhuc exulantis, de quâ re ita ſcripſit Moſes *Gen.* 4: 16. *Et egreſſus eſt Cainus à coram facie Jehovæ: & habitavit in terrâ Nod ab Oriente Edenis.* Accidit Caini expulſio diu poſtquam Adamus ex horto expulſus terræ alicujus portionem in hoc noſtro hemiſphærio incolendam occupavit. Regio autem, ab Adami conjunctione & cohabitatione ſatis remota, ubi *Cainus* erroneam duxit vitam, *terra Nod* dicitur, in quam ille conceſſit, conferturque cum ſitu *Edenis*, ut quæ ei fuerit *ab Oriente*. Hoc concipi nequit, niſi *terram Edenis* dicas cum *terrâ Nod* exſtitiſſe in eodem hemiſphærio: nulla enim terra unius hemiſphærii ab alio zonâ torridâ diviſi, dici poteſt terræ alterius hemiſphærii fuiſſe ab Oriente: nec ſe invicem menſurare poſſunt per differentiam longitudinis, ſed latitudinis, prout hæc habet latitudinem auſtralem, illa borealem. Sin dicas *Cainum* abiiſſe denuò in hemiſphærium auſtrale ut eum Edeni ab Oriente habitaſſe efficias; oportet, ùt tranſitus ſub zonâ torridâ illi non fuerit impoſſibilis, & homini impio fuerit recluſus, qui piis parentibus manſit occluſus. Si zona torrida Caino tranſitum conceſſit, hominem ſceleſtum à reditu in hemiſphærium illud non prohibuit; quæ tamen homines Deo per fidem conciliatos arcuit. Solvant hunc nodum viri acuti ſi poſſint. Imò agnoſcant hinc, aut zonæ torridæ ampliſſimum ſpatium non fuiſſe impervium, uti *Burnetus* urget: aut Edenem fuiſſe regionem hemiſphærii borealis, orbiſque noſtri, quem incolimus. Imò *Cainum* non abiiſſe in alterum orbem, ignotum & inacceſſum indè conſtat, quod inter Sethitas tam accurata innotuerit Cainitarum genealogia, imò cum hiſtoriâ polygamiæ & arrogantiæ Lamechi Cainitæ; quam

Digitized by Google

quam Moſes quoque ex patrum traditione conſcripſit, *Gen.* 4: 17-24. Dicant, quo fato harum rerum cognitio ex inacceſſo illo orbe ad Sethitas allata fuerit? aut agnoſcant potiùs terram *Nod*, cum terrâ Edenis, non longè ab eâ remotam, ejuſdem hemiſphærii partem feciſſe cum terrâ Sethitarum.

§. 5. Moſis auctoritati ſi cedere velimus, agnoſcendum eſt terram Edenis cum Paradiſo fuiſſe ejuſdem hemiſphærii, in quo inveniuntur *Euphrates & Tigris*, duo fluvii in orbe noſtro notiſſimi: quia Moſes fluvium Edenis & Paradiſi cum iis connectit: quod zona torrida juxta hypotheſes Burneti prohiberet, ſi fuiſſent diverſi homiſphærii: quippe quæ ſub ſe nullum aquarum profluentem ob exurentem æſtum admittere ſtatuitur. Nec putandum duo illa notiſſima nomina novorum fluviorum orbis incogniti & inacceſſi fuiſſe denominationes, cum tunc vana fieret iſta apud Moſen allegatio: quippe quæ rem in majorem pertrahere lucem non potuiſſent. Imò in potomographiâ noſtrâ ſuis locis evicimus Moſen ſub ſuis nominibus nullos alios deſignare voluiſſe fluvios, quàm Euphratem & Tigrin.

§. 6. Adde terras *Edeni* vicinas, & ab amnis ejus divergiis (à quo cum aliis fluviis confluentes fecerunt) potatas, fuiſſe noti orbis regiones, non autem ignoti, extra zonam torridam remoti: denominantur enim à colonis ex Noacho ortis *terra Aſſur*, *terra Cuſch*, & *terra Havilæ*. Hos jam ablegare ultra Garamantas & Indos, neſcio an quis ſibi in animum inducere poſſit. Geographia Moſaica poſtulat, ut Aſſur Niniven condiderit, & Tigris oras tenuerit: atque ille ipſe auctor deſcriptionem Paradiſi daturus, Aſſyriam cum Tigri nectit. Niſi hæc in noſtro hemiſphærio agnoſcas, credas oportet, quod in orbe tuo remoto etiam *Aſſur*

S colo-

coloniam condiderit ad Tigrin quendam Edeni vicinum, & fortè etiam Niniven. Quis non contradicendi pruritum obſervat in iſtis hominibus, mediâ in luce tenebras palpantibus?

§. 7. Objicit *Burnetus*, qui de loco Paradiſi quoad Meſopotamiam conveniunt, in explicandis fluviis non convenire: ab antiquitate longiſſimè recedere, ac Steuchum Eugubinum auſum fuiſſe primum, apertè & operoſo ſtudio, antiquitatis jura violare, Patrum ſententias radicitùs evellere, & venerandum Paradiſi myſterium in levem hiſtoriam, de horto quodam, aut amœnâ in Meſopotamiâ regiunculâ convertere. Aſt diſſenſus ille nil præjudicat veritati, modò ex Moſe & ſacris literis hanc quis eruat. Potiùs eſt longiſſimè ab antiquitate recedere, quàm ab antiquiſſimâ Moſis deſcriptione, eamque in nugas & fabulas convertere, aut Moſen ubique corrigere & ejus ſcripta pervertere. Nulla ſunt antiquitatis jura contra Moſis teſtimonium, qui hìc ſolus audiendus eſt. Nec nos in levem hiſtoriam convertimus myſterium Paradiſi, qui in eâ veneramur ſymbolum & ſacramentum fœderis operum: *hortum* dum contemplamur, Moſen ſequimur, qui *hortum* appellat. Nec myſterium dependet à loci amplitudine, ſed qualitate & amœnitate. Sanè nimia amplitudo horti nimiùm removeret hominem ab uſu arboris vitæ, in medio horti conſitæ. Si huic homini tanta eſt antiquitatis veneratio, cur ab eorum traditione tantùm recedit? omnes ferè quos allegat Oceanum inter orbem utrumque interponunt, etiam qui per gladium flammeum zonam torridam intelligunt, ſub quâ Oceanum ipſum haud eſſe permeabilem navibus autumant: ille primus, apertè & operoſo ſtudio, antiquitatis jura violans, Patrum ſententiam radicitùs evellere conatur,

quaſi

Digitized by Google

quaſi pro aris & focis pugnaret, defendens tellurem antediluvianam non habuiſſe diviſas per Oceanum regiones. Plura addere piget.

CAPUT VI.

An Paradiſus in inſulâ Ceylon fuerit?

§. 1. NOtum eſt, quoque fuiſſe, qui *in inſulâ Zeilan Paradiſum* quærebant: de eâ enim prodidit, eam nullo anni tempore vacare à fructibus, quod arbores ſemper onuſtæ ſint, *Odoardus Barboſa.* Quin etiam cynnamomo & pretioſis pharmacis eam abundare, ac tantâ aëris ſalubritate & amœnitate, ut incolæ perſuaſum habeant, Paradiſum nuſquam alibi fuiſſe, ſcribit *Surius* anno 1565, qui eam non admodum parvam teſtatur, quandoquidem ad trecenta patere millia dicit. *Simon Majolus* tom. 1. coll. 14. Hæc inſula Ptolomæo *Taprobana* dicitur, quod multis *Bochartum* confirmaſſe, & ſatis ſolidè exiſtimamus *in ſuo Canaän* libr. 1. c. 46. „ Viſitur ibi (juxta Atlantis minoris auctorem) mons ſublimis altiſſimo ſitu inter totius Indiæ „ cacumina: incolis *Pico de Adam* dicitur, credunt „ enim Indi firmiter, *Paradiſum* hic fuiſſe, & Adamum ibidem à Deo creatum, dicuntque etiamnum „ hodiè extare primi parentis pedum veſtigia, longitudine duos palmos excedentia.

§. 2. Hæc ſententia in multis quoque deficit, ut characteribus, ſeu datis à Moſe haud quâque ſatisfaciat. 1. Eſt inſula Zeilan, ſeu veterum Taprobana ea terra,

Digitized by Google

quæ *Ophir* dicitur in S. literis, quia *Ophir*, *Havilæ* frater, eam incoluit, ſuaque poſteritate implevit: non igitur eſt *terra Eden*; alias enim Moſes nomen regionis ſibi cognitum (*Gen.* 10: 29.) haud quaquam omiſiſſet, atque ſcripſiſſet potiùs Deum *hortum plantaſſe in terrâ Ophir*. Neque eſt, quod quis exigat à me iſtius aſſertionis, quâ *Zeilan* ſeu *Taprobanam* dixi *terram Ophir* fuiſſe, probationem, cum id ſatis ſuperque præſtiterit *Cl. Bochartus*, ut hoc denuò tentare, eſſet poſt *Homerum* Iliada conſcribere. 2. Quis nobis in Inſulâ *Zeilan* commonſtrabit *Euphratem* & *Tigrin*; fluvios apud Meſopotamiam notiſſimos? Miror equidem in dubium revocare virum illuſtrem *Adamum Olearium*, an voces *Frat* & *Chiddekel* rectè ab interpretibus LXX applicatæ fuerint? obtendens, nomina eadem ſæpè variis impoſita fuiſſe fluviis: fuiſſe amnem, qui *Gihon* audiebat etiam prope Hieroſolymas, apud quem Salomon in regem fuit unctus. 1 *Reg.* 1: 33. 38. 45. 2 *Chron.* 32: 30. Ex Theſauro Geographico Ortelii conſtare plures fuiſſe fluvios, quibus Tigris nomen. Nec certò ſciri poſſe an Paradiſi fluvius *Phrat* fuerit ille ipſe, qui *Meſopotamiam* includit, atque Turcis aliàs *Moratſu* dicitur. Verùm notet ille quod Moſes ipſe, *Tigrin* deſcribens, eum dixerit *orientem verſus in Aſſyriam* perrexiſſe: qui character ſatis ſuperque deſignat *Tigrin* eum fuiſſe fluvium, quo Meſopotamia ab Aſſyriâ diſterminatur; atque fluvium *Phrat* ab eo loco haud longè fuiſſe remotum. 3. Adde, quod fluvius Paradiſi concipi debeat, ut poſt horti irrigationem ſe dividens, & per alveos, ex diviſione natos, ſe in quatuor iſtic nominata fluvia exonerans, ita ut duo nominatorum fluviorum terras alias, quas hinc poſteri *Cuſch*, illinc poſteri *Havilah* incoluerunt, circumdederint: quod de inſulâ

(aut

(aut fortè olim peninſulâ) ultra gangis oſtia in mari poſitâ, dici non poteſt. 4. Jure ab iſtius ſententiæ defenſoribus exigimus, ut nobis dicant, an tota illa inſula fuerit Paradiſus? an ejus pars? ſi prius? quomodò protoplaſtæ ejecti venerunt in continentem? per *pontem Adami* ajunt incolæ; id eſt per vada maris, non ejuſdem cum reliquis maris partibus profunditaris, quæ ſub nomine *pontis Adami* exhibentur in tabulâ hujus inſulæ accuratiſſimâ, quam nobis exhibet in ejuſdem deſcriptione *D. Baldæus* P. M. αὐτόπτης: ubi vada illa ab inſulâ minori *Manaar* excurrunt verſus promontorium *Maduræ*, haud longè à *Tutecorijn*, celebri emporio. Verùm potiùs eſt, ut credamus ibi iſthmum fuiſſe antiquitùs, ut quondam peninſula fuerit. Aſt via fuerit ſatis commoda per iſthmum illum: quomodò quæſo *Adami* familia ex tam longinquis oris venit ad loca, ubi Noächus arcam condidit? cum non longè ab urbe *Hanochiâ*, quam Cain exſtruxit, ob commercium poſtea cum Cainitis initum, id factum conſtet? quæ circa Aſſyriam & Elymaida potiùs quærenda eſſe viri doctiſſimi indicant? Sin poſteriùs eligant, ſcilicet *Paradiſum* Inſulæ partem fuiſſe: oſtendant nobis quatuor illos fluvios intra iſtius inſulæ ambitum, qui Moſis deſcriptioni applicari poſſint.

§. 3. Neque ſufficit ad Paradiſi definitionem locum indicaſſe, omni deliciarum genere affluentem; niſi etiam cæteri characteres reſpondeant. Tenendum, *hortum Edenis* omnem ſuam præſtantiam habuiſſe à ſingulari plantatione Dei: ut non fuerit ſimplicis naturæ, ſed artis, divinæ ſapientiæ reſpondentis, opus: dum ejus architectus & opifex fuit Deus. Pendebat gratia loci tunc à ſingulari Dei juſſu & benedictione, qui clementiori curâ locum reſpexit, quem cœli pignus conſti-

Digitized by Google

tuit, & benignitatis ſuæ inexhauſtæ ſpecimen præbere voluit. Pendet itaque loci iſtius determinatio non à jucunditate regionis, quam poſt introductam maledictionem experimur, ſed ab hiſtoriâ, quæ electionem loci divinam, in ſolo Dei arbitrio poſitam, ſufficienti auctoritate nobiſcum communicat. Quare in hoc caſu nulla traditio, niſi divina, nos ad fidem obligat, qualis eſt ea, quam Moſis in literas retulit, & ſub certis characteribus lectoribus ſuis legendam obtulit.

CAPUT VII.

Num Paradiſus fuerit in Palæſtinâ, ſeu terrâ Sanctâ?

§. 1. QUoſdam fuiſſe, qui in ipſâ Palæſtinâ extitiſſe hortum illum beatum voluerint, monent etiam, qui de Paradiſo terreſtri ſcripſerunt, viri docti. Hanc ſententiam tuebatur contra Salianum P. *Nicolaus Abramus* in Pharo V. T. ex loco creationis, inhabitationis, & ſepulturæ Adami genuinum Paradiſi locum eruere laborans; ubi Philomathem & Theophraſtum collocutores introducit, in hunc modum ſermones commutantes. Theoph. *Jam ex te quæro, Philomathes, longè à Paradiſo Adam eſſe formatum exiſtimes?* Philom. *Sane juxta Paradiſum, in quo poſuit Deus hominem, quem formaverat.* Theoph. *Quo inquam, peculiari loco?* Philom. *Si interrogamus Hebræos, vel in agro Damaſceno, juxta Hebron, non longè à convalle illuſtri: vel ſaltem in aliquâ parte terræ Iſraëliticæ formatum eſſe, conſentiunt.*

Digitized by Google

tiunt. Adſtipulantur Hieronymus , Lyranus , Hugo , Abulenſis , aliique ſexcenti. Contra Salianum ratiocinans. *Ipſe mihi ,* inquit , *viciſſim ignoſcet , ſi ex eo , quod communis non Judæorum modo , ſed etiam Chriſtianorum traditio , primum hominem in agro Damaſceno , vel ſaltem in Palæſtinâ formatum agnoſcit , ſuſpicer non procul inde plantatum fuiſſe paradiſum.* Adornavit hanc ſententiam pro inſigniori ſuâ eruditione *Joh. Henr. Heideggerus* p. m. in hiſt. Patriarch. Ex. IV. §. 42. „ *Non procul ,* inquit , abeo à virorum do-
„ ctiſſimorum ſententiâ , qui Paradiſum collocant in
„ eo terræ ſanctæ tractu , qui regionem & locum Ge-
„ neſar , quem mare Galileæ ſive Tiberiadis appellant ,
„ campum magnum , convallem illuſtrem , vallem Je-
„ rechuntinam , mare denique mortuum , ſive Sodo-
„ miticam regionem amplectitur. Fluvium autem ,
„ qui Paradiſum irrigavit , ipſum Jordanem faciunt.

§. 2. Quamvis viri, de ſacris literis benè meriti , labores exoſculer , quippe per quos multum profecerim : nihilominus huic ſententiæ calculum adjicere varia prohibent. 1. Si *Palæſtina* tempore Moſis audiebat *terra Eden?* cur quæſo hoc nullibi notatur , ne quidem in hiſtoriâ diviſionis terræ , quam Joſua peregit , quæque in libro geſtorum Joſuæ tam accuratè deſcribitur ? Sanè nulla terra exactiùs depingitur in ſacris literis , magiſque commendatur ab omnibus prærogativis , quam terra Canaän ; nuſpiam tamen *terra Eden* audit , aut ab eâ dignitate extollitur. 2. Si fluvius *Jordanes* eſſet *amnis Edenis* , quare Moſes eum non ſuo , omnibus Iſraëlitis notiſſimo , nomine compellavit ? qui tamen tanto ſtudio horti ſitum indicare ex aliorum fluviorum , quibuſcum aquas ſuas communicat , nominibus propriis laborabat : non enim moris eſt notiora per minus nota in lucem

Digitized by Google

cem protrahere, nihilque notiùs erat Judæis, quam *Jordanes*; etiam in lege pluries commemoratus. 3. Nec video, quomodo Jordanes connecti poſſit cum *Euphrate* & *Tigri*, duobus illis Meſopotamiæ fluviis, ſatis longè à Jordane remotis: ubi quæſo in quatuor illa dividitur capita Jordanes? ubi effundit aquas ſuas ab horti irrigatione peractâ, cum *Euphrate & Tigri?* hæc clarè & diſtinctè erant exponenda; atque ut res manifeſta, temporibus Moſis cognita (quippe characterem Paradiſi ejuſque ſitus facientia) erant indicanda. 4. Neque nihili eſt argumentum, quod *Eugubinus*, & qui eum ſecuti ſunt, ſumunt ex *Edenitarum* habitaculo: certum eſt *Paradiſum* collocandum in *terrâ Eden*, quam nominatim deſignat *Moſes*: certum quoque ſcripturam *terram Eden* collocare propè *Haran*, nundinarium Arabiæ, juxta Euphratem, ex duobus locis *Jeſ.* 37:12. *Ezech.* 27:23. Reponit *Cl. Heideggerus.* Hoc argumentum ex Prophetis illis petitum parum ſibi videri ſolidum: *poteſt enim*, inquit, *eadem appellatio Edenis duabus regionibus convenire, quod non malè Cajetanus urget. Nulla etiam conſecutio, Eden eſſe propè Haran in Meſopotamiâ, quia Haran, Chene & Eden inter Tyri negotiatores ab Ezechiele numerantur. Niſi fortè placet Carthaginenſes & Tubal, quos Hiſpanos volunt, in Græciam tranſcribere, vel Libijas Perſis jungere; quia eoſdem Ezechiel eodem capite digeſſit in eandem negotiatorum & militum ſeriem.* Verum, hæc exceptio tanti non eſt noſtro judicio, ut propterea cogamur hoc argumentum derelinquere. Ex loco Jeſaiæ haud dubiè conſtat, *Edenem* prope *Haran*, & quidem in viciniâ Euphratis poni in Meſopotamiâ: qui locus collatus cum teſtimonio Ezechielis, probabile facit etiam Ezechielem hunc reſpicere; quia *Eden*

eſt

eſt in viciniâ *Harran*, & Ezechiel abſolutè ſine reſtrictione ad ullam regionem, eam iterum recenſet cum duobus nundin ariis *Chene & Harran* in Oriente, & in viciniâ *Edenis*, apud *Jeſaiam* notæ regionis, ſitis. Benè monuit *D. Saldenus* P. M. in otiis ſuis Theologicis libr. 2. Exerc. III. §. 5. *Hoc non indè conficere Scriptores, quod inter negotiatores* numerentur ſimpliciter, *ſed quod eodem verſu locoque ab utroque Prophetâ conjungantur & conſocientur: quod haud temerè factum eſt, ſed hanc procùl dubio ob cauſam, quod gentes regioneſque fuerint conterminæ.* Inquirimus *in terram Eden*, in quâ Deus hortum illum plantavit, quem Adamo in Paradiſi cœleſtis dederat Symbolum. Invenimus in Meſopotamiâ *terram Eden*, in S. literis commemoratam: in Palæſtinâ nullam: invenimus eam in hoc tertio convenire cum deſcriptione Moſaicâ, quod *terra Eden* propè *Haran*, habuerit vicinos fluvios *Euphratem & Tigrin*; nec invenimus aliam uſpiam memoratam, cui ille character convenit: undè meritò nos concludimus eandem eſſe, quam *Moſes* ut terram olim notam reſpexit. Inſtat quidem vir optimus. *Si propter Tigris & Euphratis vicinitatem in Meſopotamiâ Paradiſum conſtituimus: quid fiet de Geone & Phiſone fluviis, quos ibi locorum non inveneris?* Verum, propter horum incertitudinem certa non erant in dubium revocanda: de utroque illo amne diximus ſuo loco; neque certiora profert de iis vir optimus, quæ cauſam ſuam confirment. 5. Haud parum obſtat quoque huic ſententiæ, quod regio illa, in quâ Paradiſum fuiſſe arbitratur vir doctiſſimus, comparetur cum horto Dei *Gen.* 13: 10. ubi dicitur fuiſſe כגן יהוה *ὡς ὁ παράδεισος τοῦ θεοῦ*, *ſicut hortus ille Dei*. Sanè quæ ſic inter ſe comparantur ut ſimilia, non ſunt unum idemque. Excipit quidem vir Cl. *Illud caph*,

ſicut, *cenſeri poſſe non* συγκριτικὸν, *ut comparationi inſerviat, ſed* αἰτιακὸν, *ut ratio reddatur, cur illa regio fuerit irrigata. Neque neceſſario*, inquit porrò, *intelligi debuit Paradiſus potiùs, quam hortus quilibet amœniſſimus, quomodò Hebræorum more, quicquid excellit, in ſuo genere, Deo tribuitur.* Aſt & illa minùs ſolida ſunt, quia per eandem particulam ſyncriticam ſtatim etiam confertur terræ facies antiqua cum *terrâ Ægypti, ubi venit quis verſus Zoär.* Nec cohærent effata eum in modum, ut ratio detur irrigationis: ſed ut antiqua terræ facies ante Sodomæ & Gomorrhæ ſubverſionem comparetur cum locis valdè amœnis & fertilibus, eo quod irrigabatur à Jordane. Nec valet hìc ſecunda exceptio, quia *hortus Dei* diſtinguitur à terrâ Ægypti, & ſic comparatio fit cum duobus locis particularibus, à Moſe ab aquarum irrigatione ad ſoli fertilitatem memoratis & commendatis.

§. 3. Huic tamen ſuæ ſententiæ ſtatuminandæ facere non nulla, quæ adducuntur, Cl. vir exiſtimat, quæ proindè nobis porrò ſunt examinanda. *Fluvium*, inquit primo loco, *qui Paradiſum irrigaverat, Jordanem eſſe, qui totum illum tractum in Geneſar ad Sodomiticam uſque regionem perlabitur, manifeſtum eſt ex deſcriptione Moſaicâ alveorum, qui ex fluvio Paradiſum irrigante ſcaturiebant, diviſi in quatuor capita:* ſcilicet *Phiſon, Gichon, Chiddekel & Euphrates. Qui quatuor fluvii, ſi ſcaturiunt ex Jordane, terram illam irrigante, confectum erit negotium.* Aſt hanc hypotheſin ob rationes ſupra allatas non admittimus ita ſimpliciter, cum terra Canaän non ſit *terra Eden* ut jam antèmonuimus. Sed faciles ſimus, & audiamus probationem auctoris; quâ adſtruit ex Jordane ſcaturire illos quatuor fluvios nominatos. Hanc probationem dum exſpecto,

ni-

Digitized by Google

nihil minùs invenio. Quæ ſubjungit ſanè cauſam non conficiunt. *Eſt*, inquit, *quædam Havilath inter Ægyptum & Aſſyriam ad ſinum Arabicum. Eſt item Chuſch ſeu Æthiopia minor*, *confinis Arabiæ*, *à quâ Moſis uxor*, *quæ Madianitis fuit*, *Æthiopiſſa nominatur*, *quæque fluvio Sichor* (*quem Geon* Lxx *reddunt Jer*, 2: 18.) *irrigatur*, & quid tum poſtea? *Jam igitur* (ſic pergit quaſi concluſionem facturus) *Jordanem*, *totamque Syriam eſſe inter Æthiopiam illam Arabiæ conterminam*, *in quâ eſt Gichon*, *& terram Hevilath*, *quæ ad ſinum Arabicum pertinet*, *quam circuit Piſchon*: *& Armeniam*, *unde Tigris & Euphrates promicant*, *ex tabularum inſpectione eſt certiſſimum*. Hoccine eſt concludere, quod erat in præmiſſis? quodque ſibi probandum aſſumpſerat vir ſummus? nondum, fateor, video probatum ſcaturire ex Jordane quatuor illa flumina; niſi idem hoc ſit cum eo, probaſſe quod Jordanes & Syria inter Armeniam ſint & Arabiam Madianitidem & Chaulonitidem. Multa in viri docti demonſtratione deſidero: ſcilicet ut oſtendat *Havilath* Arabiæ eſſe *Havilath* Cuſcheorum, non *Hebræorum* ex *Joktan*, quod poſtulat textus Moſaicus: & ubi in Arabiâ diſertâ ſit fluvius *Piſchon*, qui circuit terram illam? ut oſtendat fluvium *Sichor* eſſe *Gihon* apud Moſen; qui Moſi vocatur *torrens Ægypti*: cur quæſo Moſes in recenſendis terminis hæreditatis nunquam illud nomen repetiit? quomodò probat, fluvium *Sichor* ultra Idumæam ex Midianitide ortum ducere, aut eam terram ullo modo attingere? Verſio græca ſæpè aberrat, nec vera verſio τῶν Lxx nobis in Prophetas exhiberi poteſt. Verum his omiſſis rogo, ut mihi oſtendatur *Jordanes* ita diviſus, ut fiat ſcaturigo *Tigris & Euphratis* in Armeniâ? Verum id fortè ſe præſtitiſſe

 exiſti-

Digitized by Google

exiſtimabit Author octavâ ratione, ubi dicit. *Fluvius, Paradiſum irrigans, in quatuor fluviorum capita dividebatur, quod aliter fieri non potuit, quàm terram ſubeundo & occultis meatibus alibi in fluviorum ſcatebras erumpendo.* Jam teneo, quid ex deſcriptione Moſaicâ de quatuor iſtis alveis manifeſtum ſit: ſcilicet quatuor *occultos* meatus ſubterraneos ex Jordane natos tendere ad fontes quatuor iſtorum fluviorum, qui exindè ſcaturiunt. Aſt quomodò manifeſtum eſt, quod ſub terrâ occultum fuit? quomodò probat, aliter fieri non potuiſſe, ut diviſio fluvii Edenis quatuor capitalibus iſtis fluminibus aquas ſuas communicaverit, quam per ſubterraneos meatus? Quo experimento illa occulta communicatio aquarum Jordanis per occultos meatus fuit comprobata, aut manifeſta? quod oportebat, antequam per illam diviſionem & communionem aquarum cum iſtis fluminibus Moſes lectores ſuos de vero ſitu terræ Eden, & curſu fluvii Paradiſi erudire poterat. Provocat tamen ad auctoritates vir optimus. *De Jordane*, inquit, *ſimile quid muſſitant Brocardus & Villamontius.* Verum quid illi de ſubterraneis illis & occultis meatibus? *Dum ingredi*, dicunt, *mare mortuum, & rurſum egredi: ſed poſt exiguum intervallum à terrâ abſorberi, & ignorari, quo dilabatur, poſtquam lacum Samochonitim, Geneſar, & Aſphaltitem evaſerit.* Verum illi ignorarint, quo fluvius abſorptus dilabatur? quomodò novit vir optimus, quod labatur ad fontes ſeu ſcatebras quatuor nominatorum fluviorum?

§. 4. Inter argumenta, aliquam ſpeciem præ ſe ferentia, ſunt, quæ à nominis veſtigiis petuntur; *Ipſe fluvius*, inquit, *Jordan videtur dici, quaſi* יאר ערן *fluvius Eden: & ipſa vox* Geneſar *Paradiſum ſonat: eſt*

eſt enim גן שר hortus princeps ſeu Principis, *nempe Adami.* Verum hoc eſt leves conjecturas venditare pro demonſtrationibus. Quid ſi dicant eruditi talem etymologiam non eſſe probandam, quæ duas literas radicales ſedibus ſuis exturbat, א ex medio vocis יאר & ע ex principio vocis ערן? potiorem eſſe, quæ ex ירד *deſcendere* deducit nomen *Jarden*, cum adjectione literæ *nun* finalis? quia fluvii deorſim labuntur. Aut, ſi compoſitio placet, ex *Jor* & *Dan*, quæ duorum fontium fuerunt nomina? ut Hieronymus, & alii veteres voluerunt. Quis facilè probabit, *hortum principis* eo ſenſu dictam fuiſſe regionem *Geneſar*, ut ſignificet *hortum Adami?* ubi quæſo *Adam* vocatur שר *Princeps?* aut an nemo *Princeps* dictus præter Adamum? Nonne illa regio Principes ſeu Regulos habuit ante ingreſſum Joſuæ, qui ejus oræ fertilitate delectari potuerunt?

§. 5. Argumentum *Nicolai Abrami* urget V. D. in hunc modum. *Haud dubiè* (inquit) *Paradiſus non procul abſuit ab eo loco, in quo Adamus creatus, in quo expulſus poſt lapſum habitavit, mortuus & ſepultus eſt.* Credo equidem, & ambabus ulnis amplector; verùm noſtin tu, quis ſit ille locus? id vehementer ſcire cupio. Reſpondet ille; *probabiliter ſtatui in agro Damaſceno, qui non longè abeſt à valle illuſtri.* Hanc aſſertionem audio, teſtes requiro. Aſt teſtes allegat §. 16. *Joſephum* antiq. libr. 1 : 2. atque *Baſilium*, eumque ut vetuſtam traditionem allegare ait, ὡς πρώτη ἡ Ιȣδαια ἄνθρωπον ἔσχεν οἰκήτορα. *Quod primà Judæa hominem habuerit incolam. Congruit etiam*, ſic pergit; *Topographia, quam habet Adrichomius in Theatro terræ ſanctæ* p. 45. Ager Damaſcenus diſtat ſpatio, quantum arcus jacit, ab Ebron; ager uſque adeò fertilis & ſpecioſus, ut aliqui Paradiſum terreſtrem intelligi hic

debere crediderint. Habet terram rubram & mirè tractabilem, quam Saraceni deferunt in Ægyptum, Indiam, Æthiopiam carè vendentes. *Eadem* (addit) *legere eſt apud Brocardum: Cui opinioni Joſephi facile conciliantur alii, ac nominatim Toſtatus, qui exiſtimat creatum eſſe primum hominem apud Hebron: nam, ipſe ager Damaſcenus proximè ab Hebron diſtat.* Pergit idem adſtruendo, cum dicit: *Veteres etiam Judæi in terrâ Iſraëliticâ ponunt epocham dies numerando, quod Adamum eo loci habitâſſe, & ibi ſic enumerare cœpiſſe autument. De quâ re vide Doctiſſimum Seldenum, de jure nat. & G. libr. 3: 2. Et Henochia, quam Caïn profugus ædificavit, non longe à Libano condita eſſe creditur. Denique etiam ſepultum fuiſſe Adamum in ipſo Calvariæ monte antiquitus traditum eſt.* Judaica fides! horum enim hominum traditiones ſiculis gerris ſunt leviores; etiamſi Patres quandoquidem habeant ſequaces. Nihil de his ſcriptura habet: & ſerò veniunt traditionis iſtius auctores, quam ut rerum tantùm à ſuis temporibus remotarum teſtes eſſe poſſint fide digni. Nugati ſunt ſæpè Rabbini, Synagogæ Judaicæ Doctores, neque nudius tertius nugari inceperunt. Adeoque rationes audimus, non vanas Judæorum traditiones.

§. 6. Allegat porrò locum ex libro apocrypho *Eccl. 24: 35. 36. ubi conjunguntur quinque divinæ ſapientiæ fluvii, Phiſon, Tigris, Euphrates, Jordanes & Gichon.* Verùm reſpicit ille locus tantummodò comparationem inter largitionem ſapientiæ & ſcientiæ, & largitionem aquarum, quinque celeberrimos in ſacris fluvios adimplentium, & certis quibuſdam temporibus exuberantium, ut ſpem faciat, quandò oportunitas temporis id exigit, Deum eccleſiam impleturum ſcientiæ exube-

Digitized by Google

exuberatione, quandò ſtatus eccleſiæ tale quid flagitabit. Quid autem hoc faciat ad cauſam non video. Omitto jam quod ſententia libri apocryphi hic parum probet, & non niſi hominis privati mentem exponat.

§. 7. Leviſſima ſunt, quæ tertio & ſeptimo loco producit, nihil in controverſiâ præſenti definientia: dicit enim *Paradiſum plantatum fuiſſe ab Oriente:* & *ejus hortum fuiſſe longè amœniſſimum & fertiliſſimum;* quæ duo attributa paradiſi ſunt veriſſima. Hinc ſubſumit reſpectu prioris conditionis, quod *terræ ſanctæ oriens fuerit Jordanes, & illa regio, quæ trans Jordanem attributa eſt tribubus Reuben, Gad & dimidiæ Manaſſis, uti ex Num.* 13: 19. *evidenter colligitur. Quid, quod Moſes* Gen. 13: 11. *agens de ſitu convallis illuſtris & de regione Sodomorum eandem vocem uſurpet,* dicendo, & receſſit Loth מקדם ab oriente. Reſpectu ſecundæ conditionis dicit; *quod talis* amæniſſima & fertiliſſima terra *tota illa Iordanis regio fuerit, uti patet ex Gen.* 13: 10. 11. Jubetque videre, ut regionis Genezar fœcunditatem repræſentet *Hegezippus* de excid. libr. 3: 26. & *Brocardus*, qui poſterior etiam in eâ regione copiam eſſe *pomorum paradiſi* (uti vulgò appellantur) ſcribit. Non nego duas illas conditiones competere regioni, quam Jordanes perluit? verum cum illas quoque poſſideant *Meſopotamia*, *Parapotamia*, multæque plures terræ; quid hinc prærogativæ accedit terræ ſanctæ? Licet itaque per has conditiones terra ſancta non excludatur à deliberatione inquirentium, quænam fuerit terra Edenis? ſunt tamen alia quoque requiſita, à nobis ſupra indicata, quæ prohibent totalem Moſis deſcriptionem illi adſcribere: ut, ad concludendum quod erat in propoſitione, non fecerit auctor ſufficientem partium, ſeu requiſitorum, quæ

cun-

Digitized by Google

cuncta ſimul concurrere debebant, enumerationem.

§. 8. Ejuſdem ferè conditionis eſt *quintum* V. D. argumentum. *Paradiſi*, inquit, *fluvius* השקה *irrigavit Paradiſum, adeoque reſtagnare debuit.* Quo affirmato ſubſumit *congruere hoc cum Iordane, cujus rigata univerſa regio dicitur, antequam Iehovah diſperdidiſſet Sodomam & Gomorrham. Gen.* 13: 10. *quin & Ioſ.* 3: 15. *dicitur Iordanes ripas ſuas tempore meſſis implere.* Verùm nec id ſoli Jordani proprium eſt, & dum *Tigri* quoque atque *Euphrati* hoc idem adſcribatur, neceſſe eſt ut reſtagnatio illa etiam locum habeat in fluvio, aquas ſuas communi alveo tradente. Adde quoque non eſſe neceſſarium, ut fluvius terram irriget per reſtagnationem, cum id quoque aliis modis fieri poſſit; & ſola aquarum derivatio per elices, huic rei ſufficiat. Si totus hortus veniret reſtagnatione irrigandus, haud commodum eâ tempeſtate Adamo præbuiſſet habitaculum.

§. 9. Tandem ſubjungit, *quod convenire videatur, ut eodem loco primus Adam perdiderit humano generi felicitatem, in quo eandem reſtituit ſecundus; & ex quo euangelium in terrarum orbem propagatum eſt.* Verùm hoc argumentum allegoricum frigidum eſt: nec conſentit cum auctoris hypotheſi; nam ante dixit Adamum extra Paradiſum, licet in loco ei vicino, vixiſſe, necnon mortuum atque ſepultum fuiſſe; & ex traditione ſubſumpſit Adamum in monte Calvariâ fuiſſe ſepultum; cùm jam in eo monte Chriſtus fuerit crucifixus; ergo extra Paradiſum ſalutem reſtituit, quam Adam in Paradiſo perdiderat: ut utrumque eodem in loco factum non fuerit: nec propterea dicendum haud congruo in loco ſecundum Adamum amiſſam humano generi reſtituiſſe felicitatem.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Examen ſententiæ Clerici terram Edenis ad Tyrum uſque extendentis.

§. 1. NUper in ſuo ad Geneſin commentario *Ioh. Clericus* ſibi eorum ſententiam adornandam ſuſcepit, qui *terram Edenis* in Syriâ conſtituerant; & Paradiſum in *viciniâ Damaſci*, quæ ſententia etiam *Philippo Melanctoni* tribuitur. Hoc ut obtineat commentator, probare conatur in anteceſſum *Edenem* quandam in Syriâ fuiſſe, ejuſque tractum quendam eo nomine fuiſſe dictum: dein ſuſcipit in ſe demonſtrare eundem fuiſſe terram Hedenis, in cujus parte Adam fuit collocatus. Cumque Moſes *Tigris* etiam fecerit mentionem, exiſtimat antiquiſſimis temporibus eam regionem *Eden* potuiſſe vaſtas regiones complecti, ut quæ à Syriaco mari ad Tigrin vergunt, præſertim initio rerum, quo incultis regionibus nulla adhuc erant impoſita nomina. Illi porrò per conjecturam *Phiſon* eſt *Chryſorrhoa*, qui ab urbe & regione Damaſcenorum incipiens in rivos ferè conſumitur, quem propè attingere Chaulotheos Arabes exiſtimat: & *Gihon* eſt *Orontes*, qui totam Syriæ *Caſſiotidem*, ubi & *Caſſius* mons, alluit. Fatetur vir Doctus, Moſen omninò ſignificare, unum alveum rigaſſe Paradiſum, atque poſtquam id præſtitit, eâ parte, quâ aquæ decurrunt, unum illum alveum in quaternos diviſum, in eas regiones, quarum ſequuntur nomina, ferri. Aſt, quandò quis de quatuor illorum fluviorum nexu cum uno illo alveo Paradiſi ſe ſollici-

Digitized by Google

tum oſtendit; reponit non poſſe quenquam ab ipſo poſtulare, ut Paradiſi (qualis erat Adami ævo) ſitum cum fluminum (qualis poſtea fuit) curſu conciliet; cum nemo neſciat, Euphratem & Tigrin, poſtquam juncti ſunt, alveum communem in quatuor non dividere ramos: quodquè reliqui duo fluvii (qui ex eodem alveo erumpentes, regiones *Cuſch* & *Havilah* permeabant) nuſquam certò inveniri poſſint. Dein addit; eluvionibus & motibus terrarum fluviorum curſus ſæpè fuiſſe mutatos.

§. 2. Repugnare huic ſententiæ exiſtimo primo loco, quod ampliſſima illa terra, quæ à mari Syriaco ſe porrigit uſque ad Tigrin, apud *Moſen* non *Eden*, ſed terra *Aram* vocitetur; quæ terra, fatente vel ipſo commentatore, etiam complectebatur *Meſopotamiam*; aut ſaltem ejus partem, quæ *Aram Naharaim* dicitur, ſeu *Paddan Aram*. *Gen.* 28: 2. Conf. *Jud.* 3: 8. 10. Quod ſi *Aramæa* ſeu *Syria* quondam ejuſdem fuit latitudinis cum *Eden*, non video cauſam, cur Moſes nomen, ſuo ſeculo omnibus cognitum, omittere voluerit, & aliud in ejus locum intrudere, minus cognitum? *Sin* verò ſe iterum contrahat *Clericus*, atque Syriæ tractum ſolum aliquem intelligat; oportet ut eum tractum recipiat, ubi *urbs Paradiſus*, quam *Ptolomæus* Laodicenæ tribuit, exſtitit, in cujus viciniâ fontes *Orontis* ſtatuit *Strabo* libr. 16. De Laodiceâ teſtatur idem *Strabo* χῶρον ἔχει πολύοινον πρὸς τῇ ἄλλῃ ἐυκαρπία: *ſolum habet vini feraciſſimum, præter aliarum rerum ubertatem.* Aut pulcherrimam vallem reſpiciat, neceſſe eſt, quæ inter Libanum & Antilibanum ſita, cujus *Damaſcus* erat Metropolis, quæ propter ſingularem fertilitatem atque amœnitatem, nomen *Beth Eden*, ſeu domus deliciarum reportat apud Prophetam. *Amoſ.* 1: 5. *Aſt* i-

ta

Digitized by Google

ta reſtringens multo difficiliùs erit iſtius amnis, qui ſolus hortum rigaverat, cum quatuor nominatis fluviis nexum oſtendere, imò impoſſibile.

2. Ipſe V. D. deſperat de nexu illo inveniendo, quem *unus ille Paradiſi alveus* dicitur apud Moſen habuiſſe cum quatuor amnibus in textu nominatis: quid quæſo commercii habet *Chryſorrhoa* cum *Oronte?* aut quis fuit curſus fluvii Edenis cum utroque? cum ſatis à ſe invicem ſint disjuncti. Multo minus poterit hujus fluvii alveos in Euphratem aut Tigrin derivare. Nec valet exceptio, quod *nemo posſit paradiſi ſitum cum quatuor fluminum curſu conciliare.* Cum tamen ab hâc conciliatione totius ferè quæſtionis ſolutio unicè dependeat. Ut proin haud iniquum ſit illud poſtulatum, quo iſta exigitur conciliatio; & ſatis refellatur ſententia de hâc conciliatione deſperans, aut ea ponens, quæ hanc conciliationem facit impoſſibilem; dum talia aſſumit, quæ eam conjunctionem plane tollunt, & inconceptibilem faciunt. Fateor etiam eluviones & terrarum motus ſæpe mutaſſe fluviorum curſus. Verùm tale quid hìc factum ſuſpicari non poteſt, cum *Aram Naharaim* jam Euphrate interfluente terra fuerit, Patriarcharum tempore à Syriâ divulſa: multo magis Tigris concipiendus eſt amnis Syriam haud tangens. Sin verò ad mutationem à diluvio factam reſpiciat; tenere debet Moſen Paradiſi ſitum conferre cum ſitu locorum, qui ſuo tempore obtinebat; quoniam terras nominibus deſignat, quas à gentium diſperſione demum acceperant.

3. Pone qualemcunque fluviorum curſum; manet tamen unum fluvii horti divertigium ibi Tigrin ſubingredi debere, ubi verſus orientem ſe inflectens excurrit in Aſſyriam, quod Moſes quam evidentiſſime affirmat; jam inſpice mappas, & agnoſcito ſitum Aſſyriæ ſatis à Syriâ remotum.

4. Si *terra Eden* ſe porrigit à mari Syriaco uſque ad Tigrin? quidni hortum Dei cum Moſe collocabimus in terræ iſtius *parte orientali*, quæ proximè ad Tigrin accedit? nonne Moſi contradicit, qui hìc ejus partem *occiduam* ſubſiſtuit? imò Tyri & allegatæ Syriæ partes ne quidem erant Moſi hæc ſcribenti ab oriente, ſed à Septentrione, ut ne quidem ex eorum interpretatione, qui verba Moſis huc referunt, iſtam ſententiam tueri quiſquam poſſit.

5. Dicat mihi hujus ſententiæ auctor, quo alveo derivet *Chryſorrhoam* in Havilam Arabiæ deſertæ, quippe terram aridam, fontibus & fluminibus deſtitutam, & non niſi puteis aquarum defectum compenſantem. Quo auctore, quâve ratione inductus id affirmat? Præſertim cum iſti Havilæi poſt Nabathæos ſint rejiciendi in partes, magis ad Orientem & auſtrum removendas.

6. Si Moſes *Havilam* Arabiæ deſertæ reſpexit? undè conſtat illam terram *auri* & *unionum* (aut bdellii ſi ita mavis?) & *Sardonichum* fuiſſe feracem, divitemque, ut incolæ ea mercimonia diſtraxerint, aut aliis nationibus vendiderint? Omnes norunt talia à terræ iſtius horridioris conditione eſſe alieniſſima.

7. Quid *Caſſiotis* & *Caſius mons* commune habent cum terrâ *Cuſch*? cujus frequens in ſacris mentio? An Aramæi iidem ſunt, qui Cuſchitæ? negari enim nequit terram illam vocari à primis colonis *terram Aram*, nuſpiam verò *terra Cuſch* audit.

§. 3. Nequè patrocinium invenit V. D. ſententia in loco *Ezech.* 28: 13. ubi de rege Tyri dicit Deus: *tu eras in Eden, horto Dei*; cum illud non niſi comparativè de Tyro dictum fuiſſe cenſeri poſſit: qui enim id ſtrictè dictum accipere velit, cogetur Tyro eam Edenis partem adjudicare, in quâ Deus beatum illum hortum con-

Digitized by Google

condiderat, cum æquè dicatur *in horto Dei* fuiſſe ac *in Edene*. Aſt hortus ille Dei, in cujus ſitum nos inquirimus, à Moſe collocari diximus ab oriente Edenis; *Tyrus* verò ultimam Syriæ oram ad occidentem, juxta extrema maris Syriaci littora occupavit: imò in corde maris condita dicitur. Neque Tyri territorium fluvium agnoſcit, quem cum Euphrate & Tigri conjungere poſſis. Quocunque ſe vertat auctor, non tamen efficere poterit hìc aliam Edenis haberi rationem, quàm cum relatione *ad hortum Dei:* ut proindè hæc ſolùm ſit metaphorica felicitatis loci exaggeratio, qui quadantenùs cum Paradiſo componi poſſit.

§. 4. Agnoſco etiam lubens apud Ezechielem cap. 27: 23. inter emporia Tyriorum numerari *Charan*, *& Canneh & Eden:* non quaſi iſtæ civitates hâc recenſione ad Tyriorum ditionem referantur, à quâ fuerunt remotiſſimæ: ſed ut exaggerationem celebritatis Tyri faceret; adeò enim celebres erant Mercatores Tyri & opulentiâ negotiorum præpotentes, ut remotiſſimis à locis mercimonia ſua arcerſerint: quare etiam *Scheba, Aſſur & Kilmath*, earumque regionum mercatores adjiciuntur. Imò ex eo, quod *Eden* jungitur cum *Charan*, quæ civitas erat Meſopotamiæ, & *Canne*, quæ Parapotamiæ fuit, potiùs colligo quod *Eden* etiam in oris indè non longè remotis, quæri debeat. Quid ſi Propheta reſpexerit *Aänam*, quæ apud Stephanum *Adana* vocatur, ubi dicitur urbs ad Euphratem condita: etiam hodiè præclara Principis ſedes, & nobile emporium.

§. 5. Objicit etiam *D. Clericus* locum *Amoſ.* 1: 5. ubi amplificatio judicii in Damaſcenos effundendi, Deum in hunc modum ſiſtit loquentem. *Immittam ignem in domum Haſaëlis, & comedet palatia Ben-hadad: &* con-

confringam vectem Damaſci, & exſcindam habitantem ex valle Aven, & tenentem ſceptrum ex Beth-eden. Urgetque vir Doctus, ibi *Beth-eden* referri ad Syriam Damaſcenam, imò regem *Benhadad*, qui Syriam tenuit, hîc deſcribi, ut qui ſceptrum tenebat in *Beth-eden.* Verùm aliud eſt *Eden*, aliud nomen *Beth-eden:* ultimum fortè impoſitum eſt regioni cuidam Syriæ à terræ amœnitate, licet diſtincta, & ſatis remota fuerit ab *Edene* Meſopotamiæ. Nec certum eſt phraſin illam regem Damaſci indicare. *Benhadad* videtur regnum Damaſcenum amplificaſſe admodum, & ejus terminos propagaſſe ultra Euphratem, antequam *Tiglath-Pileſer* ab Achazo, Judæorum Rege conductus, expeditionem ſuſcepit contra Syrios & Iſraëlitas: quid ſi ergo ſceptrum in Beth-eden fuerit unus ex regulis, ſub imperio regis Benhadad tributariis, aut cum eo confœderatis, qui in aditu ad Syriam Aſſyriis objiciebatur? atque ſic regulus *Aänæ*, ſeu *Adanæ*, qui Arabum erat, intelligi poterit, clauſtra Euphratis tenens, & Syriæ Palmyrenæ conterminus. Quicquid ſit, nulla hîc loci neceſſitas nos cogit, Syriam *ſub Edene* comprehendere, ejuſque terminos in tantam, ac vult vir Doctus, latitudinem extendere. Maneat igitur *Edenem* ita ex aliis locis eſſe contrahendam, ut *Gozan*, cum Gauzanitide, & *Haran*, cum Aram Naharaim, & *Hamath* Syriæ, ab eâ diſtinguantur; atque extra ejus limites conſtituantur. 2 *Reg.* 19: 11-13. *Jeſ.* 37: 11-13.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Examen ſententiæ eorum, qui paradiſum ſupra Meſopotamiam collocant.

§. 1. QUamvis quoad longitudinem locorum omnes ferè eruditi in eo conveniant, terram *Eden*, nec non hortum paradiſi, intra duos illos fluvios celeberrimos *Euphratem* videlicet & *Tigrin* comprehendi, non tamen omnes quoad ejus latitudinem borealem idem ſentiunt: alii enim ſupra *Meſopotamiam* adſcendentes in Armeniâ quærunt, & quidem ad Tigris & Euphratis fontes: non nemo ſupra *Merdin*, & montana Curdorum: alii verò infra *Meſopotamiam* deſcendentes, in principio Meſenes ſuperioris; aut intra utramque Meſenem ad utrumque latus fluvii Arabum conſtituunt. Hoc capite eorum ſententiam excutiemus, qui ſupra *Meſopotamiam* extitiſſe quondam locum illum beatum exiſtimant.

§. 2. Primo hìc loco occurrit ſententia duorum celeberrimorum nuper in Galliâ Geographorum, *Sanſonis & Lubini*; qui quatuor fluviorum (apud Moſen commemoratorum) rationes ineuntes, eoſdem tanquam *ex terrâ Eden prodeuntes* ſpectant, ac propterea ad fontes *Euphratis* & *Tigris* adſcendunt: ubi etiam adhuc duorum aliorum fluminum majorum fontes inveniunt, quæ hodiè ampliſſimo fluunt alveo; quorum unum in Pontum Euxinum, aliud in Mare Caſpium delabitur; atque prius fortè Hebræis olim ſub nomine *Piſhon*, ſecundum ſub nomine *Gihon* veniſſe. Uno verbo *Phiſon*

Digitized by Google

ſon illis eſt *Phaſis*, & *Gihon Oxus*, quorum fontes non multum à fontibus *Euphratis* & *Tigris* diſtant. Horum hypotheſis eſt, quatuor nominatorum fluviorum fontes in horto eſſe inveniendos, aut ſaltem in terrâ *Heden*, atque omnes exindè *egreſſos* fuiſſe. *Phaſin* oſtendunt per *Colchidem* (quam in *Chavilam* mutant) progredi in Pontum Euxinum, ejuſque aquas eſſe exquiſitè bonas, nec non uniones inveniri in proximo mari; addunt *Colchidem* ex reportato aureo vellere veteribus multum fuiſſe celebratam.

§. 3. Verùm hanc ſententiam non exhaurire textum Moſaicum pluribus conſtat argumentis. 1. Non enim ſufficit quatuor invenire fluvios, fontibus non longe à ſe invicem remotis; ſed oportet *unum fluvium* aſſignare, qui ex terrâ Edenis egreditur, & aliquali excurſu, hortique Dei irrigatione dividatur, aquas ſuas effundendo in quatuor alios fluvios à Moſe nominatos. 2. Nullo indicio erudimur ab ejus ſententiæ auctoribus de terrâ *Cuſch* & *Havilæ*; nam *Colchidem* in *Havilam* mutare frigidum eſt. 3. Regio iſta juxta ſtylum moſaicum vocatur *Ararat*, non verò *terra Eden*: ut oporteat nos probè inſpicere Geographiam Moſaicam, ſi de vero ſitu paradiſi quid certi ſtatuere velimus.

§. 4. Supra Meſopotamiam, & infra fontium Euphratis & Tigris regionem quidam terram *Eden* collocant apud *Joſephum de S. Angelo*, in Gazophylacio ſuo perſico, qui ad gradum latitudinis borealis 41, inter gradus longitudinis 72. & 73. planitiem deſcribit peramœnam, quæ incolis *Cougsjaſſar* dicitur; ubi ad radices montis (cui *Mardin* civitas impoſita eſt) monſtrari ait locum, quem inquilini comprehendiſſe paradiſum terreſtrem tradunt, in regione, quæ Turcis *Bin-goul* mille fontes audit. Addit verò auctor, quod ibi

ibi revera ſint quatuor fluvii *Euphrates & Tigris*, nec non *Coukſou* & *Nahar-Kilicz*: quodque horum prior ſupra urbem *Moſul* in Tigrin irruat; poſterior vero infra oppida *Bir & Reba* in Euphratem dilabatur. *Coukſou* (quod nomen aquas Cœruleas ſignificat) componit author cum *Gihon*, & *Nahar-Kilicz* (id eſt fluvius gladius) cum *Piſhon*.

§. 5. Verum hæc ſententia eoſdem committit errores, atque illa prior. Oſtendat ejus auctor, ubi hic ſit amnis Edenis in quatuor alios per ſua divertigia ſeſe effundens? Ubi hic terra *Cuſch & Havilah*? ubi hîc aurum, & uniones? & quidem ad *Nahar-Kilicz*, quem *Piſhontem* vult. Nihil horum cum ibi locorum oſtendi poſſit, frigidior eſt ea deſcriptionis Moſaicæ applicatio, quam ut quemquam pertrahat in aſſenſum.

CAPUT X.

Examen ſententiæ eorum, qui Paradiſi hortum infra Meſopotamiam conſtituunt.

§. 1. INfra Meſopotamiam terram Eden & hortum Dei alii collocarunt ad primum confluentem *Tigris & Euprhatis*, eo in loco, ubi quondam *Seleucia* fuerat condita, ut pars ſe in Meſopotamiam porrigeret, pars verò Meſenes ſuperioris agros occuparet. Alii vero ad ſecundum confluentem infra Apameam terram illam cum paradiſo ſe inveniſſe exiſtimant.

§. 2. Hortum illum Dei commodiſſimè *ad Euphratis & Tigris* confluentem primum, ſeu ſuperiorem collocandum,

Digitized by Google

dum, multorum virorum doctorum fuit ſententia; quam etiam vir Doctiſſimus *Cl. Lud. Capellus* in commentariis poſthumis profert. Verba ejus appono. ,, Cum
,, ergo jam conſtet quatuor fluminum, quibus hortus
,, ille rigabatur, duo eſſe Euphratem & Tigridem,
,, non eſt alibi quærendus horti iſtius Edenis ſitus,
,, quàm in Euphratis & Tigridis confluente: nam in
,, eorum fontibus quærendus non eſt, ſiquidem aliquot
,, dierum itinere atque intervallo ab invicem diſtant:
,, nec alii duo fluvii ab eorum fontibus dividuntur at-
,, que effluunt. Locus autem in quo Euphrates & Ti-
,, gris confluunt, atque primo miſcentur, eſt propè
,, Seleuciam, paulò ſupra Babylonem. Iſthic Euphra-
,, tes in duos grandes alveos dividitur, quorum alter
,, Maarſares (à Ptolomæo Βααρσάρης) ab Ammiano ve-
,, ro Marcellino Marſyas, ſed corruptè dicitur, cum
,, verum ejus nomen videatur potiùs eſſe *Naarſares*,
,, quaſi dicat, נהר סרם; *fluvius caſtratus*, hoc eſt
,, ab Euphrate deductus, atque divulſus, uti rectè
,, conjicere videtur doctiſſimus Junius. Alter à Plinio
,, vocatur *Armalchar*, *quod ſignificat* (inquit Plinius)
,, *regium flumen*. Ubi legendum procul dubio ex Amm.
,, Marcellino *Nahar-malca*, ut alii obſervarunt, hoc
,, enim ſignificat Chald. נהר מלכא, quare eum vo-
,, cat Ptolomæus βασίλειον ποταμὸν. Priorem illum Eu-
,, phratis alveum Naharſares dictum Junius vult eſſe
,, Phiſonem. Sed ſic hortus ille ſatis grande occupaſ-
,, ſet terræ ſpatium: nam ab eo loco, ubi Naharſares
,, ab Euphrate derivatur ad Seleuciam, ubi concur-
,, runt & miſcentur Tigris & Euphrates, intervallum
,, eſt gradus unius cum dimidio, hoc eſt, pluſquam 22.
,, leucarum, quæ horti longitudo videtur æquo ma-
,, jor. Itaque rectiùs videtur, ut hortus ſitus fuerit

,, in

Digitized by Google

„ in ipſo Euphratis & Tigridis confluente, ita ut mox
„ poſt conjunctionem & commixtionem rurſus ab in-
„ vicem ſeparentur, duoſque efficiant alveos, quo-
„ rum alter ſit ille, qui regius fluvius dicitur, depu-
„ tandus Euphrati: alter ſit ipſe Tigris, poſt conjun-
„ ctionem ſeſe ab Euphrate ſeparans, cujus alveus poſt
„ ſeparationem decurrit à Seleuciâ ad Apameam, ubi
„ rurſus cum Euphrate, Nahar Malca dicto, conjun-
„ gitur, efficitque cum illo Euphratis alveo grandem
„ inſulam. Duorum iſtorum alveorum ille, qui Eu-
„ phrati deputandus eſt & Nahar malca dicitur, vide-
„ tur eſſe, qui hìc à Moſe vocatur גיחון *Gichon:* qui
„ ideò videtur dici *perambulare terram Cuſch*, quia
„ excurrit uſque in ſolitudines Chaldææ, in quibus
„ Arabes Scenitæ habitant. Alter verò alveus il-
„ le eſt, qui *Phiſon* vocatur, qui ideò dicitur
„ à Moſe *percurrere terram Havila*, quia Tigris à
„ Seleuciâ ad ſinum uſque Perſicum, in quem ſe exo-
„ nerat, alluit totam Suſianam, undè videtur incho-
„ anda habitatio poſterorum Joctanis, Havila & Ophir
„ &c. Sic ergò in horto fuerint quatuor fluvii, ſive
„ fluviorum alvei, quorum duo Euphrates & Tigris
„ influunt in hortum, propriumque ſuum nomen ſer-
„ vant donec confluant, ſimulque concurrant: alii
„ duo, nempè Gichon & Phiſon, qui effluunt, at-
„ que emanant ex horto, ſuntque reapſe Euphratis &
„ Tigridis alvei, ſed qui poſt conjunctionem nomina
„ mutarunt, aliaque gaudent appellatione . . . Sic hor-
„ tus ille in quatuor diviſus fuerit à quatuor illis alveis,
„ in crucis veluti modum atque figuram, quod con-
„ venientiſſimum & elegantiſſimum fuiſſe videtur.

§. 3. Verum hæc ſententia ſubſiſtere non poteſt; 1. Quoniam ibi locorum *Euphrates* (contra ac volunt viri

 doctiſ-

doctiſſimi) ad confluentem cum Tigri non venerit antiquitùs. Dicit quidem *Plinius Euphratem findi ad Maſſicen*, ita ut pars ejus *in Seleuciam* tendat, & ibi cum Tigri confluentem faciat. Sed idem Auctor me docet, illum Euphratis alveum *Cobaris præfecti opere deductum, ne Euphrates præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret.* Proindè ante illam Cobaris deductionem ſaltem ibi locorum Euphrates nullam cum Tigri conjunctionem ſubiit. Quare fluvius ille, qui regius dicitur, ex tabulis, antiquum terræ ſitum referentibus, delendus atque eximendus eſt: quo facto, ſtatim patebit, ſi hortum Dei ibi collocemus, ejus amnem ibi cum Euphrate nullam conjunctionem habere potuiſſe. 2. Obſtat quoque, quod ibi inveniatur non *terra Eden*, ſed *terra Calne*, pars *terræ Sinear*, quæ etiam ab urbe metropolitanâ *Chalonitis* dicitur: aſt hortus Dei partem *terræ Eden* orientalem occupavit. 3. Hic locus etiam per ſe non ſatis facit: pone enim apud Seleuciam *Euphratem* permeare iſtum canalem, & cum *Tigri* facere confluentem, neceſſe erit, ut pro *confluente Tigris & Euphratis* agnoſcamus alveum; qui Meſeni ſuperiori eſt ab oriente, ubi Cteſiphonta præterlabitur. Aſt tunc perit *diviſio* confluentis in duos alios fluvios, quæ nuſpiam accidit, niſi infra Baſſoram, propè Sinum Perſicum: quæ cauſa fuit *Huetio*, hortum hunc tranſponendi inter Meſenem ſuperiorem & inferiorem. Sanè in loco, in quo fit confluentis initium, ejus diviſio poni haud poteſt. Sin aliquis confluentem *Tigris & Euphratis* faciat *Delam*, qui ab occidente Meſenes ſuperioris labitur; eadem redit difficultas; *Delas* enim non dividitur niſi ad Meſenem inferiorem. Quare hortus à confluente irrigatus partim in Meſene, partim in terrâ palmiferâ quæri deberet;

ita

ita ut diviſio in ejus viciniâ nûlla eſſet. Hinc ſequitur ſententiam *Cl. Capelli* de horto Paradiſi cum loci conditione & facie conſiſtere non poſſe.

Haud diſplicet tamen, quod *Tigris*, ubi Cteſiphonta prætermeat, & *Euphrates* ubi Parapotamiam ingreditur, aut aliquo uſque ingreſſus eſt, antiqua nomina amittant, & concipiendi ſint, dum alios fluvios ingrediuntur, ſub eorundem nôminibus latitare. *Tigris* itaque terminatur ubi *Dialam* ſeu *Phiſam* ingreditur; *Euphrates*, ubi alveum Piriſaboræ aquis ſuis auget.

§. 4. Illuſtriſſimus Præſul Abrincenſis, vir ſummus, qui magno ſuo merito raræ eruditionis ſibi comparavit famam & exiſtimationem, *PETRUS DANIEL Huetius*, paucos ante annos quoque ſuam *de ſitu paradiſi terreſtris* ſententiam aperuit; incommoda, quæ in ſententiâ *Calvini & Scaligeri* (quam ſe ſequi proximè profeſſus erat incomparabilis eruditionis vir *Cl. Bochartus*) ſupererant, evitans. Ille, pro ingenii ſui acie videns, ut ad confluentem Euphratis & Tigris apud Seleuciam (quippe novitium, & regum Babyloniæ operâ poſtea arte confectum) poni non poſſit hortus, uno alveo irrigatus, quem ex utriuſque fluvii concurſu facere poſſit; *terram Edenis* quæſivit infra Apameam; & protendit uſque ad inſulam *Meſenem*, quam diſtinctionis gratiâ *inferiorem* appello: hortumque pingit ad auſtro orientem *terræ Eden*, ut maxima ejus pars prope *Areccam* ponatur, ultra fluvium, verſus Suſianam, pars vero cis fluvium, ſed longè minima in terrâ *Baſſoræ*. Sed ipſum auctorem illuſtrem audiamus: qui cap. 1: §. IV. mentem ſuam ſic exponit. „ Ego „ Paradiſum terreſtrem ad alveum, quem Tigridis & „ Euphratis confluens efficit, ſitum fuiſſe, inter lo„ cum, ubi conjunguntur, locumque, quo ipſorum

 „ fluen-

„ fluenta, antequam in ſinum Perſicum ſe evolvunt,
„ iterum ſeparantur. Et quia alveus iſte per anfractus
„ quoſdam pervolvitur, ut rem quam accuratiſſimè ex-
„ hibeam, Paradiſum ajo terreſtrem ſitum fuiſſe ad u-
„ num ex his anfractibus, & probabiliter ad unum ex
„ maximis, ad brachium meridionale, in tabulis geo-
„ graphicis Ptolomæi ab Agathodæmone notatum,
„ cum fluvius iſte verſus Orientem regreditur, poſt-
„ quam diu ad Occidentem deflexèrat, ad 32 gr. 39.
„ m. latitudinis Septentrionalis, & ad 80. gr. 10 m.
„ longitudinis, ſecundum delineationem Agathodæ-
„ monis, in eo propè loco, ubi Araccam ponit, quæ
„ eſt *Erech* ſcripturæ . . . Illud (inquit porrò) ad-
„ huc adjicio, quod Tigris & Euphrates ante conjun-
„ ctionem, & duo illi alvei, per quos mari illabitur,
„ poſtquam ſe diviſere, quatuor hujus fluvii ſint capi-
„ ta: quod occidentalior illorum alveorum ſit *Phiſon*,
„ & regio *Chavilah*, quam ſecat, pars felicis Arabiæ
„ & pars Arabiæ deſertæ: quodque *Gehon* ſit ex duo-
„ bus iſtis, de quo locutus ſum, alveus Orientalis;
„ ac quod denique regio *Chus* ſit *Suſiana*. Idem om-
nia ad concluſionem concinnâ ſatis recapitulatione dicto-
rum revocans cap. XIX. ait §. 1. *Paradiſum terreſtrem fuiſſe ad fluvium, quem confluens Tigridis & Euphratis producit, quemque hodie fluvium Arabum appellitant, inter hanc diviſionem, quam facit hic ipſe fluvius, antequam in mare Perſicum ſe præcipitat . . . . iſte hortus*, inquit porro, *ſitus erat* ad orientem; *hoc eſt à parte orientali regionis Edenis, duas fluvii ripas occupantis . . . ut adeo ſignificare nobis voluerit Moſes, Paradiſum ad minimum majori & principali parte ſitum ad ripam hujus fluvii Orientalem fuiſſe.*

§. 5. Quamvis vir maximus ex *Bocharti* ſententiâ ma-

ximam exemerit difficultatem, dum locum Paradiſi ita nonnihil tranſpoſuit: remanent tamen mihi nihilominus graviſſima argumenta adverſus virorum doctiſſimorum ſententias, quæ me ab aſſenſu cohibeant. 1. Faciunt viri Doctiſſimi ex *fluvio Hedenis* confluentem, ex Euphrate & Tigri coëuntibus natum, quorum fontes ſunt in Armeniâ, in terrâ Ararat. Ipſe *Cl. Huëtius* cap. VI. §. 1. dicit: *Euphrates fontem in Armeniâ magnâ habet, in parte Septentrionali montis Abos, qui ramus eſt Tauri. Tigris ſuum etiam fontem in eâdem regione ad latus meridionale montis Niphati, qui alius Tauri ramus eſt, agnoſcit.* Aſt Moſe auctore *fluvius Edenis* ortum ſuum duxit *ex ipſâ terrâ Eden*, proximè ab horto, ejuſdem terræ agro Orientali: dicit enim *Gen.* 2: 10. *Et fluvius egrediebatur ex Eden, ut irrigaret hortum*; quæ phraſis ſuâ ſimplicitate fluvii ortum ex fontibus ſignificat, nec aliam pati interpretationem in capite de fluvio Edenis evicimus; ut torqueant Moſis dicta nimium, qui alium ex iis ſenſum extundere conantur. Sanè, non niſi graviſſimas ob cauſas à ſimplicitate verborum recedendum erat: quod conſilium ſuum *Joh. Hopkinſonus* exponens, ait in Synopſi de Paradiſo. *Ego quidem ſenſerim non temerè recedendum à ſimplicitate verborum, quæ Spiritus Dei dictavit: nec quicquam mutandum ſine ratione evidentiſſimâ, quam hic non animadverto.* Patiantur quæſo diſſentientes, quod hæc verba mea faciam, atque hanc normam mihi præfixerim. 2. Non retinent etiam viri eruditi diviſionem fluvii Edenis, qui ab irrigatione horti tantum duos inveniunt amnes, aquas ex horto delapſas recipientes; cum Moſes de iſto fluvio dixerit *eum exindè dividi, ut eſſet quatuor amnibus.* Sanè hæc eo rapere, quaſi id dictum ſit de duobus fluviis alluentibus, qui confluentem

tem faciunt, & de cæteris duobus recedentibus, ſeu verſus inferiora delabentibus; ut iſti quatuor non ſint unius ordinis, nullo ſigno patet: cum ordo verborum Moſaicorum atque ſimplicitas exigat, ut à fonte fluvii Edenis deſcendamus, eumque ut ad horti irrigationem pergentem ſequamur; ac hortum cum illo fluvio egredientes notemus eum ומשם ab iſto loci termino dividi in quatuor alveos, ſeu ramos, qui aquas ſuas in quatuor fluvios transfundant. Non video, quomodò illa diviſio, ab iſto termino deducta, hìc quicquam faciat ad fluvios terram Edenis longè ſupra hortum ingredientes ſignificandum. Hoc quoque offendit *Clericum* in novo ſuo in Geneſin commentario, cujus verba appono. ,, *Indè in quatuor dividebatur capita:* ſeu משם ,, *inde* referatur, inquit, ad Hedenis totam regionem, ,, ſeu ad eam tantum, in quâ fuit Paradiſus, videtur ,, omninò ſignificare Moſes, poſtquam Paradiſum rigavit unus alveus, eâ parte, quâ aquæ decurrunt, ,, unum illum alveum in quaternos diviſum, in eas regiones, quarum ſequuntur nomina, ferri. Certè, ,, quin hæc ſit vocum nativa ſignificatio, dubitari nequit. *Fluvius ex Hedene egrediebatur, ad irrigandum Paradiſum, & indè dividebatur, & erat in* ,, *quatuor capita.* Attamen vir Doctiſſimus & in utrâque antiquitate verſatiſſimus *P. D. Huetius* cenſet, ,, duo capita fuiſſe ad ſeptentrionem Hedenis, duo alia ,, ad meridiem; Tigrimque & Euphratem ad ſeptentrionem, Phiſonem & Gihonem ad auſtrum ſita fuiſſe vult; quod videtur etiam ſenſiſſe *S. Bochartus.* ,, Exiſtimat hic rationem nullam haberi aquarum decurſus, ſed fluvium, quo rigabatur Paradiſus, quaſi ,, viam regiam ſpectari, quæ cum una Hedenem dividat, in duas utrinque ſcinditur. At duriſſimum eſt

,, hoc

„ hoc verbi יצא interpretamentum ; quis enim dixe-
„ rit fluvium *exire è regione*, quæ infra fontem ejus
„ ſita eſt, ſi de tractu ſuperiore, ſeu fonti viciniore
„ ſermo ſit? *Exire* prorſus idem eſt, ac *defluere*, ubi
„ de fluminibus agitur (vide *Ezech.* 47: 1. 8, 12.) ne-
„ que uſquam legas fluvium ab oſtio ad fontem *exire*.
Ego, ſicuti hanc rem eum in modum dudum concepi, ita hanc annotationem viri docti utroque pollice probo, & ut valdè ſtringentem hic adſcribo.

3. Nequè admitto Euphratem antiquis temporibus cum Tigri aut ſupra aut infra Meſenem ſuperiorem, confluentem feciſſe: quoniam *Parapotamia* ante factum fluvium regium cum Meſopotamiâ à Maſſice uſque ad confinia Seleuciæ terra continua fuit. Quare eum amnem in tabulâ noſtrâ delevimus, quò antiquam terræ faciem ex vero contemplemur, & falſam illam ideam, quæ decepit viros doctiſſimos, ex animis noſtris eximamus. Quæ ſola animadverſio ad everſionem ſententiarum, quas hoc capite refellimus, ſufficit; ſublato enim regio illo amne nullus ſupereſt, per quem Euphrates à Maſſice pergat, alveus, niſi ille ſolus, qui Babylonem permeat, & ad Pallacopam aquas defert.

§. 6. In Ill. Præſulis ſententiâ, præter jam allegata, ſpeciatim deſideramus varia. 1: Quod *fluvius Arabum* non poſſit dici ex ſolo Tigri & Euphrate naſci, poſito quod *Delas* fuerit Euphratis alveus (non conceſſo) quia recepit etiam, *Iſam* amnem, Cuſam præterlabentem, & alios partim ex terrâ Baſſoræ, partim ex Suſianâ alluentes. Inſpice modo tabulam Baſſoræ, totam ejus regionem cum pagis, fluminibus, & inſulis exhibentem, quem ex authore Gallo in ſuâ Babyloniæ deſcriptione exhibet *Olph. Dapper*: & appinge horti ſitum,

Digitized by Google

ut maxima pars ultra Arabum fluvium in orientem ſe protendat; quid ni cogeris potiùs dicere fluvium *Karcham*, ex Suſianâ delabentem, ac infra Apameam Arabum fluvium ingredientem, irrigaſſe hortum. Cum itaque ille alveus, à Meſene ſuperiori ad Meſenem inferiorem proluens, non ex confluente duorum, ſed plurium fluviorum conſtituatur, oportet, ut ſtatuat vir doctiſſimus non ſolum Tigrin & Euphratem ingredi hortum, ſed & Karcham, & alios amnes, in fluvium Arabum confluentes. 2. Nequè rectè dictum eſt, *fluvium Arabum* non niſi per duo oſtia ingredi mare Perſicum, dum inſulam novam, quam Meſenem inferiorem appellamus, conſtituit: qui enim iſtas regiones inſpexit (*Joſephus de S. Angelo*) per tres alveos, atque tria oſtia *fluvium Arabum* egredi, & aquas ſuas in ſinum Perſicum effundere, teſtis eſt in Gazophylacio ſuo Perſico: qui proin notat iſtâ diviſione duas inſulas majores confici, & propè ſinum plures minores. 3. Nec *Tigris* ibi nomen ſuum retinuit: quod amiſit à quo Dialam ingreſſus eſt, nec ibi locorum labitur *in Aſſyriam Orientem verſus*, ſed Suſianam præterfluit: cum tamen Moſes iſtum Tigris alveum, qui fluvium Edenis recipit, dicto charactere inſignire voluerit: ut ſuo loco oſtendimus. 4. Nec terra, quam hortus occupavit ſic pars *Edenis* fuit, ſed pars terræ *Sinear*, in quâ Nimrod præter alias civitates etiam urbem *Erech* condidit: aut ſi putemus eam denominationem, ut nimis amplam, ad diſtinctiorem terræ definitionem, à Moſe relictam, cur non dixit *in terrâ Erech* hortum illum conditum fuiſſe? cum vir ill. terram Eden *in provinciâ Erech* ipſe ponat. Ita enim loquitur cap. 2. §. 11. *Regio Eden, extendebat ſe infra & fortè etiam ſupra conjunctionem Tigris & Euphratis, & bonam partem magnæ iſtius regionis*

gionis occupabat, quæ poſtea Babyloniæ nomen accepit. Babylonia ab initio terminabatur eo in loco, ubi Tigris & Euphrates ſe conjungunt. Regio, quæ infra hunc confluentem eſt, uſque ad ſinum Perſicum ab Alphergano, Abulfedâ & aliis Geographis Arabibus Irachia dicitur, à nomine Erech, quæ cum Babyloniâ aliiſque locis principium regni Nimrod fuit (Gen. 10: 10.) *ut verba ipſiſſima Moſis habent. Erech urbs erat, juxta communem Tigris & Euphratis alveum poſita. Babylonia ad Euphratem ſupra conjunctionem ſita erat. Duæ iſtæ urbes duabus provinciis nomen imponebant. Babylonia extendebat ſe uſque ad fluviorum confluentem: & provincia Erech ſeu Iracia ad communem duorum horum fluviorum jam conjunctorum alveum à dextrâ & ſiniſtrâ, uſque dum ſe in mare evolveret, prætendebatur. Tempus has res immutavit.* Quod ſi Geographia Moſis eam terram latiori nomine *Sinear*, ſtrictori verò terram *Erech* appellat: non poterit dici hortum ejus terræ fuiſſe conditum in terrâ Eden, ejuſque parte orientali: quis enim credat Moſen nomina regionum ita permiſcere voluiſſe?

5. Si *fluvius Arabum* fuit fluvius horti, ad utramque ripam poſiti, terra firma *Baſſoræ* fuit terra Eden, quæ fluvio adjacet ab Occidente: niſi enim hoc admittamus, Moſes fruſtra dixit hortum in Edene conſitum fuiſſe in ejus orientali parte, & fluvius, hortum irrigans, debuiſſet ex eâ prodire: aſt quomodò tunc infra Baſſoram invenias, ut author præclarus vult, *totam terram Havilæ*, quam circumluebat fluvius *Piſchon?* Baſſora enim à mari Perſico haud longè abeſt.

6. Nec placet, quod vir eruditus breviores illos alveos, per quos *fluvius Arabum* (qui jam erit fluvius horti) ſe in mare Perſicum exonerat, pro duobus capitali-

Digitized by Google


pitalibus fluviis *Gichon & Piſchon* habeat; qui tamen apud Moſen *totam terram Cuſch*, & *totam terram Havila* circumire dicuntur. Nonne illa phraſis *tota terra Havila* & *tota terra Cuſch* ſignificat longiorem fluviorum excurſum? & quidem quam latè patent ibi regiones, quas iſtæ gentes occupârunt? Si *Cuſch* notet Cuſiſtan ſeu Suſianam; an brevior ille alveus totum terræ iſtius latus abſolvit? id credo ne ipſe quidem vir Doctiſſimus agnoſcet?

§. 7. Fateor magnam factam eſſe per diluvium terrarum mutationem, & fortè etiam poſt diluvium ſinus Perſicus varias abſorpſit terræ partes, ſed hoc parùm promovet cauſam viri præſtantiſſimi: quia ſaltem id tenendum, quod Moſes terras definiat, prout à diſperſione gentium fuerunt occupatæ: nunc certum eſt *Suſianam* terminari ab auſtro mare Perſico, & Perſiæ provinciâ, nec non Caramaniâ: quod ſi *Suſiana* ſeu *Cuſiſtan* eſſet terra *Cuſch*, ut vult vir Doctiſſimus, *Gihon* in hâc interpretatione parvam tantum ejus portionem raderet.

Omitto jam monere, quod vir ill. ſpatium fluvii Arabum, inter Meſenem ſuperiorem & inferiorem intercedens, nimium protrahat, & neſcio quâ flexurâ inſigniat, mapam ſecutus Agathodæmonis. Longè aliter enim rem ſe habere comperti ſunt, qui regionem iſtam oculis ſuis luſtrarunt, ut in potamographiâ fluvii Arabum annotavimus. Inſpiciat vir eruditiſſimus mappam, quam de terrâ Baſſoræ & fluvio Atabum edidit *D. Thevenot*.

Hiſce perpenſis nos etiam per juſtos characteres à fluvio Arabum depulſos eſſe exiſtimo.

CAP.



&

Me-
dos
mi-
que
nti-
ſen-
aut
re-
eſt
idi-
rum
ter-
tam
iam
uod
ites
e in
lidè
lo-
ſum
ejus
Eu-
poſ-
ſe, quam in Meſopotamiâ inferiori, quæ intra Tigrin & Saöcoram excurrit, ipſa terræ inſpectio exigit: nu-

 ſpiam

pitalibu
apud N
vila ci
Havib
rum e
nes , c
ſiſtan ſ
iſtius l
ctiſſimu
§. 7
rum m
Perſicu
promo
nend un
ſione g
ſianam
vinciâ
ſtan eſ
bon in
nem ra
Om
rabum
cedens
ſigniat
liter en
iſtam
Arabus
pam ,
D. Th
Hiſ
vio A

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Paradiſi terreſtris ſitum in Meſopotamiâ intra Tekrit & Bagdad, nec non Tigrin & Saöcoram collocandum eſſe demonſtratur & defenditur.

§. 1. IN collocando Paradiſi terreſtris ſitu Meſopotamiæ limites non eſſe egrediendos non ſolum exiſtimamus; ſed intra terminos fluviorum Tigris & Saöcoræ, atque urbium Tekrit & Bagdad remanendum eſſe ſequentibus demonſtramus argumentis. 1. Ex remotione ſententiarum, quæ ſupra Meſopotamiam adſcendunt, aut infra eam ſubſidunt invictâ ratione ſequitur mediam regionem amplectendam eſſe. Poſtulati loco nobis eſt illa aſſertio, *intra Tigrin & Euphratem Deum condidiſſe hortum illum beatum, qui partem aquarum ſuarum cum Tigri & Euphrate communicavit.* Intra hos terminos autem cum *Meſopotamia* inveniatur, quæ totam interamnanam regionem adimplet, quo ad diſtantiam longitudinis: nihil reſtat demonſtrandum, quam quod reſpectu latitudinis locorum terra *Edenis* etiam limites Meſopotamiæ non excedat, ſive te in boream, ſive in auſtrum convertas: id quod cap. IX & X. tam ſolidè peractum aſſerimus, ut contradictioni nullus ſuperſit locus. Imò poſtulati ſecundi loco nobis eſt, *Paradiſum ibi locorum fuiſſe conditum, ubi pars aquarum ab ejus irrigatione delabentium, ſe commode in Tigris & Euphratis alveos exonerare potuit:* quod nullibi fieri poſſe, quam in Meſopotamiâ inferiori, quæ intra Tigrin & Saöcoram excurrit, ipſa terræ inſpectio exigit: nuſpiam

Digitized by Google

ſpiam enim liber relinquitur rivulis ex fluvio Paradiſi progrediente natis ad Tigrin & Euphratem aditus, quam ubi *Euphrates* relictis Chaboræ & Saöcoræ oſtiis ad Macepractam properat, & auſtralem Meſopotamiæ limitem facit; ſi enim oculos in occidentem vertas, aditum ad *Euphratem* à fluviis Saöcoræ & Chaboræ interceptum videas.

2. Terræ Edenis verus ſitus, cujus partem orientalem occupaſſe hortum Dei teſtis eſt Moſes, ſententiam noſtram quoque in ſolidum adſtruit: quam ſcriptura jubet à Gauzanitide, Charranitide, & Reſchiphæ regione diſtinguere, *Jeſ.* 37: 11-13. & pro diſtinctâ Meſopotamiæ parte agnoſcere. Pone, quod largiendum eſt, *Gauzanitidem* occupaſſe Meſopotamiæ partem ſuperiorem: *Charranitidem* eſſe Paddan Aram apud Moſen, quæ regionem inter Chaboram & Euphratem continet: *Reſchiphæ* oras inter Saöcoram & Chaboram ſe protendere: oportet ut *terra Eden* in orientem propè Tigrin ultra Chaboram & Saöcoram inveniatur: propè Tigrin inquam, quocum hortus Dei aquas ſuas communicabat.

3. Nec aliud patitur Geographia Moſaica, quæ exigit ut *terram Eden* haud quaquam confundamus cum terris aliis, in circumviciniâ nominatis, quales ſunt terra *Aſſur* Gen. 2: 14. *terra Elam Gen.* 14: 1. *terra Sinear Gen.* 10: 10. nec non *terra Cuſch* & *terra Havila Gen* 2: 11. 13. Imò evidenter ſatis collocat *Edenem* è regione terræ *Aſſur*, & ſupra *terram Cuſch & Havila*: ac proindè ſupra *Sinear*, quæ terræ Cuſch pars eſt dicenda, cui *Nimrod*, filius *Cuſch*, monarchæ titulo olim præfuit.

4. Rem abſolvit *fluvius Edenis*, Paradiſum pervadens, & ſeſe mediante diviſione ad quatuos nominatos

Digitized by Google

tos fluvios porrigens, quos ingreditur, & quibuſcum aquas ſuas commiſcet. Demonſtravimus autem ſuo loco *amnem Edenis* fluvium fuiſſe *in terrâ Edenis* natum, à quatuor reliquis diſtinctum, qui horto irrigato diviſus per brachiorum divortium fluvios Tigrin, Euphratem, Piſchonem & Gihonem juſtis locis ingrediebatur: ut proin loci oſtiorum, per quos ille ingreſſus fiat, neceſſarii infra hortum hunc beatum, agnoſcendi ſint: quod nullibi commodè invenias fieri potuiſſe, niſi oſtia illa ſupra Parapotamiam ſtatueris, atque adeò & hortum in ſuperiores regiones removeas: ubi Meſopotamiam ingredimur. Præprimis ſi *Diala* eſt *Piſchon*, & *Delas* ejus ramus; atque *Tigris* ad ejus confluentem nomen amittat ſuum: ſique amnis *Cobar* ſeu Piriſaboræ eſt *Gihon*, qui infra Babylonem cum Euphrate confluentem facit: quæ tamen in noſtrâ potamographiâ confirmavimus.

§. 2. Objicit quidem Cl. nuper *Morinus*, *nullum in Meſopotamiâ eſſe fluvium, cum tota ambientibus fluviis ſit circumdata: atque imprimis non eſſe unum in Meſopotamiâ fluvium, à quo cæteri procedant.* Verùm quod ad priorem aſſertionem attinet, illa præ nimiâ feſtinatione viro quoad viveret Doctiſſimo imprudenter excidit, ut vix ſit excuſabilis: quid enim notiùs eſt, quam plures in Meſopotamiâ inveniri fluvios, quorum nomina ſunt recenſita ſuo loco: *Chaboras & Saocoras* flumina notiſſima ſunt in Euphratem exeuntia. Quid memorem fluviorum oſtia in Tigrin aquas ſuas effundentia, quæ in deſcriptione Meſopotamiæ vidimus. Nos jam *oſtia fluvii Odeines* in ripâ Tigris occidentali aſſignavimus, quæ ad cauſam noſtram facere, & à regione Edenis nomen accepiſſe monuimus. Nec Meſopotamia inſula fuit, ſed peninſula, imò olim cum Parapotamiâ quoad cer-

Digitized by Google

certam partem terra continua. Nec inſulæ carent fluviis, ex mediterraneis ſæpè oriuntibus.

Quod ad alteram attinet aſſertionem, quæ *ne unum quidem in Meſopotamiâ eſſe fluvium, à quo cæteri procedant*, affirmat: ea ſanè poſtulat aliquid præcariò, quod textus Moſaicus haud exigit. Non enim dicit Moſes fluvium Paradiſi quatuor reliquis præbuiſſe originem, quaſi illi ab eo procederent: ſed divaricatione ramorum quatuor reliquos ſubingredi, & aquas ſuas cum illis communicare, ubi principales illos fluvios attingit. Hanc eſſe mentem dictorum apud Moſen jam pluribus alibi evicimus.

§. 3. Requirat fortè quis à nobis, ut demonſtremus regionem à nobis aſſignatam juſtâ pollere ubertate & fertilitate, quam poſtulat ſitus Paradiſi: præſertim cum regio illa dicatur quoad magnam partem propter ſterilitatem horrida. Allegant eum in finem *Plinium*, qui libr. 10: 10. hanc Meſopotamiæ plagam ſequentem in modum deſcribit. *Non aliis, quam Meſopotamiæ regioni fervidior æſtus exiſtit, adeò ut pleraque animalia, quæ in nudo ſolo deprehendit, extinguat. Tantus eſt vapor ſolis & cæli, quo cuncta velut igne torrentur. Fontes aquarum & rari, & incolentium fraude celantur. Ipſis uſus patet, ignotus eſt advenis.* Similia plura ex *Xenophonte*, *Polybio*, & *Ammiano* adduci poſſent: quæ omnia de mediterraneis Meſopotamiæ vera ſunt. Nec me latet ſupra regionem Tikrit, & infra Bagdad eſſe deſerta, cum Arabiæ deſertæ locis peſſimis comparanda: illud eſt, quod Singaræ vocatur deſertum; hoc Arabum. Verum hiſce non obſtantibus ex Itinerariis notiſſimum eſt terram inter utrumque deſertum à Bagdad ad Singaram eſſe lætiſſimam, & præ multis fertiliſſimis regionibus frugiferam. Neminem la-

Digitized by Google

latet circa *Bagdad* nihil, quod ad ſuavitatem regionis facit, deſiderari. Circa *Samorrham* fertiliſſimi fuerunt agri; quam ob rem Chaliphæ ſibi in animum induxerunt, eum in locum ſedem imperii aliquandò transferre, quales ſibi amœniſſimas proſpicere terras, ac fertilitate & ſanitate ætheris commendabiles ſolent: undè concludo aſſignatæ regioni nihil deëſſe, quod ad ſoli amœnitatem jure requiras. His adde ex præſenti rerum facie non facilè ſtatuendum eſſe de antiquâ & primigeniâ rerum felicitate; eo quod maledictione divinâ ac diluvio intervenientibus tota telluris facies magnam ſubierit mutationem: varias enim regiones nunc infrugiferas ex falſioris terræ aggeſtione talem labem contraxiſſe, quæ olim erant fertiliſſimæ, conſtat. Terra Edenis à voluptate nomen acquiſivit, quia talis Adami ætate fuit: nomenque illud ex antiquâ formâ retinuit. Quis dubitat terram primævam ante proparentum lapſum fuiſſe ubique locorum bonam? ſed quicquid habet nunc pravitatis, id ei ex juſto Dei superveniſſe judicio. Quid ſi igitur Deus illi, aut ejus viciniæ, in memoriam primæ tranſgreſſionis ſtigma indignationis ſuæ inurere voluerit? tale quid enim etiam Sodomæ regioni, olim gratiſſimæ, ab iræ ſuæ in regiones iſtas effuſione, eveniſſe palam eſt. Quare illa objectio nos nihil movet, ut à ſimplicitate textus Moſaici recedamus.

§ 4. Si quis petat, ut duorum amnium *Piſchonis* & *Gihonis* oſtendamus origines: ille accipiat, quod *Phiſa* (ſeu Piſchon) nobis ſit *Diala*: fluvius ex Aſſyriâ procurrens, cujus origo ponitur in montanis Mediam ab Aſſyriâ dirimentibus, quique inter Bagdad & Seleuciam Tigrin recipit, undè pergens emiſſo ex diviſione alveo totam Meſenem ſuperiorem ambit, donec infra Apameam confluentem faciat, ubi Diala ejuſque ra-

 mus

Digitized by Google

mus Delas rurſus ad ſe mutuo redeunt, ac *Paſitigrin* conſtituunt, quem hodiè fluvium Arabum appellant. *Gihon* autem, qui nobis eſt fluvius *Cobar*, Piriſaboræ latus orientale claudens, olim ex Meſopotamiâ aquas accepiſſe ſuas neceſſe eſt: quia ante foſſam Cobaris, (quæ *Naärmalca* audit, ſeu fluvius regius) cum Euphrate nullum habuit commercium, niſi ubi infra *Babylonem* apud *ſepulchrum Ezechielis* cum eo confluentem facit. Sublato igitur amne regio, ubi à Maſſice verſus Seleuciam ſe porrigit, neceſſè eſt, ut aquæ ex pluviis natæ (poſito Parapotamiam ibi cum Meſopotamiâ tunc feciſſe continentem) ex Meſopotamiâ inferiori alveum ſibi fecerint, aut alveos, per quos verſus inferiora in ſinum abierint: Eſt enim de naturâ aquarum defluere, & in oras humiliores delabi, poſtquam pluviæ cœlitùs delapſæ ſupra margines exſurgunt. Sufficit hìc alveum occurrere, qui aquas ſuas per Pallacopam ad paludes Borſippenas deducit, & ante *Pallacopæ* effoſſionem per antiquum Euphratis oſtium in ſinum Perſicum emiſerit; qui ante fluvii regii aperturam neceſſariò aquas ſuas deſuper (id eſt ex Meſopotamiâ) recepiſſe dicendus eſt.

Regerent viri Docti, alveum illum fortè etiam Regum curâ & arte ad aquarum derivationem, aut terræ (aggeribus adverſus aquarum inundationes muniendæ) defenſionem egeſtum fuiſſe: & varias excavationes ex materiâ egeſtâ, & aggeribus conficiundis impenſâ ortum accepiſſe. Verum hoc ex merâ ſuſpicione, non verò ex ullo auctore viri optimi adferunt; de Meſene ſuperiori quidem lego aggeribus munitam fuiſſe inſulam: non de cæteris. Saltem *Ancobaritis* regio circa *Piriſaboram* rupea & elatior eſt, ubi teſte *Ammiano* in Euphratis fluenta projectæ cautes eminentiùs exſurgebant.

Nec

Digitized by Google

Nec alveus inter Ancobaritidem ac terram palmiferam aggeribus munitus extitit tempore Juliani, quia XIV MP. deflexus à Piriſaborâ in Orientem, ex ſublatis cataractis undas latè evagantes vidit, humumque latè ſtagnantem. Alveum etiam adeò invenit amplum, ut *conſtratis ponticulis multis ex utribus & coriaceis navibus, itemque confectis palmarum trabibus, exercitum non ſine difficultate traduxerit.* Ex iſtis alvei notis facilè eruimus non arte factam fuiſſe foſſam, ſed fluvium naturalem, quondam Euphrate humiliorem, qui poſt confectum fluvium regium cataractis ab eo arceri debuit, cum ante fluvii regii ortum cautibus & rupibus ab Euphrate disjungeretur.

§. 5. Erunt fortè, qui deſiderabunt, ut indicemus, *ubi ramificationes fluvii Edenis ingreſſæ fuerint hos fluvios*, & oſtia ſua cum iis juncta habuerint? Verum, qui illud nunc poſtulat, antiquam rerum faciem reſtituat oportet. Certum eſt, eam regionem nondum hoc oculo fuiſſe exploratam, nec omnes torrentes, rivuloſque minores, Meſopotamiæ auſtralis deſertum trajicientes, accuratè fuiſſe annotatos, per quos aquæ ſuperfluæ alíorſum excurrunt, quandò imbres copioſiores in terram effunduntur, & fluvii exuberantiori aquarum copiâ turgent.

Nec omittendum egeſtionem humi, ad fluvii regii effoſſionem ejecti, magnam peperiſſe fortè torrentium diverſionem, quà aut obſtructi ſunt, aut aliis derivationibus coäcti aquas ſuas aliorſum deferre: finis enim conficiendæ illius foſſæ non fuit alius, quam nimiam aquæ copiam à Parapotamiâ partim avertere, partim dividere, ne tractus Babyloniæ inundationes pateretur, quandò Euphrates turgebat aquis. Quid ergò mirum ſi oſtía iſtorum brachiorum Euphratem & amnem Cobar attin-

Digitized by Google

gentia, fuerint occluſa, & aquæ iſtorum torrentium coactæ in Tigrin & Dialam, aut Delam ſe convertere.

§. 6. Hiſce ita aſſertis concludimus locum in Meſopotamiâ deſignatum ſolum eſſe, qui characteribus Moſaicis undiquaque faciat ſatis: neque poſthâc ampliùs eſſe dubitandum, quin terra Eden, ejuſque hortus, quondam fuerit intra Saöcoram & Tigrin, infra deſertum Singaræ & ſupra deſertum Arabum, quod in Meſopotamiâ inter Aänam & Bagdad excurrit. Proin liceret hìc finem huic noſtræ diſſertioni imponere; niſi fortè conduceret appendicis loco ſimplicem textus Moſaici expoſitionem ſubjungere; quò magis conſtet hanc noſtram expoſitionem nullibi à proprietate & ſimplicitate textus vel hilum diſcedere: atque per eam rei applicationem tantoperè verborum exhauriri poteſtatem, ut dicendum ſit, ſi Moſes hæc intenderit, eum non potuiſſe clariùs hanc mentem exponere, quàm datâ ſuâ rei deſcriptione fecit. Quare ad iſtam literalem textus Moſaici expoſitionem nunc fiat tranſitus.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX

Expoſitionem literalem textus MOSAICI Gen. 2: 8-15. *exhibens.*

Verſ. 8. *Etiam JEHOVAH Deus plantavit hortum in Eden ab oriente, & poſuit iſthic hominem, quem formaverat.*

§. 1. DEI Creatoris, qui ſæpius hoc ipſo in capite יהוה אלהים audit, ſingulare hoc opus notatur. *Religionis Patriarcharum* apex eſt ideam Deitatis, omnibus hominibus naturaliter inſitam, huic tantummodò applicare, qui inter illos nomine ſuo proprio JEHOVAH nominari conſueverat: quæ fidei integrioris erat profeſſio, gentibus, gloriam Deitatis & creationis à vero ſuo ſubjecto alienantibus, & ad alium transferentibus, oppoſita. Hunc unicum & ſolum non tantum agnoſcebant אלהים *Deum*, ipſis verendum, ſed & honorabant ut omnis veri boni fontem, hominem ſub exſecrationis adſtipulatione in fœdus recipientem. Hic unicè celebratur, ut *horti conditor*, qui homini recto ex peculiari benevolentiæ ſtudio atque conſilio hoc pignore amicitiam ſuam obſignare cupiens, eundem omnibus ad lætitiam facientibus inſtruxit, atque privilegio familiaris conſuetudinis cum homine ſervandæ donavit.

§. 2. Effectus divinæ hujus benevolentiæ eſt *hortus:*

Digitized by Google

גן Hebræis dicitur *hortus*, ſeu locus quilibet, cum ad arboretum conſtituendum, *Jeſ.* 5: 2. tum ad frutices aromaticas colendas. *Cant.* 4: 16. 5: 1. 6: 2. ſive etiam ad olerum genituram 1 *Reg.* 21: 2. macerie ſuâ circumſeptus, ſive alio modo clauſus & munitus; ut ab omni læſione tutum ſit, quicquid ibi in uſum aut voluptatem excolitur. Ab hâc protectione & defenſione, (quæ in etymo vocis notanda) *hortus* Hebræis גן appellatur, à radice גנן, quæ *Jeſ.* 37: 35. *protegere & defendere* ſignificat: eo quod loci, plantis & arboribus conſiti, ſepimentis ſuis cingi, & iſthoc munimi-num genere adverſus ferarum inſultus defendi ſoleant. Hic *hortus*, dum ut ſingulare Dei munus celebratur, concipi debet, ut in eo genere omnibus aliis locis excultis longè præcellentior, atque adeò juſtum divinæ benevolentiæ exhibens ſpecimen. Sanè *hortus* eſt, in quo veræ innoxiæque omnis generis reperiuntur voluptates; ubi herbarum fragantiſſimarum odore nares, colore oculi, ſapore ora recreantur: nec non modulatiſſimus avium concentus inenarrabiles auribus delicias concinnat. Ut non abs re de feliciori vitâ *Juſtus Lipſius* Cent. 1. Epiſt. 9. cecinerit.

Vitam ſi liceat mihi
Formare arbitriis meis:
Non faſces cupiam aut opes,
Non clarus niveis equis
Captiva agmina traxerim.
In ſolis habitem locis,
HORTOS poſſideam atque agros;
Illic ad ſtrepitus aquæ
Muſarum ſtudiis fruar.

Hinc

Hinc etiam rex *Salomon*, enumerans ea, quibus maximoperè fuerat delectatus, ait, *Eccl.* 2: 5. *Feci mihi hortos & paradiſos, & conſevi eos omnis generis arboribus.*

§. 3. Artificium hujus operis, & productionis modus indicatur à Moſe, dum dicit, *etiam JEHOVAH Deus plantavit hortum.* Hebr. ויטע, à radice נטע *plantavit.* Confer quoad phraſin *Jer.* 29: 5. 8. *Amoſ.* 9: 14. Quæ tamen non ita ſunt concipienda, ac ſi Deus agricolam ſeu colonum egerit, qui manuum operâ plantas ex uno ſolo in aliud transferendo, ſingulas ſucceſſivè locis ſuis inſerit: quippe qui creatorem agens ſolo verbi juſſu tantum id egerit, ut arbores, fruges, atque olera *ordine*, *ſelectu & numero* è terrâ prodierint. Atque ita idem effectum eſt, quod coloni mediante ſuâ inſitione & plantatione ſolent: ut in horto iſto mirari licuerit

1. Plantarum, fruticum, & arborum *ſelectum*; quippè ea intra ſuum ambitum comprehendente, quæ cum ad vitæ perpetuandæ atque immortalis ſuſtentationem, tum ad mentis ex ſenſuum exteriorum affectione oblectamentum erant utiliſſima.

2. Dein quoque germinum juſtum *ordinem*; non enim ea omnia, ut ſpontè creſcentia & in deſertis propullulantia ſolent, promiſcuè ſine menſurâ & ſerie ſpectabantur repoſita; verum ex ratione, & certâ quâdam diſpoſitionis proportione, juſtam inter ſe diſtantiam, & ſitum poſtulante, ſuis locis erant conſtituta: undè profluxit, quod hinc vitæ arborem, illinc arborem prohibitam in horti iſtius medio videre licuerit. Ut proin verbum *plantandi* hic effectum ſignificet, atque operis artificium commendet, non verò affectum, & externum laborem. Significatio præteriti (quam *vau converſi-*

Digitized by Google

verſivum verbis futuri temporis infert) hìc anſam dedit inquiſitioni, quandò ille hortus fuerit ita exornatus? Ridendos ſe præbent, qui ante conditum mundum fuiſſe productum hunc hortum ex voce מקדם (quam temporali ſignificatione accipiunt) elicere conantur. Sanè terra ante remotas ab ejus ſuperficie aquas erat תהו ובהו, neque apta ad hunc ornatum recipiendum; undè plurimi tertiò demum creationis die proveniſſe volunt: & alii ſeriùs, tanquam opus conſpicuum, & cum ortu primi hominis natum.

§. 4. *Locus*, qui cultiſſimum hunc hortum recepit, עדן *Eden* appellatur; dicitur enim *Deus plantaſſe hortum* בעדן *in Eden*. Scio equidem quoſdam tranſtuliſſe *hortum deliciarum*, quaſi voces in ſtatu conſtructo eſſent poſitæ; quibus vox עדן eſt appellativa, ut גן עדן *Ezech.* 36: 35. quod τοις Lxx rectè vertitur κῆπος τρυφῆς, id eſt, *hortus voluptatis*. Verum reclamat hìc præpoſitio præfixa, & multa alia, ut proin textui Moſis magis conſentanea dixerint, qui *Eden* terræ alicujus, à voluptate denominatæ, nomen proprium eſſe affirmarunt: prout etiam ut nomen proprium loci occurrit 2 *Reg.* 19: 12. *Ezech.* 28: 13. Quod etiam ſimplicitas verborum ſuadet; quaſi Moſes dixerit: *Deum* in eâ telluris ſeu orbis habitabilis parte *hortum plantaſſe*, quæ ab amœnitate multiſque deliciis, quibus referta erat, *Eden* quondam appellata fuit, atque etiamnum notiſſimo hoc inter homines nomine appellatur. Sub iſto enim nomine terram iſtam adhuc Moſis ætate fuiſſe cognitam vel indè patet, quod iſta regionis iſtius appellatio, quæ *Carrhis* vicinior eſt, ad monarchiæ Babylonicæ, ſub Nebucadnezare prævalentis, perduravit tempora, prout ex allegato *Ezechiëlis* teſtimonio ſatis con-

Digitized by Google

conſtat: ut *Eden* nobis Meſopotamiæ videatur pars ſtatuenda.

§. 5. Addit porrò, quod ad arctiorem loci definitionem facit, *hortum illum in Edene plantatum fuiſſe* מקדם *ab oriente.* Non diſſimulandum illud מקדם quandoquidem temporis induere ſignificationem, atque tum verti ab Interpretibus *ab ante*, ſeu *ab olim*, ut videre eſt *Mich.* 5: 1. & alibi. Quod R. Eliezer in Capitulis patrum cap. 3. arripiens, Paradiſum dixit ante mundi initium, cum necdum hoc univerſum creatum erat, extitiſſe: quem errorem etiam multos Judæorum Doctores erraſſe jam lippis & tonſoribus notum. Verum hunc errorem ad §. 4. modò confutavimus. Frequentiſſima quoque eſt loci ſignificatio, atque vertitur *ab oriente.* Conf. *Gen.* 3: 25. *Jeſ.* 9: 11. &c. Res ipſa autem flagitat, ut vox præſenti in loco ſenſum localem exerceat, ubi Moſes in deſcriptione loci, quo Deus Paradiſum condiderat, verſatur, eum proximis characteribus definiturus. Quod eo magis obtinebit, cum quis animadvertet acceptionem temporalem contra analogiam fidei pugnare, quæ credere jubet æternum eſſe, quicquid ante mundi creationem extitit; quandò præter Deum nihil fuit. Interim diſſentiunt adhuc Interpretes circa terminum relationis: cum enim abſolutè loquendo nullus in mundo locus magis ſit ad Orientem, quam alius: oportet ut relativè dictum id cenſeamus, cum certo reſpectu ad alium cui ſol ſeriùs exoritur. Quidam igitur hoc dictum volunt reſpectu iſtius loci, in quo Moſes fuit, cum illa ſcriberet ederetque: qui fuit partim deſertum, in quo oberravit Moſes cum populo, partim regio Transjordanina, in quâ mortem obiit. Verum alii potiùs, quibus & noſtrum adjicimus calculum, relationem fieri ad terram *Eden*, proximè denomina-

minatam ſtatuunt, ut hortus ille Dei dicatur non ſolum *in terrâ Eden* plantatus, verum etiam orientalem ejuſdem terræ partem aliquam occupaſſe, portionem Edenis haud parvam ab occidente relinquens. Sanè nullibi in contextu mentio facta fuit regionis, in quâ Moſes librum ſuum conſcripſit, quod in caſu relationis requiritur; ſed cum *terrâ Eden* proximè cohæret. Adde, quod nemo eo tempore ignoraverit, quod *Eden* reſpectu loci, quo *Moſes* hanc hiſtoriam conſcripſit, *in oriente* fuerit, præſertim cum quis attendat Euphratem inter & Tigrin poſtmodum collocari: ſed cum Moſes accurati Geographi partes adimplere voluerit, maximè ad rem faciebat, ut ſitus Paradiſi notior fieret, oſtendere in quâ regionis Edenis parte Paradiſus fuerit: quod egregiè præſtitit, cum in ejus parte orientali extitiſſe affirmat. Rectè *Huetius*, *Abrincenſis Epiſcopus. Magiſne neceſſarium erat ſcire, in quot brachia fluvius Paradiſum alluens ſe divideret, & in quas regiones ſe iſta extenderent, & quæ mercimonia ex iſtis regionibus exportarentur; quam ſcire, in quâ parte provinciæ, cui Auctores nonnulli magnam ſatis amplitudinem attribuunt, amœniſſimus hic hortus ſitus eſſet? Dignumne eſſet boni hiſtorici diligentiâ, expugnationem Neapolis Malvaſiæ, à Venetis Turcis paulò ante ereptæ, deſcribere cupientis, dicere urbem hanc ad Moream pertinere? & numquid non addendum erat, ipſam in parte orientali hujus provinciæ ſitam eſſe?*

§. 6. Reſtat, ut videamus, in cujus uſum iſte hortus ita fuerit adornatus, quod *Moſes* exponens, ait, *& poſuit iſthic hominem, quem formaverat.* Hominis formationem, ex terræ pulvere factam, & verſ. 7. præcedente deſcriptam, hic eo repetit Moſes conſilio, ut teneamus eundem illum hominem, quem commu-

nem

nem humani generis ſtirpem omnes agnoſcimus, horti illius amœniſſimi factum fuiſſe colonum, neque præter hunc alios creatos eſſe Paradiſi colonos aut hoſpites. Concipitur autem ille homo, licet pulveri ſuum debeat ortum, nihilominus ad tantum dignitatis faſtigium evectus, ut receptus fuerit loco feliciſſimo, in ejus gratiam omnibus deliciis affatim inſtructo: Deus enim, nullius creaturæ indigus, ſibique ſufficiens, *hortum* illum non ſibi ſervavit, quippe qui fructibus arborum, terræque proventibus non veſcitur: nec *Angelis* dedit, ſine cibo & potu vitam merè ſpiritualem viventibus; ſed homini, corpore animali veſtito, fructibuſque terræ nutriendo. Emphaſin jure merito agnoſcunt Interpretes in verbo *ponere*, quod *Deo* tribuitur; connotat enim illud verbum *Adamum* jam ante, atque alio in loco à Paradiſo diſtincto, formatum, poſtmodum Deo introductore in hunc hortum Dei fuiſſe tranſlatum, atque ſingulari ſolennitate tanquam in receptaculum divini favoris intromiſſum. In quâ beneficentiſſimi creatoris introductione facile erat animadvertere, ut in ſui gratiam ſplendidum hoc domicilium tantâ rerum affluentiâ adornaverat, inque amicitiæ nondum exhauſtæ arrhabonem hoc ipſum ſibi legitimè uſurpandum conceſſerat: quippe ſpecimen exuberantioris erga hominem benevolentiæ, ſpem faciens ulterioris promotionis, ſi hoc amicitiæ ſpecimine ad creatoris gloriam rite uteretur, ac ſe dignum munifico domino ſervum ſiſteret homo.

§. 7. Si verò quis roget, ad quid bonorum iſtorum *ſuavitas & exuberantia* ſpectarint? cum ſolum *corporalia* fuerint, corpus hoc pulvureum foventia, ad mentem ejuſque perfectionem haud quaquam facientia? Reſpondeo, mentem corpori ita fuiſſe conjunctam, ut

Digitized by Google

utriuſque coöperatio vitam conſtituat humanam: hinc rerum *ſuavitas* ad gratam pacatamque mentis in corpore inhabitationem faciens id præſtitit, ut organo hoc aptiſſimo alacriter ſine ullâ moleſtiâ & perturbatione uti menti licuerit: rerum verò *affluentia atque exuberantia* eam conſtituit curis rerum ad neceſſitatem vitæ animalis fovendæ requiſitarum, animumque alias à dignioribus contemplationibus diſtrahentibus ſolutam, ut ſuo erga Deum officio vacare poſſit: lumine enim naturæ cognitum eſt, mentem, hoc corporeo organo longè digniorem & ſublimiorem, haud decere, ut ſuſpenſa in blanditiarum corporalium perceptionibus & affectionibus tantummodo hæreat; ſed ut iis obiter utens, *alacritatem* (quâ ad proprium ſuum opus ſe in altum promptiùs extollere queat) ſine cunctatione percipiat. Dumque ſibi non multum negotii quoad corporis curam relictum videbat homo, à moleſto labore ſolutus, intelligebat facilè hoc negotium ſibi relictum, ut in contemplatione Dei ejuſque ſufficientiæ eſſet aſſiduus, & inſitum menti appetitum, qui ſolâ fruitione amoris Dei, ut re ſuaviſſimâ delinitur, perpetuo ad Deum amicum porrigeret. Ita igitur vidit ſe in horto conſtitutum, feliciſſimam obtinuiſſe in ſtatu explorationis conditionem, dum rebus iſtis commodiſſimè & cum nobiliſſimo dominio potens uti, ei feliciùs licuerit Deo amico ſuo frui & in ejus amore exhilarari.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 9. *Fecitque JEHOVAH Deus progerminare ex hac terrâ qualemcunque arborem pulchram viſu, & bonam cibo, & arborem vitæ in medio horti, & arborem ſcientiæ boni & mali.*

§. 1. Plantationem divinam ſequitur felicior germinum *progerminatio.* Verbum הצמיח *germinare* ſignificat, quod fieri videmus, quando quælibet arbor ramos, frondes, gemmas & fructus ſuos feliciter protrudit. Viſæ ſunt proindè *ex hâc terrâ*, in uberiori illo ſolo plantatæ arbores luxuriantes & feliciter excreſcentes, gemmis, floribus, atque fructibus faciundis præter modum proſperæ. Verbum in *Hiphil* hic connotat illud *ſubſidium*, quod divina Creatoris cura atque providentia, ut omnia tam proſperè procederent, attulit. Eſt ſanè in re ruſticâ præprimis ſpectanda *benedictio divina*, à quâ unicè dependet lætior illa ſeges: undè gentibus æque ac Judæis feſtiva fuerint cujuſcunque meſſis tempora, à quo congeſtis frugibus horrea & fructibus promptuaria impleverant: iniquum cenſentes ſurſum non attollere oculos, largamque Dei manum non exoſculari, cujus munificentia omnimodam rerum affluentiam quotannis renovat.

§. 2. Illud כל-עץ verto *qualemcunque arborem:* ut cujuſvis ſpeciei arbores, modo in pretio eſſent, in hoc arboretum receptæ fuerint, votoque coloni reſponderint. Negare non auſim etiam arbores fructus non proferentes intra horti cancellos juſtis ſedibus fuiſſe inſertas, modo uſu fuerint deſiderabiles. Neque neceſſe

Digitized by Google

erat, ut quælibet arbor ad victum præbendum conduxerit: licet enim Moſes conjungat *arborem viſu pulchram & cibo gratam:* facile tamen colligimus hæc non conjunctim, ſed diviſim eſſe intelligenda, ut utriuſque ſpeciei arbores in Paradiſo extiterint: quis enim credat *ficum* ex horto iſto excluſam; eo quod ejus corpus minus gratum oculo præbeat ſpectaculum? Neque eſt, quod quis divinam conceſſionem, quâ dixit; *ex quâcunque arbore horti hujus comedes*, objiciat: quid enim aliud ſibi volunt iſta verba, quam conceſſam eſſe homini facultatem de qualicunque arbore fructus modo edules ſine differentiâ in cibum aſſumendi, quandocunque id luberet, excepto unius arboris fructu prohibito.

§. 3. *Arborem pulchram viſu* vocat, quæ præ aliis comæ ambitu, aut florum venuſtate præcellit. Afficitur ſanè à figuris, coloribus, concinnâque partium proportione viſus humanus maximoperè: cumque foliorum cæſuris, frondium late ſe pandentibus ramificationibus, atque multum variatis florum picturis in variegatæ Dei ſapientiæ admirationem rapiatur, ſæpiuſculè mens humana, quippe quæ iis excitatur atque impellitur ad artem Dei in hoc divinæ manûs artificio expendendam; jure merito hortus commendatur ab iſto arborum ſelectu, qui luſtrantium oculos demûlcens, gratiſſimum viſui præbet ſpectaculum; quo homo rectus & ad Dei imaginem conditus ſanè ad creatoris gloriam uti novit apprimè.

§. 4. Quandò Moſes aliam quoque adjicit arborum ſpeciem, quam dixit eodem in loco *bonam cibo*; idem dixit, ac *ad veſcendum ſuavem:* quales cujuſcunque ordinis etiam hortus ille complectabatur: arbores inquam, quarum fructus vario ſuo, eoque gratiſſimo ſapore palatum etiam variis modis demulcere & delinire pote-

poterant. Qui vero juxta cum aliis ſenſibus homini *guſtum* dedit, eumque palato & gulæ affixit; ille ipſe eſt, qui hos rectæ hominis rationi atque imperio ſubjecerat, ut nihil de iis ſtatui juſſerit, niſi quod prudens ratio exigit. Qualis autem creaturarum ad victum utilium uſus ſit legitimus? tradidit Paulus 1 *Tim.* 4: 3. 4.

§. 5. In ſpecie Moſes *arborem vitæ* nominat, ac eandem *in medio horti* fuiſſe poſitam indicat. 1. *Cujus autem ſpeciei fuerit illa arbor vitæ?* Incaſſum inquiritur; quoniam nullus apud Moſen comparet character, ex quo res iſta definiri queat. Præprimis quia ea arboris ſpecies unà cum Paradiſo extincta videatur; Homo enim ex horto depulſus, eam ob cauſam excludebatur, ne manum ſuam porrigat ac de iſtâ arbore comedat: quare ejuſdem ſpeciei alia extra hortum non extitit. Si enim alibi daretur ad arborem ejuſdem ſpeciei aditus, ejectio ex horto finem ejectionis non abſolveret. Undè etiam eam in aliud ſolum transferre haud licuit. 2. *Una verò in individuo fuerit arbor vitæ in horto? an plures?* problema eſt, quod ventilatur inter Theologos. Qui priorem amplectuntur ſententiam, unicam numero arborem vitæ in horto Dei creatam fuiſſe contendentes, urgent, unicam fuiſſe ſcopo creatoris ſufficientem, quoniam paucus ab eo ſumendus erat cibus: quippe quæ non ut cæteræ arbores in cibum quotidianum conceſſa fuerat, ſed in uſum extraordinarium. Addunt etiam duos tantummodò homines horti iſtius in principio colonos fuiſſe: auctoque poſtmodum poſterorum numero, etiam arborem illam facilè propagari potuiſſe, ut præter neceſſitatem plures ſtatui concedendum ſit. Qui tamen pluralitatem individuorum hìc agnoſcunt, monent non tantum vocem עץ ſæpè collectivam exercere ſignificationem, prout etiam *Gen.* 3:

2.

2. fieri videas: ſed in viſionibus ſymbolicis *arboretum vitæ* repræſentari videas, utramque fluvii ripam occupans, *Ezech.* 47:7. *Apoc.* 22:2. quod ſine individuorum pluralitate concipi nequit. Nec perremptoriam ajunt rationem, à ſufficientiâ unius individui ſumptam: quia res in Paradiſo non fuerunt coarctatæ ad regulam neceſſitatis, ſed congeſtæ cum omni affluentiâ: Deo uberrimæ ſuæ largitatis exemplum dare volente. Hinc luculentiſſimum illud Germaniæ quondam ſidus *D. Mart. Lutherus* in ſuo ad geneſin commentario ſcribit, *ſibi non valdè abſurdum videri, ut intelligamus arborem vitæ certum ſpatium in medio Paradiſi & ceu nemus quoddam occupaſſe, in quo poſitæ plures arbores ejuſdem ſpeciei, arbor vitæ dictæ ſint.* Hoc lingua vernacula eleganter exprimeret vertendo, **het geboomte des levens.** 3. Cur verò *de vitâ* nomen acceperit? majoris momenti quæſtio eſt, nec eadem eſt omnium ſententia. Nuperus commentator *arborem valetudinis* verti poſſe autumat, addens, *eritque arbor, quâ vita & valetudo conſervari poſſunt: & fortè etiam, cujus fructus ad tentatam alicujus noxii alimenti uſu valetudinem recuperandam conducunt.* Ita ejus fructum ἀλεξιτήριον fuiſſe & antidotum adverſus quodlibet venenum continuiſſe exiſtimat. Imò ad cap. 3:22. vim ejus medicam in eo collocat, quod *fructus interdicti venenatam virtutem irritam facere potuiſſet.* Nos in Paradiſo plantas arboresve fuiſſe venenato ſucco turgentes haud admittimus, eo quod omnes arbores frugiferæ dicantur *ad victum bonæ.* Quicquid ſit, nonne imperium homini in omnes illas conceſſum, cum ſcientiâ uſus rerum ſubjectarum conjunctum fuit? quis quæſo credat Adamum adeò naturæ rerum ipſi ad uſum conceſſarum ignarum fuiſſe, ut quæ ei in alimoniam fuerant data non cognoverit:
aut

Digitized by Google

aut ſi cognovit? quid periculi illi à venenis, homini in alimoniam non conceſſis, imminuit? Notum eſt ex ipſo Moſe *Gen.* 3: 22. *vitam*, quæ arbori hoc nomen impoſuit, fuiſſe *vitam* לעולם *in æternum* perpetuandam, quod non eſſe in poteſtate ſucci alicujus terreſtris exiſtimamus. Saltem immortalitatem glorioſæ ἀφθαρσίας (quæ corporis pulvurei in ſpirituale poſtulat mutationem: prout corpora beatorum à reſurrectione dicuntur, nec cibo potuve reficienda, nec ullo caſus interventu corruptioni obnoxia) majoris efficaciæ eſſe, quàm ut quis id à fructus alicujus, ex communi humo excreſcentis, poteſtate exſpectet, conſtat. Si quis verò eum locum ad *immortalitatem perpetuandæ ſemper ſanitatis* in corpore pulvureo pertrahat; quæ hominem mori non patiatur: is parùm attendit non fuiſſe hominem in eo ſtatu pulvurei corporis manſurum, niſi ad tempus: æternitatis rationem aliam eſſe, vitæ cœleſti alligatam. Si *vitæ animalis conſervationem* ſuſpenſam velint ab arbore vitæ uſque ad longæviorem terminum: id præſtitiſſet non ut *alimonia*, ad quam cætera erant ordinata, quia tunc nihil ei peculiare fuiſſet inſitum. Quod ſi dicas Medicamenti rationem habuiſſe, panacææ inſtar, & potentiſſimum contra venenum antidotum præbuiſſe, aut ſaltem ſenectutis ſubrepentis repagulum. Repono, hominem ita fuiſſe conditum, ut medicinâ nunquam indiguiſſet: nullo moriendi periculo expoſitus, & propter peccatum demum morti obnoxius factus. *Rom.* 8: 10. Nec creatura ulla ante maledictionem lapſum ſecutam ulli vanitati fuit ſubjecta, *Rom.* 8: 20. Nondum erat aër inſalubris, non cibus potuſve noxius: omnia ſana erant ſano & integro parenti.

Miramur ſanè viros Doctiſſimos *vitæ animalis perpetuitatem* à ſolâ ſucci alicujus vegetabilis ſuſpendere pu-

Digitized by Google

ritate: quaſi mors poſt lapſum non niſi à ſuccis corporis animalis veneno corrumpendis aut intemperie oriretur. Quis neſcit vitam hanc animalem non ſolùm inediâ aut humidi intemperie exſtingui, verùm etiam variis caſibus perimi, dum aliis graviori ponderum mole irruente hoc organum quandoquidem conteritur, aliis prolapſu in aquas halitus vitæ ſuffocatur, aliis ignis proruptione corporis hujus textura diſſolvitur. Hi ab irruentibus feris dilaniantur, alii à vacillante ferro, ex ſecuri excuſſo, ad mortem ſauciantur: à quibus caſibus eſus de fructu hujus arboris hominem integrum non defendiſſet, ſed amica homini providentia tales caſus clementer avertens. Vis alexiteria non huic arbori tantum, ſed pluribus rebus, docente Medicinâ, à Deo inſita fuit; ut hæc virtus ei haud quaquam fuerit propria, ſed pluribus rebus communis. Nec concedimus heterogeneas alimoniæ particulas naturalem hominis integri vigorem infringere, aut per intemperiei introductionem labefactare potuiſſe, ut eam ob rationem illi aliquandò ad medicinam confugiendum foret: conſiſtit enim creaturarum in alimoniam conceſſarum *bonitas* in proportione ad vires humanas: quod particulæ earum alibiles & ad conformationem aptæ ſe facilè patiantur à reliquis ſeparari, atque heterogeneæ ad ſecretionem præparari, quò per vaſa excretoria expellantur. Proſpexit ergò Deus inediæ alimentorum ubertate, intemperiei cibi bonitate atque aëris ſalubritate, nec non infortuniis ſuâ providentiâ. Corpus homini integro dedit tot fermentis ad alimoniæ digeſtionem, ac tot excretoriis ad heterogeneorum expulſionem inſtructum, ut ex quolibet cibo apta elici nutrimenta ſine ullo intemperiei contrahendæ periculo potuerint. Ad juſtum partium fluidarum moderamen & liberam ſuccorum circulationem coöperabatur

tur aër ſalubris, nitro-aëreas ſuas particulas ſanguini ad juſtum temperamentum adjiciens, tranſpirationem inſenſibilem ex æquo moderans, circulationemque humorum (ductus ſuos permeantium) in æquilibrio conſiſtentiæ conſervans. Quibus poſitis, haud dubitandum heterogenea, cum ſanguinis mixturâ laxiùs cohærentia ſine ullâ moleſtiâ ſecerni, nutritioni inſervientia facilè exaltari & purificari, atque ita præparata partibus ſolidis agglutinari, quæque ſpirituum animalium generationi à creatore deſtinata erant, ſe ſolutis vinculis ſponte explicare. Nullus proin in corpore adeò feliciter temperato, & benè ſano medicamentis relinquitur locus. Adde, quod intemperies reſtauranda morbus ſit, & mortis pars, ſeu principium: à quibus immunis erat homo integer. Morbus æque ac mors pœna peccati cum ſit, homini recto, quamdiu in officio manebat, non erat metuendus. Nos rem feliciùs expediri cenſemus, ſi in verbo חיה agnoſcamus ſignificationem *lætitiæ*, in uſu vitæ ſe exſerentis: ut *vivere* ſit lætiſſimam mentis cum corpore conſuetudinem experiri; quæ ſignificatio obtinet *Gen.* 45: 27. *Pſal.* 22: 27. Dicamus ergò arboris vitæ fructum peculiarem in ſe continuiſſe vim hominem exhilarandi, eumque ſpirituum animalium motum, qui ad lætitiam excitandam facit, promovendi: in cujus rei perceptione homini jucundioris & hilarioris vitæ ſpem in mentem revocare poterat: ad quam fovendam per modum ſymboli & ſacramenti conceſſa fuit arbor iſta; vita enim ſupercœleſtis, in quam hæc animalis (ſi in ſanctitate homo perſtitiſſet) terminari debuiſſet, *in ſatietate gaudiorum, & amœnitate à facie Dei* ponitur, *Pſal.* 16: 11.

Nec obſtat dictum *Gen.* 3: 22. *Igitur ne extendat manum ſuam, & accipiat etiam de arbore vitæ, & comedat*

medat ut vivat in æternum. Cum ille locus eum prohibeat à novo peccato. Peccaverat, manum extendendo & accipiendo de arbore cognitionis boni & mali. Cavetur ne *etiam* accipiat de arbore vitæ: quippe illo jure jam deſtitutus. Notatur novum crimen fortè poſſe committi ab homine, ſi relinqueretur in horto; quod in abuſu ſacramenti fœderis violati ponitur: ſcilicet *in comeſtione fructus arboris vitæ, ut vivat in æternum.* Non licuit poſt peccatum hoc ἐπερώτημα aſſumere cum reſtipulatione vitæ æternæ, quod ex illo fœdere ſolùm obedientiæ legis merces ac præmium eſt: quare aditus ad illud ſymbolum ei erat præcludendus. Non igitur in eam mentem accipienda ſunt iſta verba; ac ſi Deus *nexum* agnoſceret *inter externam illam comeſtionem ac vitam animalem æternam;* quaſi ea fuiſſet vis, arboris iſtius fructibus inſita, ut corpus illud morti jam obnoxium, à diſſolutione mortis in æternum præſervare potuiſſet, & in eum vigorem reſtaurare: atque ita comminatam à Deo pœnam, ac in ſuis principiis jam inflictam, eludere. Imò licet arbori increata fuiſſet *vis ſanandi maxima*, nec tamen nexus fuiſſet inter iſtam comeſtionem, & vitam animalem æternam: quia vitæ continuatio non à ſolâ temperiei dependet conſervatione: ſanus erat *Habel* & mortuus eſt: perierunt quoad temperiem benè ſani fulmine icti, aquis ſuffocati, in abyſſum ſubmerſi, & mille aliis caſibus enecati. Non deërant juſto Judici arma ſupplicii aut inſtrumenta pœnarum, ut metus eſſet hominem ipſo invito potuiſſe propagare vitam ſuam, ſi ipſi aditus relinquatur ad vitæ arborem.

Haud dubium eſt, *vau* ſæpè eſſe conſecutivum; quare verto *ne comedat, ut vivat in æternum:* atque ita exponitur finis, ſeu intentio hominis, cui ſubeſſet error, & abuſus inſtitutionis divinæ. Si relinqueretur homini

aditus

aditus ad illam arborem, datam, ut obedienti ſpem facèret vitæ æternæ, & fiduciam, Deum per hoc ἐπερώτημα conveniendi, ac quod promiſerat ab eo reſtipulandi; metus erat non ceſſaturum ſeductorem à conatu eum iterum decipiendi: qui enim ad comeſtionem de fructu arboris cognitionis homini ſimilitudinem cum Deo majorem ſpoponderat: etiam novo ſtratagemate eum invitaret, & inſigni aliquo opere eum excitaret ad reſtipulationem vitæ ſub iſto pignore apud Deum faciendam: quâ in re foret abnegatio Chriſti, ac propriæ juſtitiæ erectio. *Comedere* ergò *ut vivat in æternum*, eſt actionem reſtipulationis fœderalis tentare, ut promiſſionem fœderis acquiras: quæ ob temeritatem & falſitatem in præmiſſis eum novo implicaret peccato, verbo datæ ſpei in ſemine mulieris contrario & contradicenti. Neque facilè credo periculum, ut Adamo perſuaderi potuiſſet, cum invito Deo, cum eluſione comminationis divinæ, per vim phyſicam arboris iſtius vitam animalem protrahere poſſe in æternum, poſtquam jam terra maledicta fuit propter tranſgreſſionem ſuam.

4. Reſtat porrò ut inquiramus, *quomodò & quamobrem illa arbor vitæ poſita fuerit in medio horti?* Haud dubitandum, quin illud *horti medium* fruſtrà à quibuſdam trahatur ad centrum Mathematicum, quod præciſè ſumptum unicum eſt, & plura corpora non admittit. Nunc verò erudiit etiam nos Moſes *arborem cognitionis boni & mali* quoque *in horti medio* exſtitiſſe, *Gen.* 3: 3. Quare evidens eſt *illud medium* cum aliquâ latitudine & amplitudine accipiendum eſſe. Cauſa iſtius collocationis eſt, inſignior loci ſpectabilitas, per ſeſe monens, quanti iſtæ arbores præ reliquis faciendæ, & quâ mentis attentione obſervandæ fuerint. Situs iſte erat quoque commodiſſimus, à quâcunque horti parte æ-

què acceſſibilis: adeò ut Deus in ejus medio *adytum aliquod ſanctius* conſtituiſſe videatur, in quo unam arboris ſpeciem ſibi vendicavit, reſpiciendam tanquam à creatore occupatam; alteram homini in ſacrum uſum ſymbolicum conceſſit.

§. 6. Adjungit nunc porrò Moſaica horti ſanctioris deſcriptio arbori vitæ *arborem cognitionis boni & mali*. 1. Quæ cujus ſpeciei fuerit, multa hariolantur viri Docti. R. Meir חטים *triticum* arboreâ ſpecie excreſcens: R. Jehuda Eliades ענבים *uvas*: R. Abba Acconenſis אתרוג *citrum*, R. Joſe תאנים *ficum* interpretantur. Hodiè Judæi ut plurimum ad ficum Indicam reſpiciunt, cujus fructum pomum Adami appellant. Inter Chriſtianos alii *malum* ex *Cant*. 8: 5. alii *vitem*, alii *ficum* fuiſſe volunt; ultimam ſententiam ſecuti ſunt *Theodoretus*, *Iſidorus Peluſiota*, *Moſes Bar Cepha Syrus*, aliique recentiores. Nobis verò contrarium videtur; ſi enim notæ ſpeciei arbor fuiſſet, non video cur Moſes eam ſuo nomine inſignire neglexerit? Sin peculiari ſtudio ſpeciem occultare voluerit, fruſtra in rem inquiris, quam Spiritus Sanctus ſingulari conſilio occultavit, ac à cognitione humani generis removit. Veriſimiliùs eſt, non alibi extitiſſe ejuſdem ſpeciei individua, quàm in medio horti: aliàs enim monente *Saliano*, facilè eludi potuiſſet divina prohibitio, & tentatio Sathanæ vinci: modò Eva ſe ad aliud ejuſdem ſpeciei individuum alibi excreſcens contuliſſet. Quare cum paradiſo periiſſe eam arboris ſpeciem neceſſe eſt.

2. Neque abſurdum eſt, idem quod de arbore vitæ monuimus, etiam hìc obtinuiſſe; ut *arboris* vox collectivè præſenti in loco lucum ſeu arboretum ſignificet, in quo plures ejuſdem ſpeciei arbores in unum locum congeſtæ fuerant, ex quibus comedere prohibuit Deus, alio-

alioqui futurum, ut edens morte moreretur. Sic videri potuit illa horti particula à Deo occupata, ac ſibi quaſi conſecrata. 3. Neque putandum eſt, *ſuccum* quo fructus ejus turgebat, occultum in ſe continuiſſe *venenum*, aut *vim phyſicam*, primigeniam hominis conditi temperiem ita corrumpere valentem: ut corpus Adami indè evaſerit minùs aptum menti organum, ad perſeverantiam in rectitudine tuendam. Quoniam Moſes *Gen.* 2: 9. omne lignum in horto à Deo productum, declaravit *pulchrum viſu & ad veſcendum ſuave*: ac mulier, agnoſcens *fructum illum bonum eſſe ad cibum*, comederit ex eo. 4. Tandem diſceptatur de cauſâ nominis, arbori impoſiti; an id nomen demum poſt peccatum acceperit? ac à Moſe dicatur *arbor cognitionis boni & mali* per prolepſin? num verò ſub hoc nomine à Deo propoſita fuerit protoplaſtis ſimul cum mandato prohibitivo de non comedendo ex ejus fructu? Cauſa dubitandi videtur, quia vulgò ab eventu hoc nomen accepiſſe putatur. Aſt poſt lapſum fuit tantum *arbor cognitionis mali*, ſeu quæ dedit experimentalem *cognitionem mali non boni*. Ante lapſum uſus arboris erat, fore ut apud eam homo exploraretur, & per experientiam cognoſceret bonus ne maneret in tentatione perſiſtendo in officio, an malus evaderet, tentatori aures præbendo. Nec diſplicet eorum ſententia, qui rationem denominationis ex alio ejus uſu derivant: ſcilicet eam horti partem, quam iſta arboris ſpecies occupabat, induiſſe gymnaſii rationem, in quo edocuit Deus hominem; quid bonum eſſet ſibi ſequendum, quidque malum fugiendum: arborem ipſam datam eſſe in ſignum cultus & reverentiæ erga Deum, cui obedientiam præſtare debebat. Scilicet lex primordialis erat *lex dominii*, rectum uſum dominii, primo homini conceſſi, circumſcribens: licet enim dominium

Digitized by Google

Adamo datum haberet rationem privilegii; nihilominùs agnoſcendum eſt, illud dominium non fuiſſe abſolutè ſupremum, ſed reſtrictum, circa cujus exercitium plùs quam uno modo peccare poterat homo; ſi illud jus donatum extra limites rationis extenderet. Proin reſtrictiones, uſum iſtius privilegii ſuis limitibus includentes, totidem erant *leges*, homini recto obſervandæ. De hiſce edocuit hominem *arbor ſcientiæ boni & mali*: 1. Dum enim poſt conceſſum univerſale dominium exemit Deus hanc arboris ſpeciem, monetur per hanc arborem ejuſque exemptionem, jus dominii ſibi datum non fuiſſe jus abſolutum, ſed feudale, adeò ut Dominus feudi eſſet quotidiè agnoſcendus, qui ſibi ſervaverat jus occupandi ex conceſſis, quodcunque vellet. Hominemque teneri ad rationes Domino feudi reddendas, quotieſcunque vellicationis rationes deſideraret collator beneficii: qui proindè ſemper profitendus erat, ut potentiſſimus creator & benigniſſimus bonorum collator, legiſlatoriâ ſimul ac Judicis poteſtate ſuperior: quod confirmat præceptum prohibitivum ſub interminatione mortis propoſitum. Ita ex arbore *illâ didicit* Deum ut fontem omnis boni eſſe glorificandum, ut legem præſcribentem obediendum, ut vindicem inobedientiæ metuendum. 2. Reſpectu ſui edocuit hominem iſta arbor, ea, quæ ejus dominio ſunt ſubjecta, tantum offerre res utendas, non fruendas, quarum exemtio veræ ſuæ felicitati nihil detraheret, nec conditionem ſuam redderet deteriorem: adeò ut dominium ejus contineret commiſſam rerum curam & gubernationem, quâ revocare omnia ad uſum debebat & finem Deo dignum. Non licuit ergò ei in rebus Dominio ſuo ſubjectis, cum oblivione Dei acqueſcere: aut ab iis majora ſperare, quàm quæ in uſu rerum continentur:

nec

Digitized by Google

nec licuit indè ſibi polliceri, ea quæ Deus in ſuâ poteſtate conſervavit; ſaltem non perfectionem mentis ſpiritualem; multò minùs earum delicijs diffluere: hoc enim eſſet *intemperantiæ:* ſeu non tueri dominii dignitatem, ſed ſervire rebus infra ſe poſitis. Sanè à fructus iſtius comeſtione per præceptum Dei amotum ipſa experientia docuit, nihil conditioni ſuæ feliciori deëſſe, ac propterea in ſimilibus veram felicitatem non eſſe quærendam. 3. Imò hæc arbor exemplum præbuit *juſtitiæ*, quæ primo tempore fuit, agnoſcere *dominium ita commune*, ut non licuerit conſortes dominii arcere ab uſu rerum communium, cujus ne minima quidem in mente oboriri debebat cupiditas: cumque rerum communium nullus ſit uſus, niſi per occupationem partis, quâ uti velis, rem occupatam abſque ratione alteri eripere velle, foret crimen injuſtitiæ. Illuſtrat hoc Deus exemplo, dum ipſe ex dominio rerum non excluſus, quaſi occupat hanc arborem: quam occupatam velle tuam facere præter jus & fas foret: quare de eâ ſubjectione rei occupatæ ne quidem deliberandum eſſe monet hæc arbor. Vide igitur hanc *arborem*, à Deo occupatam, continuiſſe expoſitionem legis dominji, exemplum officii noſtri, & materiam explorandi totam obedientiam humanam: hujus magiſterio homo erudiebatur de officio ſuo, quid benè, quid malè factum eſſet: præbuitque materiam cogitandi de actionibus bonis & pravis: atque anſam exercitii pietatis ac obedientiæ. Quare homo hanc horti partem ingrediens cogitare debebat, ſe ingredi ſanctuarium aliquod Dei, & gymnaſium pietatis, non ſine veneratione numinis accedendum. Quis, hæc expendens, dubitabit amplius eam *arborem cognitionis boni & mali* id nomen recepiſſe, quia ejus uſus erat, à quo Deus de eâ præceperat, cognitionem bo-

Digitized by Google

ni & mali in mente excitare & confirmare, vi non phyſicâ, ſed morali: cognitionem non infundendo, ſed certâ ſignificatione repræſentaminis eam promovendo, & corroborando.

Verſ. 10. *Et fluvius, egrediens ex Heden, erat ad irrigandum hortum, qui inde dividebatur, ut eſſet quatuor capitibus.*

§. 1. Deſignat hìc Hiſtorio-graphus Sacer נהר *fluvium*, ſeu *amnem*; cujus ope terra illa olim irrigua fuit; fluviorum enim eſt ſuis in alveis aquam continere, perpetuò alluentem, & in mare abeuntem; hoc etymon quoque ſubindicat; nam verbum נהר (cui vox noſtra ſuum debet ortum) *fluere*, & *concurrere* ſignificat; quod fluviorum eſt, qui in mare exeunt, & quorum aquæ ibi in unum confluunt. Intellige hic *unum atque indiviſum fluvium* notari, cui *hortus* ille omne aquarum alluvium debebat: licet enim quibuſdam viſum fuerit hìc enallagen numeri eſſe concipiendam, quâ *fluvium* hunc in ſingulari accipi velint pro *fluviis* in plurali; cenſentes *Hedenis* irrigationem plures exegiſſe alveos & amnes, ut ampliſſimæ regionis irrigationi fiat ſatis: nihilominùs illud temerariò ſtatui à viris illis doctiſſimis exiſtimo. Sanè difficilis admodum ſum in illis enallagis admittendis: præſertim quandò nulla ratio tale quid exigit; non enim tam vaſtum occupaſſe hortum illum ſpatium exiſtimandum eſt, ut unus fluvius illi ad irrigandum ejus ſolum non ſufficeret; quoniam hortus ille partem tantummodò tractus *Hedenis* adimpleviſſe juxta Moſen dicendus eſt. Imò quæ ſequuntur contrarium planè evincunt; dicitur enim *fluvius*,

Digitized by Google

vius, qui in progreſſu *dividebatur*, idque etiam in ſingulari, undè oportet, ut ante illud diviſionis punctum *unum* aliquod *indiviſum* fuerit.

§. 2. *Quis*, aut qualis ille fuerit *paradiſi fluvius?* totidem verbis indicat Author θεόπνευςος, dum illi dicitur *fluvius*, *egrediens ex Heden*: velim enim hìc notari, participium *benoni* in יוצא, dum de re præteritâ ſermo eſt, deſcriptionem continere proprietatis iſtius fluvii, quâ ab omnibus aliis diſcernitur; quamobrem hoc participium in verſione retinendum eſſe ſtatuo. Dein quoque notandum verbum יצא hic non ſimpliciter poni, ſed cum præpoſitione מן conſtrui, ut ille *fluvius* deſcribatur יוצא מעדן *ex Hedene egrediens.* Neque dubium eſt, quin illa phraſis communiter *rei ortum* ſignificet. Vide ut hominis *nativitas* hâc phraſi deſcribatur pluries. *Gen.* 15: 4. 17: 6. 35: 11. *Exod.* 1: 5. & multis aliis in locis: nec non qualecunque rei principium, ſeu primus exitus, ut *de calamis ex lampadibus prodeuntibus. Exod.* 25: 32. 35. 37: 21. &c, quod ad cauſam facit, *de aquis* ex primo originis loco in publicum *erumpentibus. Jud.* 15: 19. & *Ezech.* 47: 1. Videas tamen viros doctiſſimos, qui, licet hæc negare non poſſint, nihilominus cauſantur verbum יצא non ſemper eam exercere vim; aſt aliquandò tantum rei *progreſſum* notare. Audiamus hic *Pererium* in ſuis ad hunc librum commentariis. *Non eſt neceſſarium*, inquit, *illo verbo* egrediebatur *ſignificari primum ortum, ſed tantum indicari flumen illud, ex regione Heden profluens directo itinere & curſu in paradiſum influxiſſe.* Hinc nata quibuſdam hæſitatio. Ita *Bonfrerius. De primâ ne origine ſeu fonte accipi debeat? an quod alibi ortus per locum illum deflueret? non omninò liquidum: malim de primâ origine accipere.*

Digitized by Google

Ego verò omninò liquidum puto verba *Moſis* non de progreſſu, ſed de primo ortu, quatenus in publicum *prodit fluvius ex Eden*, accipienda eſſe. In eum finem notari velim. 1. Verbum יצא non eſſe ſimpliciter reſpiciendum, ſed prout conſtruitur cum præpoſitione מן. Peſſimè enim faciunt interpretes, quod ſæpe verba & præpoſitiones à ſe invicem divellant, & ſingula in abſtracto expendentes integras phraſes non explorent. Nos phraſin illam integram expendentes ad hanc primam ſignificationem ſemper attendendum eſſe putamus, quâ ſignificat ex loco abſcondito in publicum prodire, ut terminus à quo ſit locus reconditus, ubi quid, antequam prodiret, latitabat. Ita *ſponſus* dicitur *prodire ex thalamo*, quocum ſolis exortus comparatur. *Pſal.* 19: 6. *homo prodire ex utero*, aut *ex corpore* parentum, quandò naſcitur. *Jud.* 8: 30. 2 *Sam.* 16: 11. *Job.* 1: 21. *Rex exire in bellum*, quando primum prodit & conſpicitur cum exercitu. *Gen.* 14: 8. Et *locus exire ex loco*, quandò terra ibi primum occurrit itineranti. *Num.* 21: 13. Velim ut etiam loca notentur, quæ hâc phraſi productionem denotant. *Job.* 26: 4. *Jeſ.* 54: 11. 2. Qui *de progreſſu* interpretantur phraſin hanc Moſaicam (ut teneant fontem hujus fluvii ultra & extra terram Hedenis eſſe quærendum) ſanè abſurdam Moſi tribuunt locutionem, qui potius dicere debuiſſet: *fluvius ingrediebatur Heden*, *ut rigaret hortum.* Aliundè enim adveniens potiùs dicitur terram *ingredi*, quam *egredi.* 3. Niſi *egredi ex terrâ Heden* notet ex aliquo ejus loco occulto primum in publicum prodire, & ita ſe conſpiciendum præbere, haud conveniens erit phraſis: nam in hortum ingrediendo nondum deſerit terram *Heden*, cujus pars eſt *hortus*, ſed potiùs perluit terram *Heden*, curſumque ſuum in horto continuat. Objicit qui-

Digitized by Google

quidem vir doctiſſimus, *nativitatis* ſignificationem eſſe figuratam, propriam autem dicere deſcenſum alicujus rei ex uno loco in alterum. Verum quandò particula מן additur, nos dicimus connotare quoad terminum à quo ita ex eo loco progredi, ut ex occulto in publicum prodeat, atque abhinc demum conſpiciatur: quod ſi animadvertiſſit vir D. rationem figuratæ dictionis, & tranſlationis rhetoricæ feliciùs tenuiſſet. Neque alio ſenſu opponuntur *egredi & ingredi. Deut.* 31: 2. *Joſ.* 14: 11. 1 *Reg.* 3: 7. ut *egredi* ſit prodire in publicum ad commune bonum reipublicæ, & *ingredi* ſe recipere in occulto ad quietem à laboribus.

§. 3. Erat *ad rigandum hortum.* Ellipſin verbi ſubſtantivi, quæ frequens eſt Hebræis, hìc ſupplemus verbo ſubſtantivo in præterito; quia rem præteritam deſcribit Moſes, nempe *uſum fluvii Hedenis*, quem præſtitit, quandò paradiſus adhuc extabat, jam dudum ante Moſis tempora ſubverſus. Inter artes ruſticas eſt, *agros rigare hortoſquè*, per aquarum ex fluminibus in foſſas rivuloſque derivationes; in quem finem *ſulci ducuntur aquarii*, quos nonnulli *elices* vocant: atque inter opera ruſtica numeratur *irrigare per areolas, ductis elicibus. Ezech.* 17: 7. Hujus effectus eſt (ut Lxx hìc loquuntur) ποτίζειν agros, ut evadant fœcundi: undè terra irrigua habens fontes & amnes laudatur præ primis & deſideratur. *Jud.* 1: 15. Prout autem in terrâ aridâ plantæ ex defectu vegetantis ſpiritus emoriuntur, ita ex aquæ adductione reviviſcunt & regerminant. *Iob.* 14: 7-9. Pendet itaque omnis plantarum & arborum in excreſcendo proſperitas partim ab *aquâ*, modo ſana ſit, partim à *calore aëris*; humor enim aqueus eſt earundem nutrimentum, quod impellente calore cœleſti

 reci-

Digitized by Google

recipiunt, & quaſi hauriunt; quo per poros radicum & fibras accepto inſitâ vi ſuâ creſcunt, & pro indole ſuâ gemmas, flores, fructus, folia, atque frondes edere cernuntur. Hinc *arbores plantatæ* על פלגי מים *ad elices aquarum* concipiuntur, ut ſymbolum juſtorum, quibus datur noctes atque dies legem meditari. *Pſal.* 1: 3. Commendatur proin *hortus ille* in Heden plantatus, à ſolo udo, & ſuccum terræ alimentoſum affatim exſudante, eo quod *fluvius* eum adiret, in eum finem ex terrâ Heden egrediens, ut eſſet *ad rigandum hortum.*

§. 4. *Qui indè dividitur*, aut dividetur; ſeu in ramificationes & divergia diſpeſcitur. Unicus ergo eſt ante diviſionem *fluvius*, qui aquas in hortum advehit, ut in horti irrigationem impendantur: qui משם *exinde* in plures rivulos diſtrahitur. Dubium autem eſt, an in ipſo horto facta ſit diviſio? num vero extra eum? probabile eſt, varias fuiſſe in horto foſſas, & elices, ut quaquaverſum ductæ fuerint aquæ: quæ ſanè *fluvii* erat *diviſio*, & aquarum diſtributio, ad eas cum pluribus agris communicandas neceſſaria: fierique etiam potuit, ut extra hortum diviſio aliqua fuerit continuata. Hoc ſaltem credere nos prohibet *Moſes*, fluvium illum unico progreſſum fuiſſe alveo, aut unico exiiſſe oſtio, ubi terram Heden relinquebat: ſed agros ſecando diviſum fuiſſe in multos rivulos, qui in iſtâ regione nullibi coiverunt, aut in unum confluentem exierunt, ſed cum aliis amnibus prætereuntibus aquas ſuas communicarunt.

§. 5. Verum ut diſtinctiùs teneamus, quorſum aquæ, ab irrigatione horti variis derivationibus profluentes, exitum quæſiverint? addit: *ut eſſet quatuor capitibus.* Haud convenienter textui originali verſio

vulgata legit, *qui indè dividitur in quatuor capita*, omittendo והיה *& eſt*; vel *ut eſſet*. Ita *vau conſequens* ſæpe vertitur per *ut*. Non enim neceſſe eſt, ut diviſio fuerit tantum quadripartita, ſed ſufficit, omnes ramificationes tandem ſe exoneraſſe in quatuor fluvios; quod & pluribus fieri potuit canalibus, & rivulis, ut fluvii illi majores quatuor, ſinguli unum ad minimum aut plures receperint rivulos, prout ratio egreſſus poſtulabat. ראשים vocantur fluvii, qui verſu ſequenti enumerantur, ſuiſque nominibus recenſentur; quod ex ipſâ loci inſpectione ſatis conſtat. Verum in rationem denominationis inquirentes non omnes conveniunt. *Severianus* in Hexaem hom. 5. & *Michael Glycas* annal. part. 1. per *πηγὰς* ſeu *fontes* exponunt, ſicut & apud Poëtas Latinorum vox *caput* in ſignificatione *ſcaturiginis* & *fontis* occurrit. Hinc quidam fluvium hunc quatuor fluviorum fontes produxiſſe volunt. Aſt hoc planè rei inconſonum eſt: cum fluvius diviſus, & in aprico per rivulos ſuos, diviſione attenuatos, fluminibus ampliſſimis aquas quidem communicare, non vero magnos illos alveos implere poſſit. Undè etiam ſequitur, quod reliquis fluviis infra nominatis ne quidem initium præbere potuerint brachia illa, ex diviſione nata; quippe ſuos proprios habentes fontes, & alveos aliundè arceſſendos. Verum haud dubito, quin *capita* vocentur alii *fluvii principes & capitales*. Samaritanus vertit נזלים quod *ductus aquarum* ſignificat, & Lxx *ἀρχὰς*, quaſi dignitate cæteris prævalentes. *Eſſe* verò לארבעה ראשים ſimpliciſſimè notat, *fieri quatuor capitum*, dum aquas omnes mediante diviſione impendit quatuor capitibus. Sic ל poſſeſſivum ſæpè cum verbo היה conſtruitur, hoc ſenſu. Vid. *Gen.* 48: 5. *Hoſ.* 1: 9. *Job.* 17: 1. Fortè etiam explicari poſſit ex alio uſu præpo-

præpoſitionis ל. quæ quandoquidem venit pro עד, atque terminum ad quem ſignificat; præcipuè ſi in antecedentibus occurrat præpoſitio מן, cui reſpondere poſſit, vide *Levit.* 24: 12. *Jeſ.* 7: 15. Cumque hic *fluvius* deſcriptus fuerit ut *egrediens ex Eden*: huic reſpondeat, *& eſt uſque ad quatuor capita.* Id eſt, perpetuatur uſque ad quatuor flumina majora: fluvius nempe Hedenis, poſtquam diviſionem paſſus eſt: neque alienum eſt à poteſtate verbi היה *continuationem rei* ſignificare. Vid. *Gen.* 27: 33. *Pſal.* 37: 18.

Verſ. 11. 12. *Nomen unius eſt PISCHON: ipſe eſt circumiens totam terram HAVILAH, ubi eſt aurum. Et aurum illius terræ eſt bonum, ibi Bedolah & lapis Schoham.*

§. 1. *Nomen unius* ex quatuor fluviis capitalibus, amnis Edenis ramos recipientibus, appellatur *Piſchon*, hujus nominis reliquias conſervaſſe Arabes Cuſchitas, mihi obſervaſſe videor, in nomine *Phiſam*, quo penes ipſos *Diala* appellatur, teſte *Bernardino.* Eſt autem *Diala*, quantum ex obſervatione *Petri Della Valle* conſtat, nobiliſſimus fluvius, qui ex montanis Curdorum ſupra *Chizil-rabat* ortus, atque occidentem verſus prolabens, infra civitatem Bagdad cum Tigri confluentem facit, ſeſeque propè *Aivan keſra* iterum dividens inſulam Meſenem duobus ſuis brachiis includit, atque infra *Apameam* denuò ad confluentem redit, qui hodiè fluvius Arabum dicitur. Ex *Dialâ*, fluvii nomine, facilè etiam nomen *Delas* derivatur, qui ejus brachium eſt occidentale, Meſenem à terrâ palmiferâ disjungens. Negant *Dialam* Tigri magnitudine

dine cedere: undè probabilè eſt, *Tigrin* ibi nomen ſuum amittere apud Moſen, ubi cum *Dialâ* confluentem facit: ſicuti & ramus ex confluente poſtmodum erumpens à Dialâ *Delas* dicebatur, eo quod ejus ortus non Tigri ſed Dialæ attribueretur. Monuimus etiam Libr. 2. in eâ regione *Paſas* eſſe quærendas, & terram *Paſini*, undè fluvius Arabum quoque *Paſitigris* quibuſdam dictus fuit.

§. 2. Hunc fluvium ingredi potuit rivulus (ex diviſione amnis Edenis natus, atque Meſopotamiam egrediens) ad *Dialæ alveum*, infra ejus cum Tigri conjunctionem, verſus Meſenem ſe porrigentem, aut *ad Delæ inflectionem*, poſtquam *Diala* ſe in brachia diviſerat, Meſenem ambientia.

§. 3. Hic autem *ipſe* fluvius *ſuo circuitu totam terram Havilah* ambire dicebatur *Moſi*. Libr. 1. defendimus *Havilæos* hìc intelligendos, non *Cuſchitas* ſed *Hebræos*, ex *Heberi* filio *Joktan* oriundos: Eoſque non in Arabiâ, ſed ab Oriente terræ Sinear eſſe quærendos: fortè inter *Aſſyrios* à Septentrione, *Elamitas* ab oriente, & mare Perſicum ab auſtro. Si verò antiqui nominis reliquias deſideres, fortè invenias in *Hulvan* aut *Chulſan*, cujus regionis incolæ *Chelſaleni* erant. Fuit illa quondam maxima urbs & ſatis antiqua, recenſeturque terminus Iracæ Babylonicæ orientalis: dividitque inter Aſſyriam & Parthiam; ſicut & *Diala* inter Aſſyriam & hujus ditionem dividere agnoſcunt Geographi. Ponitur *Hulvan* ad lat. bor. 34. gr. à Bagdad in Orientem præter propter duobus gr. longitudinis. Quid ſi *Havilah* regionem, indè ſe porrigentem uſque ad *Elam* & Mare Perſicum, intra 30 & 34. gradus lat. Bor. occupaverit? nonne tunc egregiè dicitur *Diala* ſeu *Phiſon totam terram Havila* ſuo circum-

cumdediſſe circuitu , & ſemilunari ambitu incluſiſſe? ſi à fontibus incipias , & in oſtium fluvii *Gaſſar* ad mare Perſicum deſinas? Saltem verbum סבב , quod *circumire* vertitur , non neceſſariò ſignificat in orbem ambire : ſed juxta aliquod latus ſuo inflexu regionem claudere : undè etiam *deflectere* vertitur 2 *Chron.* 33: 14. *Eccl.* 1:6. *Ezech.* 42:19. Conf. *Num.* 21: 4.

§. 4. Tribuit quoque Moſes huic terræ *aurum*. Aurum autem metallorum , quæ ex imis terræ viſceribus eruuntur , eſt nobiliſſimum , atque longè præ cæteris pretioſiſſimum : numeraturque inter mercimonia , quæ fluvii hujus ope diſtrahebantur , dum ex terris vicinis ad certa emporia advecta , mercatores inveniebant toto orbe celeberrimos. Ita *Charax Paſini* & *Teredon* olim , uti hodiè *Baſſora* , nobiliſſima erant emporia; & *Calne* , fluvio *Phiſon* proximè impoſita , vel parum ab eo remota. Quid , ſi aurum *Ouphaz* in ſacris ſit *aurum Paſini ?* quod in iſtâ regione olim ex fodinis eruebatur : notum enim eſt literas ejuſdem organi ſæpè permutari inter ſe. Ita inter *Paſas* olim aurifodinas fuiſſe apertas & inventas docuerit nos Moſes , licet de eâ re nihil inveniamus apud profanos auctores , ab iſtâ regione remotiores.

§. 5. Dum Moſes *bonum* quoque *eſſe terræ iſtius aurum* affirmat , innuit haud ſpernendum eſſe , & juſti etiam pretii ; licet fortè non ad ſummam auri puritatem (ut aurum Ophiriticum) exſurgat. Imò bonum eſt aurum , quod ſe patitur à minerâ , cui inhæret , ſatis commodè liberari , & in debitam puritatem excoqui.

§. 6. Addit ibi quoque eſſe בדלח *bedolach* , quod alii cum *Cl. Bocharto* de unionibus ; alii cum *Cl. Salmaſio* de reſinâ bdellio interpretantur. Quocunque modo

do

Digitized by Google

do accipias, huic regioni ex vero applicari poteſt, quod notaſſe ſufficit nunc, quandò non libet eam litem noſtram facere. 1. Qui *bdellium* hic notari exiſtimant, illi ex *Plinii* deſcriptione teneant eſſe reſinam illam odoriferam, lachrymam cujuſdam arboris nigræ, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu naturâque caprifici pollentis: eamque naſci in *Mediâ & Babylone*, ſicut & *in Arabiâ atque Indiâ*: ut hæc regio, Babyloni contermina, hujus lachrymæ proventu etiam olim celebris fuerit. 2. *Uniones* ſeu *margaritas* quod attinet, harum piſcatura celeberrima in toto mundo exercetur juxta inſulas *Karek & Bahrein*; quarum prior inſula eſt, duo millia longitidinis & latitudinis agnoſcens, parùm ab oſtiis fluvii Arabum remota, quæ ad terram Hagjemi, ſeu ditionem Perſicam ſpectat, teſte *Johanne Neweerio* in collectaneis *Purchazi* anglicis. Altera inſula quidem remotior eſt in mari iſto, ſed quæ etiam huc miſiſſe uniones diſtrahendas videtur.

§. 7. *Et lapis Schoham* adjicitur, quem *Joſephus* Sardonychen exponit: quod multis probat vir eruditiſſimus, amicus noſter *D. Braunius*, in præclaro ſuo de veſtitu ſacerdotum opere. Jam verò *Suſianam* à Sardonyche commendari teſtes ſunt *Plinius* libr. 6: 27. *Solinus* cap. 68. & *Strabo*, Geographorum diligentiſſimus.

Verſ. 13. *Nomenque ſecundi fluvii eſt Gihon: ipſe eſt circumiens totam terram Cuſch.*

§. 1. Haud quaquam dubitandum, quin *Gihon*, quod *ſecundi fluvii nomen* eſt, Moſis temporibus amnis fuerit notiſſimus; aſt nunc contra obſcuriſſimus

Digitized by Google

cum ſit, eo quod aut nomen antiquum amiſerit, aut oſtiorum obſtructione aliiſve cauſis curſum ſuum mutaverit, multas peperit interpretibus difficultates. Mentio quidem fit in hiſtoriâ Salomonis fontis aut rivi cognominis, qui parum à civitate ſanctâ abfuit. 1 *Reg.* 1: 33. 38. 45. Confer etiam 2 *Chron.* 32: 30. 33: 14. Sed ille ad partes nihil facit, cum haud quaquam terram *Cuſchaorum* attingat, ſed in terrâ *Cananæorum* inveniatur. Qui *Nilum* cum Joſepho interpretantur, nullam hìc ita ſtatuendi cauſam habent, quam quod *terram Cuſch Æthiopum* ſignificare regiones & habitacula exiſtimaverint, non conſiderantes nimiam eſſe Æthiopiæ à Meſopotamiâ, aut Parapotamiâ diſtantiam, quam ut nexus inter adeò diſſitas regiones inveniri queat. Ratio conjunctionis cum Hedenis fluvio exigit, ut aliquem alveorum, *terram Sinear* perluentium, intelligamus, qui in ſinum Perſicum irruit, atque *Cuſchitarum* regionem claudit.

§. 2. Cumque omnis ſpes eruendi hunc amnem in vero unius *terræ Cuſch* intellectu repoſita ſit; age eam inquiramus, & quid hìc ſtatuendum ſit, paucis indicemus. Sicuti haud neceſſe eſt multis monere, quod *Cuſch* fuerit *Chami* primogenitus; ita quoque nihil attinet in omnes terras exſpatiari, quas *Cuſchitæ* ejus poſteri occuparunt. Viri doctiſſimi, qui à nobis diſſentiunt; diffiteri non poſſunt, *Arabiam* in ſacris æque ac *Æthiopiam Cuſchitis* attribui, & quidem primo jure; quia Æthiopiam per colonos poſtmodum incoluerunt. Primus Babyloniæ cultor *Nimrod* ipſe fuit *filius Cuſch Gen.* 10: 8-10. ac proindè etiam ea regio ad totam terram *Cuſch*, ut ejus partem faciens, referenda eſt. Suo loco oſtendimus terram, quæ *Chuſiſtan* audit, & apud antiquiores ſcriptores *Suſiana* dicitur, huc

nihil

Digitized by Google

nihil facere, imò eſſe ipſam terram *Havila:* & licet Cuſchitarum fuiſſet, nullo jure divelli tamen poſſet ab Arabiâ, quia Moſes nos jubet reſpicere *omnem terram Cuſchitarum*, ad quam ante omnes *Arabia* pertinet, in quâ Cl. *Bochartus* omnes poſteros *Cuſch* (*Gen.* 10: 7. commemoratos) invenit. Jam ratio dictat, ut juxta Moſis geographiam per *terram Cuſch* intelligamus eam mundi partem, quam ipſe docet filios *Cuſch* occupaſſe, cum poſteri Noachi terras inter ſe dividebant, quæ cum ſit *Arabia*, valdè recederes à geographiâ Moſaicâ, ſi eam terram relinqueres in phraſi, quâ *omnem terram Cuſch* commemorat: quid enim aliud notat *terra Cuſch*, quam terra, à *Cuſchitis* inculta? & quam aliam incoluerunt, niſi quam ejus filiis ipſe Moſes aſſignat? quæque ab iis nomina ſua aſſumpſit?

§. 3. *Fluvius* autem *Arabiam circumiens* procul dubio eſt fluvius, orientale Arabiæ latus claudens, omneſque Arabes ab occidente relinquens; adeò ut illis terminus & munimentum fuerit, eos ab accolis ripæ orientalibus ſejungens. Hæc verbi סבב poteſtas eſt, ut ad verſ. 11. monuimus. Proin *fluvius ille* ipſum etiam tractum Babylonicum (qui titulo Nimrodis fuit Cuſchitarum) incluſit, & à terrâ tranſfluviali ſeparavit. Hinc ſequitur fluvium hunc, ab Euphrate diſtinctum inter *Dialam Delamque*, ac tractum Babylonicum, nec non cæteram Arabum ditionem quærendum eſſe.

§. 4. Hos characteres nullus alius amnis adimplet, niſi qui inter terram palmiferam & tractum Piriſaboræ ad antiquum Euphratis oſtium progrediebatur olim: quique hodiè infra ſepulchrum Ezechielis cum Euphrate, Babylonem permeante, & huc uſque provecto confluentem facit, atque per Pallacopam Arabum ac

Orchoënorum paludes ingreditur; aſt ante Pallacopæ aperturam, eam prætervectus, mare Perſicum ingrediebatur; perpetuò Arabiæ latus claudens.

§. 5. Hic amnis nomen *Gihon* permutaſſe videtur in nomen *Cobar* (aut ut legimus *Ezech.* 1: 3. *Chebar*) fortè à *Cobare*, præfecto, cui amnis Regius tribuitur, quique circa hunc amnem aliquid ſingulare præſtiterit, à quo nomen ejus huc tranſiit: non tamen arte confectum, ſed naturalem & ampliſſimum fuiſſe, ad libr. 3. cap. XI. probavimus.

Verſ. 14. *Nomen autem tertii fluvii eſt Hiddekel; ille qui it Orientem verſus in Aſſyriam: Quarti fluvii verò eſt Euphrates.*

§. 1. Tandem accedit ad alterum par fluviorum capitalium, qui extremi ſunt, & duos priores includunt ferè: atque iterum incipit ab oriente, ac pergit in occidentem.

§. 2. Fluvius *Hiddekel* eſt ipſe *Tigris*, quem in potamographiâ deſcripſimus pluribus: ac ſimul hoc nomen ei vendicavimus. Nec dubitant Interpretes, præprimis, quia Aſſyriam prætermeare dicitur.

§. 3. Textus Hebræus dicit, הוא ההולך קדמת אשור. *Ille qui eſt progrediens orientem verſus in Aſſyriam. Oriens Aſſyriæ* eſt, ubi Aſſyria orientalis ſita eſt. Notatur flexura *Tigris*, non autem totus fluvius; quia hoc prædicatum toti nequaquam convenit. Verti locus poteſt, *ille qui it in orientalem Aſſyriam*; id eſt, illa ejus pars, illeque alveus. *Tigris*, ubi ex Armeniâ venit, Aſſyriæ eſt ad occaſum, ſed alibi flectitur in ortum, πρὸς χειμερινὴν ἀνατολὴν dicit *Strabo* l. 2. p. 80.

Digitized by Google

2. p. 80. atque ita partes orientaliores Aſſyriæ petit. Ratio autem, cur ſingularis iſte Tigris alveus hìc definiatur, nulla alia eſſe poteſt, quam quod amnis Edenis ſe uno ramorum ſuorum ibi cum Tigri conjungat, aquaſque ſuas in iſtum Tigris alveum ejiciat, qui curſu inflexo in Aſſyriam orientalem progreditur. *Huetius.* Vir Cl. ſimpliciter vertit, *qui vadit verſus Aſſyriam:* aſt ipſe agnoſcit interim non putandum eſſe, quod Moſes hoc dixerit de Tigri intuitu fontis, aut curſus undarum illius verſus Aſſyriam ire: ſed intuitu ſitus paradiſi terreſtris, & pro diſpoſitione alvei Tigris. Quid ni ergò etiam reſpectu oſtii fluvii paradiſiaci, quo Tigrim ingreditur? quare ſub his verbis inſignis latet character, ad veri ſitus Paradiſi definitionem multum faciens: ut proin in loci juſti definitione infra Aſſyriam ſubſidendum non ſit.

§. 4. Quartus fluvius omnium notiſſimus, eſt פרת *Phrath*, quod nomen Græci mutarunt in *Euphratem*, accommodantes hoc verbum, uti omnia peregrina ſolent, ſuæ linguæ genio: ſicuti ex *Tabor* fecerunt *Atabyrius*, & ex *Derceto*, *Atergatis*. Ipſi Hebræi præpoſuerunt *u* voci *Paz*, quandò aliquam regionem vocarunt *Uphaz*: Monente iterum *Huetio.*

Verſ. 15. *Et ſumebat Jehovah Deus hominem, eumque collocabat in hortum Edenis, ut eum coleret & cuſtodiret.*

§. 1. Qui hortum illum lætum & beatum creando adornaverat, jure Dominii in rem propriam eum conceſſit homini recto ad uſum; hunc *in hortum eundem* tranſponens. Supponitur homo extra hortum illum crea-

creatus, ac poſtmodum in eum introductus. Creatus erat rectus, & conſtitutus in terrâ, nondum vanitati ſubjectâ, in quâ etiam omnis creatura bona erat. Aſt viſum fuit Deo illi ſpecimen dare inexhauſtæ ſuæ bonitatis & benignitatis, hominem rectum ad excellentiorem conditionem efferendo, quandò eum in hortum ſuum introduxit. Quod ei documento erat, Deum ipſi ſpem facere ulteriores boni, ſi officium præſtaret, eique placere ſtuderet ulterius. Præprimis, ſi paradiſum, ſpecimen accreſcentis bonitatis, reſpiceret ut præludium & Symbolum ulterioris promotionis, ad ultimam perfectionem & conſummationem ejus tendentis: Imò acciperet à Deo eum introducente, ut pignus paradiſi cœleſtis, in quem transferendus eſſet, ſi ſe eo beneficio non indignum faceret. Non poterat hortus ille externus exſatiare appetitum, menti hominis recti inſitum. Præſertim quandò obſervare ei licuit, non eſſe ſibi acquieſcendum in ſtatu, ubi ſub exploratione ſe poſitum vidit; à quo tenebat ipſi ſpem fieri ſtatus confirmationis, quandò explorationem ſuſtinuiſſet. Potuit ex arbore vitæ cognoſcere, ſtatum confirmationis componi cum collatione vitæ nobilioris, in æternum duraturæ, quandò ad hanc arborem adducebatur: & ex arbore cognitionis boni & mali, mutabilem eſſe præſentem ſuam conditionem, atque beatius eſſe non poſſe mori, quam poſſe non mori. Quare illa introductio Dei erat introductio in ſpem magnam, omni ſtudio proſequendam.

§. 2. Interim commendabat illi *Deus*, ut hortum illum *& coleret & cuſtodiret*, quamdiu illum incoleret, ibique habitaret. *Hortum colere* eſt laborem aliquem impendere in conſervationem ordinis & elegantiæ, nec non in collectionem fructuum horti, ut omnia ad uſum revocaret. Arbores, perpetuò excreſcentes, putandæ erant, ubi ſibi mutuò forent impedimento: ſulci ad irrigationem aperiendi: fructus carpendi & reponendi: & quæ ſimilis ordinis erant, curanda. Qui labor haud moleſtum, nec injucundum foret corporis exercitium. *Cuſtodire* verò *hortum* eſt ad ſepimenta attendere, ne beſtiis, à quibus damnum erat exſpectandum, pateret aditus, iſtæque ullo modo irrumpant, & conſervanda depaſcant, aut ordinem turbent: quæ cuſtodia pignus illud cæleſtis paradiſi ſartum tectum ſervare debebat.

Ex his omnibus nunc facilè elucet, ut ſimplex verborum Moſaicorum acceptio ſufficiat, ad imponendum huic controverſiæ

FINEM.

Digitized by Google

DICTA SCRIPTURÆ ILLUSTRATA.

Gen. 1: 9. 10.	pag. 133.
18.	p. 135.
21. 22.	p. 133.
28. 29.	p. 109.
2: 8-15.	p. 181-216.
8.	p. 56. 123.
9.	p. 110.
10.	p. 60. 98. 123.
14.	p. 64. 79.
15.	p. 124.
3: 23.	p. 124.
24.	p. 135.
4: 16.	p. 63. 136.
5: 26.	p. 133.
10: 7.	p. 38. 41. 46.
10.	p. 29.
11.	p. 24. 25.
20.	p. 50.
29.	p. 46.
30.	p. 51.
13: 10.	p. 145. 151. 152.
14: 1-9.	p. 42.
15: 18.	p. 67.
23: 18.	p. 46.
24: 10.	p. 3.
25: 2. 3. 6.	p. 41.
13-18.	p. 40.
28: 2.	p. 4. 154.
Joſ. 1: 4.	p. 67.
Jud. 3: 8.	p. 3. 154.
2 Sam. 8: 3.	p. 67.
1 Reg. 9: 18.	p. 23.
28.	p. 51.
21: 2.	p. 105.
2 Reg. 17: 6.	p. 27.
20. 30.	p. 42.
18: 11.	p. 27.
19: 11-13.	p. 59. 61. 63. 122.
1 Chron. 19: 6.	p. 3.
Nehem. 2: 8.	p. 107.
Heſth. 1: 1.	p. 44.
Job. 1: 15. 17.	p. 51.
Pſal. 104: 5-9.	p. 134.
Prov. 8: 25.	p. 134.
Eccl. 2: 5.	p. 107.
6.	p. 111.
Cant. 4: 13.	p. 107.
16.	p. 105.
5: 1.	ibid.
6: 2.	ibid.
Jeſ. 5: 2.	p. 105.
37: 11-13.	p. 59. 61. 122. 144. 174.
58: 11.	p. 111.
Jer. 46: 2.	p. 8. 67.
Ezech. 1: 1.	p. 93.
27: 33.	p. 59. 144. 157.
28: 13.	p. 156.
31: 8. 9.	p. 110.
Dan. 3: 1.	p. 14.
8: 1.	p. 42.
10: 4.	p. 79.
Amoſ. 1: 5.	p. 157.
Jon. 3: 3.	p. 27.
Eccleſiaſtic. 24: 27-29.	p. 92. 150.
Matth. 6: 28. 30.	p. 106.
Luc. 23: 43.	p. 118.
2 Cor. 12: 4.	p. 118.
Apoc. 2: 7.	p. 118. 120.

AUCTORES
CITATI.

Abramus refutatus, pag. 142-152.
Abydenus, p. 75.
Agatharcides, p. 48.
Almegrebi, p. 22. 72.
Ambroſius, p. 106. 114.
Ammianus Marcellinus, p. 7. 8. 12. 13. 14. 15. 19. 20. 26. 27. 33. 34. 62. 71. 72. 73. 85. 93. 176. 178.
Appianus, p. 5.
Arrianus, p. 31. 76. 77. 87. 96.
Auguſtinus, p. 117. 128. notatus p. 83.
Baldæus, p. 141.
Bar Cepha, p. 91. 131.
Barboſa, p. 139.
Baſilius, p. 127.
Benjamin Tudelenſis, p. 31. 32. 73.
Bernardini, p. 81. 88.
Bochartus, p. 27. 38. 39. 61. 139. 140. notatus p. 41. 48. 51. 53. 89.
Bonfrerius, p. 203.
Boëthius, p. 69.
Braunius, p. 211.
Burnetus refutatus, p. 130-139.
Cajetanus, p. 65.
Calcashendi, p. 34. 198.
Cartwrigtus, p. 64.
Capellus refutatus, p. 162 &c.
Cicero, p. 106. 107.
Clericus, p. 168. refutatus, p. 153-158.
Cluverus, p. 13.
Columella, p. 106.
Crocius, p. 122.
Chryſoſthomus, p. 116. 119.
Curtius, p. 69. 86. 87.
Cyrillus, p. 22.
Dapper, p. 169.
Damaſcenus, p. 127. 128.
Dion., p. 74.
Diodorus Siculus, p. 19. 27.
Dionyſius Periegetes, p. 43. 46. 47. 54. 78.
Ephrem Syrus, p. 125.
Epiphanius, p. 115. notatus, p. 83.
Eratoſthenes, p. 2. 22. 40. 47. 49.
Euagrius, p. 5. 19.
Euſebius, p. 51.
Feſtus Avienus, p. 46.
Flud, p. 119.
Fulcherius Carnotenſis, p. 6.
Gellius, p. 108.
Golius, p. 29.
Heideggerus refutatus, p. 142-152
Heilinus, p. 52.
Herodianus, p. 12.
Hieronymus, p. 51. notatus, p. 83.
Hil, p. 80.
Hyde, p. 28. 34.
Homerus, p. 39.
Hopkinſon, p. 116. 167.
Idriſius, p. 9. 30. 33. 34. 48. 72. 73.
Jobus Ludolphi, p. 91.
Joſephus, p. 16. 24. 51. notatus p. 83. 121.
Joſephus de St. Angelo, p. 36. 37. 89. notatus, p. 160.
Iſidorus, p. 57.

Junius,

Junius, p. 85.
Kircherus notatus, p. 127.
Kirchmajerus, p. 125.
Libanius, p. 72.
Lubinus, p. 159.
Lucanus, p. 7. 67. 68.
Lucianus, p. 21.
Lutherus, p. 192.
Montevilla, p. 129.
Morinus, p. 29. 64. refutatus p. 50. 175.
Noris, p. 4. 6.
Neweerius, p. 211.
Olearius, p. 140.
Origines, p. 113.
Pauſanias, p. 21.
Pererius, p. 203.
Peutingeri tabulæ, p. 6.
Philo Judæus, p. 113. 118.
Philoſtratus, p. 74.
Plinius, p. 5, 6, 9, 15, 20, 22, 23, 37, 43, 44, 46, 48, 54, 71, 72, 74. 75, 78, 79, 86, 88, 106, 176, 211. Correctus, p. 14, 72.
Polybius, p. 23, 176.
Polyenus, p. 111.
Pomponius Mela, p. 69, 70.
Priſcianus, p. 46.
Procopius, p. 4, 6, 8, 19, 22, 24.
Ptolomæus, p. 9, 11, 14, 15, 26, 31, 72, 74, 75, 76, 129, 154.
Rabanus Marcus, p. 127.
Saldenus, p. 145.
Salmaſius, p. 210.
Sanſon, p. 159.
Scaliger, p. 83, 89.
Scindlerus, p. 78.
Solinus, p. 79, 127, 129, 211.
Schottus, p. 129.
Spanhemius [Ezech.] notatus, p. 11.
Statius, p. 21.
Stephanus, p. 6, 7, 14, 20, 45.
Strabus, p. 127.
Strabo, p. 2, 20, 25, 26, 28, 29, 31, 39, 43, 68, 69, 70, 71, 77, 78, 154, 211.
Stuckius, p. 51.
Tacitus, p. 20.
Tavernier, p. 6, 8, 11, 17, 23, 34, 86.
Texeira, p. 97.
Theodoretus, p. 20, 21, 22, 198.
Thevenot, p. 5, 8, 36.
Valle, p. 16.
Venetus, p. 114, 120.
Ulpianus, p. 19, 23.
Weigelius, p. 122.
Xenophon, p. 176.
Zozimus, p. 8. 15.

Digitized by Google

VOCES HEBRAICÆ, ET PHRASES ILLUSTRATÆ.

ברכות : cur piſcinæ dicantur ? pag. 111.
בדלח : alii margaritas, alii bdellium exponunt. p. 210.
גוח. p. 91.
גן hortus à גנן. p. 105. 182.
היה cum præpoſitione ל præfixâ, quandò præpoſitio מן eſt in præmiſſis, rei continuationem ad terminum finalem indicat. p. 100. 207.
יצא cum præpoſitione מן rei ortum ſignificat. p. 203.
מועדים pro anni tempeſtatibus. p. 135.
מקדם quo ſenſu veniat ? p. 185.
נהר quid ex etymo notet ? p. 202.
נטע verbum rei ruſticæ. p. 182.
סבב circumire, quo ſenſu dicatur fluvius ? p. 210.
עולם & לעולם. p. 193.
עץ collectivè. p. 191. & quid כל עץ notet ? p. 189.
פשה. p. 82.
צמח. p. 189.
ראשים pro rebus cujuſcunque ordinis principalibus. p. 100. 207.
שהם : cujus generis lapis pretioſus. p. 211.

INDEX

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS.

A.

Aſchoub urbècula Meſopotamiæ. p. 18
Abbadân urbs Iracæ finitima juxta ſinum Perſicum. p. 36
Aborras ſeu Chabórras, fluvius apud Cercuſium Euphratem ingrediens. p. 9
Abulla, civitas, Arriano Apologus. p. 36
Addea, urbs Arabum. p. 14. ejuſque ſitus. p. 30
Æthiopia duplex Arabum & Abyſſiniæ. p. 39
Agreës, Scenitæ, ubi habitaverint? p. 29. 44. 45
Albaſia terra, regio Meſopotamiæ. p. 18
Aleppo, emporium Syriæ Euphratenſis. p. 23
Ali Hamam, urbs Meſopotamiæ in confiniis Moſul. p. 12
Alkatzar, ejuſque ſitus. p. 31
Amida, mètropolis Meſopotamiæ Aſſyriacæ. p. 10
Amnis Mygdonius, incolis Hirmaz. p. 11
Amphipolis, urbs Syriæ Euphratenſis. p. 22
Anania ſepulchrum. p. 31
Anbaritis ſeu Ancobaritis, qualis regio Babyloniæ? p. 32
Anna ſeu Adana, ſedes Principis Arabum, in Euphratis inſulâ condita. p. 14. 30
Antiochia Mygdonia ſeu Niſibis. p. 11
Apamia, urbs Meſenes ſuperioris. p. 35
Apollonia, urbs Aſſyriæ. p. 28
Apologus Arriani, hodiè Abulla. p. 36
Arabia diviſio p. 40. deſertæ gentes. p. 40. 41. nec non Felicis & Petrææ. ibid.
Aram primus occupavit oras cis & ultra Euphratem. p. 3. *Aram Naharaim* pars Meſopotamiæ occidentalis ad Oſrhoënam ſpectans. p. 4
Arbela & Arbelitis in Aſſyriâ. p. 27
Arecca, quæ & Racca, urbs Meſopotamiæ ſeu Oſrhoënis. p. 7
Aſſur terram cis & ultra Tigrin occupavit. p. 3
Aſſyria, hodiè Curdiſtan, ejuſ-

que initia. p. 24. 25. urbes antiquiſſimæ. ibid. & diviſio. p. 26
Atyria eſt ipſa Aſſyria, aut ſaltem ejus pars nobilior. p. 25

B.

Babel ſeu Babylon deſcribitur. p. 30. 31
Bagdad urbs ad Tigrin, ſedes Chaliipharum. p. 17.
Bagervan civitas Meſopotamiæ. p. 10
Barzita urbs Babyloniæ ejuſque ſitus. p. 30
Baſilinſa, amnis Meſopotamiæ Tigrin ingrediens. p. 81
Baſſora, nobile emporium, ejuſque ſitus. p. 36
Bathua propè trajectum Euphratis. p. 10
Beled urbs Meſopotamiæ ad Tigrin. ibid.
Belias ſeu Beleas fluvius, Euphratem ingrediens. p. 9
Berkaid, urbs Meſopotamiæ ad Tigrin. p. 11
Bir, urbecula ad Trajectum Euphratis. p. 9. 10
Borſippe, urbs Babyloniæ. p. 32

C.

Calah civitas Aſſyriæ. p. 27
Callinicum ſeu Arecca, emporium juxta Euphratem. p. 7
Callirrhoë ſeu Edeſſa. p. 5
Calne, urbs Meſenes ſuperioris, quæ etiam Cteſiphon & Madain dicitur. p. 34
Carchemis videtur eſſe Cercuſium. p. 8
Catifa, urbs Arabiæ, aliàs El catiph. p. 97
Cercuſium deſcribitur. p. 8
Chaboras urbs fluvio cognominis. p. 10
Chaldæa deſcribitur. p. 28. 37
Chalonitis, regio in Meſene ſuperiori. p. 34
Chalybon, hodiè Aleppo. p. 23
Charaa, civitas Meſenes inferioris. p. 45
Charrha ſeu Haran, civitas Meſopotamiæ, ejuſque deſcriptio. p. 7.
Chezer, inſulæ Meſenes inferioris, nec non fluvii adjacentis nomen. p. 36. 37
Chryſorrhoa, fluvius Syriæ Damaſcenæ, malè cum Phiſonte confuſus. p. 153
Cobar ſeu Chebar, fluvius ad Tzirzar excurrens. p. 93 eſt *Gihon* in deſcriptione Paradiſi.
Comagene, ejuſque termini. p. 19
Confluens Tigris & Euphratis ſuperior juxta Seleuciam: inferior infra Apamiam: neuter locus fuit Paradiſi. p. 164. 165
Cteſiphon eſt Antiquorum Calne, & Arabum Madain. p. 34
Cufa, Parapotamiæ urbs primaria. p. 33

Cur-

Curdiſtan, olim Aſſyria dicta. p. 26
Cuſch, apud Moſen, quis? ejus terra apud Moſen non eſt Æthiopia Abyſſiniæ p. 38. nec Cuſiſtan Suſianæ p. 41-44 ſed *Arabia*, quæ terram Chaldæorum claudit. p. 44-45. & 212. 213
Cuſiſtan eſt Suſiana, cum terrâ Cuſch non confundenda. p. 42 44
Cyrrhus urbs Syriæ Euphratenſis p. 22. cujus ditio Syria Cyrrheſtica. p. 21

D.

Damaſcus, Syriæ Metropolis, ſedes olim regni ampliſſimi ſub rege Benhadad. p. 158
Dara urbs Mygdoniæ in Meſopotamiâ. p. 11
Diacira, urbs Meſopotamiæ Arabum. p. 15
Diala, fluvius capitalis, Tigrin ab Oriente ingrediens, Mauris *Phiſa*. p. 81. Nobis eſt *Phiſon*. p. 88
Diar-algezirah, Meſopotamiæ provincia, ſeu ditio Moſulenſis. p. 12
Diar-Beer, Meſopotamiæ provincia borealis. p. 10
Diar-rabeah, alia Meſopotamiæ provincia. ibid.
Dura, urbs Meſopotamiæ Arabum, juxta Euphratem. p. 13

E.

Eden, vocis Etymologia. p. 57 *Terra*, apud Moſen nomen proprium p. 58-60 cujus ſitus ex characteribus eruitur. p. 61-65 *Inſula* lætior ejus nominis hodiè extat, quam Tigris circumluit. p. 18
Fluvius Edenis, Paradiſum permeans, ex terrâ Eden ortum habuit p. 98. 203 alius eſt à quatuor nominatis. p. 98. 99 ubi diviſus fuerit? p. 99. aquas in quatuor apud Moſen nominatos effudit. ibid. ubi in Meſopotamiâ quærendus? p. 101-104. unus fuit numero. p. 202
Edeſſa, metropolis Oſrhoënes, deſcribitur. p. 5
Elhan, pagus Iracæ in Meſopotamiâ. p. 16
Erech metropolis regionis ejuſdem nominis. p. 35
Euphrateſia, ſeu Syria Euphratenſis, pars Syriæ juxta Euphratem. p. 19
Euphrates, fluvius capitalis, pluribus deſcribitur: p. 66-77 ratio nominis. p. 66. eſſe fluvium Phrath, cujus mentio fit in ſacris probatur. p. 67. 68 ejus origo indicatur. p. 68. varii ejus curſus. p. 68-73. Euphrates

Digitized by Google

tes audit, ubi Meſopotamiam à Syriâ & Parapotamiâ dirimit. ibid. Varii ejus alvei regnum Babylonicum ingredientes. p. 74. Alveus, Babylonem permeans, eſt ejus propago antiqua, ſeu naturalis p. 73. 74. conf. p. 31. Non recepit ramum fluvii Edenis, niſi ubi inter Reſchipham & Maſſicen decurrit. p. 173

Europum, Syriæ civitas, in confiniis Arabiæ & Euphrateſiæ. p. 23

F.

Felugium locus in Meſopotamiâ Arabum. p. 16

G.

Geban terra Meſenes inferioris. p. 37

Gebiaga ſeu *Gegida*, pagus Meſopotamiæ Arabum, qui etiam *Rouswania* dicitur. p. 16

Germanicia, Syriæ Comagenæ urbs. p. 20

Gihon, fluvius, ejus Etymologia. p. 91. non fuit Nilus Ægypti. p. 91-93. Sed *Cobar*, fluvius ad Tzartzar. p. 93. oſtenditurque, quomodò totam terram Cuſch circumeat. p. 93. & 211. ac ſeq.

Gjulab amnis Meſopotamiæ, qui etiam Charrhæ dicitur. p. 7

H.

Haſjema, ſuburbium Cufæ. p. 33

Hatra, urbs in Meſopotamiâ deſertâ. p. 12. 13

Havila duplex. p. 46. Terra Havilæ Cuſchitæ quænam? p. 46. 47. ea ad Paradiſi definitionem nil facit. p. 48-51. Terra Havilæ Joktanis eruitur p. 51-24. & ad definitionem ſitus Paradiſi à Moſe adduci probatur. p. 209

Hedgjadge, pagus Iracæ in Meſopotamiâ. p. 16

Heita Babyloniæ, p. 31

Hiddekel fluvius probatur eſſe Tigris. p. 77-79

Hierapolis, urbs Syriæ Cyrrheſticæ, ſeu Euphrateſiæ. p. 21

Hila ſeu Hella, urbs Babyloniæ. p. 31

Hira, Arabum in Chaldæâ Metropolis. p. 34

Hirmaz, amnis Mygdonius. p. 11

I.

Jechonjæ Regis ſepulchrum. p. 33

Imam-muſa pagus, haud procul à Bagdad. p. 16

Ingine, Meſopotamiæ provincia intra Saocoram & Chaboram. p. 13

Iraca Arabiæ ſuis definitur limitibus. p. 28

Kair

Digitized by Google

K.

Kair Chaidar urbs Babyloniæ. p. 34
Kala Bukrit, regio Iracæ in Meſopotamiâ. p. 16
Karcha fluvius, Paſo tigrin ſeu fluvium Arabum ex oriente ingrediens. p. 170
Kierbela, pagus Babylonicus, p. 31
Kiſil-Chan, ſtatio ſupra Tekrit. p. 18

L.

Lacus Nebucadnezaris deſcribitur. p. 31

M.

Macepracta urbs, quæ etiam Maſſice dicitur, apud quam Euphrates ſcinditur. p. 15
Macheſis, urbs Meſopotamiæ. p. 10
Madain, urbs Meſenes ſuperioris, quæ olim Calne & Cteſiphon dicta. p. 34
Manaria, Meſopotamiæ regio. p. 18
Manbegz ſeu Mabog, eſt ipſa Hierapolis Syriæ. p. 21
Martyropolis Meſopotamiæ borealis ſeu Aſſyriacæ urbs. p. 10
Maſſice, vide Macepraſta, urbs ad ſciſſionem Euphratis. p. 15
Merdin, civitas Meſopotamiæ. p. 11
Meſched ſeu ſepulchrum Ali. p. 34 Huſſein, pagus, qui etiam Kierbela audit. p. 31
Meſene ſuperior, Bagdadi inſula. p. 34. Inferior, ad oſtia fluvii Arabum. p. 36
Meſopotamiæ deſcriptio. p. 1-18. ejus ſitus & confinia. p. 2. diviſio. p. 3. Provinciæ p. 4 &c. Arabum quænam? p. 12
Maſarakin olim Martyropolis dicta. p. 10
Moſul, urbs ad Tigris trajectum. p. 12
Mygdonia Meſopotamiæ. p. 10 amnis Mygdonius Hirmaz. p. 11

N.

Naar-da, colonia Judæorum, ejuſque ſitus. p. 30
—— Iſa, qualis amnis. p. 33
—— Malca, alveus Euphratis novus, à Cobare effoſſus. p. 74. 88. 164
—— Sares alveus Euphratis ad Suram. p. 30 qui etiam Marſias. Narraga, & Acracanus audit, juſſu Nebucadnezaris effoſus. p. 74. 75
Napha, urbs Babyloniæ. p. 31
Neo Caſarea, Syriæ Comagenes urbs. p. 21

Nicephorium urbs Meſopotamiæ, etiam Conſtantina dicta. p. 9
Niſibis & Niſibene, urbs & regio Meſopotamiæ. p. 11
Ninive, Aſſyriæ Metropolis deſcripta. p. 26

O.

Odeine, amnis ex Meſopotamiâ Tigrin ingrediens. p. 81
Orchoë, urbs Chaldaica. p. 37. 77
Orontes fluvius, Syriam Caſſiotidem alluens, qui non eſt Gihon. p. 153
Orpha, quæ Edeſſa. p. 5
Oſrhoëne regio, Meſopotamia Aramæa dicta. p. 4
Oxus fluvius, in mare Caſpium delabens, non fuit Gihon. p. 160
Ozogordana, urbs Meſopotamiæ Arabum. p. 15

P.

Pacoria, ejuſque ſitus. p. 30
Pallacopa, alveus Euphratis perfoſſus aquas ad paludes derivans. p. 76. 95-97
Palmyra, cœleſyriæ urbs. p. 23
Paradiſus, vox excutitur. p. 106 ejus præſtantia. p. 108-112 deſcriptio non in meram allegoriam convertenda. p. 113-121 Non totus mundus. p. 121-125 Nec in loco mundi inacceſſibili fuit. p. 125-130 nec in auſtrali mundi hemiſphærio ponendus. p. 130-139 Nec in inſulâ Ceylon. p. 139-142 Nec in Palæſtinâ ſeu terrâ Sanctâ. p. 142-152 Nec in Phœnice Tyriorum, aut Syriâ. p. 153-158 Nec ſupra Meſopotamiam ſive ad fontes Euphratis & Tigris adſcendas. p. 159. 160 ſive ad planitiem Cougsjaſſar regrediaris. p. 160. 161 Nec infra Meſopotamiam ad confluentem Tigris & Euphratis primum. p. 161-165 aut confluentem utriuſque ſecundum, qui fluvius Arabum audit. p. 165-172 ſed in Meſopotamiâ auſtrali intra Tekrit & Bagdad, inter Tigrim & Saocoram. p. 173. 180 vi maledictionis periit, p. 121 Symbolum cœli cœlorum. p. 118
Paradiſus urbs Syriæ Laodicenæ. p. 154
Parapotamia, qualis ſit terra, quibuſque limitibus incluſa. p. 28. 29
Paſa & Paſini regio. p. 87
Paſitigris, fluvius Arabum, inter Meſenem ſuperiorem & inferiorem excurrens, p. 35. 86
Phaſis fluvius, Colchidem permeans, & Pontum Euxinum ingrediens, non fuit Piſchon. p. 160
Phiſa eſt Diala & Piſchon apud Moſen. p. 88

Digitized by Google

Piriſabora ſeu Firauz-Sapor, urbs Babyloniæ. p. 32
Piſchon fluvius, ejus etymologia. p. 82. 83 Malè Gangi applicatur. p. 83-85 cum ſit Diala & Delas. p. 85. 108
Pombeditha, urbs Judæorum in Babyloniâ: ubi ſita fuerit? p. 30

R.

R*Ahaba* & Rahabath, urbs Arabum in confiniis Syriæ. p. 14. 30
Reſchipha, urbs Meſopotamiæ Arabicæ. p. 15
Rheſane, civitas Meſopotamiæ Aramææ. p. 6. 7
Rouſwania, ſeu Gehiaga, pagus Arabum. p. 16

S.

S*Amarra* urbs Meſopotamiæ Arabum. p. 17
Samoſata, quondam Comagenes caput. p. 20
Sarragi alveus fluvii Arabum. p. 37
Schat el Arab, per excellentiam fluvius Arabum dictus, quis? p. 82
Scirtus, fluvius Edeſſe. p. 5
Sekkath al Abbas urbs Meſopotamiæ. p. 10
Seleucia Parthorum. p. 16
Sepulchrum Ali. p. 34
Ananiæ, Miſaëlis & Aſariæ. p. 31
Ezechiëlis. p. 31
Huſſein. p.
Jechoniæ regis. p. 33
Sinear, terra quatuor Provinciarum. p. 29
Singara & *Singarene* urbs & provincia Meſopotamiæ. p. 11
Sippara, urbs ad fluvium Naarſaris condita. p. 30
Sittace, urbs Aſſyriæ & caput Provinciæ. p. 28
Sura urbs Babyloniæ, olim Matha Mahaſia dicta. p. 32
Syria, ejuſque diviſio. p. 19

T.

T*Ekrit* urbs Meſopotamiæ ſeu Iracæ Arabicæ terminus borealis. p. 17
Teleſſar, qualis civitas. p. 61. 62
Teredon ejuſque ſitus. p. 36
Teridata urbs Babyloniæ ejuſque ſitus. p. 30
Terra palmifera pars Parapotamiæ p. 33
Teſcape urbs Chaldaica. p. 35
Thapſacum ſeu Amphipolis Syriæ, ubi alterum Euphratis trajectum. p. 22
Tigris, ejus deſcriptio quo ad nomen, ortum & curſus. p. 77-82
Tirtar amnis, ex Meſopotamiâ Tigrin ingrediens. p. 81

Digitized by Google

Tyrus, emporium Phœniciæ celeberrimum. p. 157 ſitus in amœniſſimo loco. p. 156 non pertinuit ad terram Eden. ibid.

V.

V*Ologeſia*, urbs Babyloniæ, ejuſque ſitus. p. 30

W.

W*Aſit* urbs Meſenes ſuperioris. p. 35

X.

X*Imxat*, Meſopotamiæ civitas. p. 9

Z.

Z*Ab* fluvius Meſopotamiæ Tigrin adiens. p. 81

Zaitha in Meſopotamiâ Arabum. p. 13

Zeobia locus propè Seleuciam. p. 16

Zeugma, urbs Syriæ, Hierapolis dicta. p. 21

INDEX RERUM.

A*Damus* extra Paradiſum creatus, & poſtmodum in eum introductus, ubi ratio conſilii Dei expenditur. p. 187. & 216

Arbores, quales fuerint in Paradiſo. p. 190 hinc *arboretum* fuiſſe hortum Dei. p. 108 harum ſelectus & bene ordinata plantatio ad Paradiſi præcellentiam fecit. p. 109. 110

Arbor cognitionis boni & mali: ejus ſpecies incognita ac deperdita. p. 198 numerus fortè auctior. ibid. Succus fructuum ejus nequaquam veneno turgens. p. 199 ratio denominationis multis diſcutitur. p. 199 & ſ.

Arbor vitæ: ejus ſpecies incognita cum horto periit. p. 191 numero plures: ibid. Cur de vitâ nomen acceperit. p. 192

Aurum Uphaz fortè aurum Paſini. p. 210

B.

B*Enhadad*, Rex Syriæ Damaſcenæ, & amplitudo regni ejus. p. 158

C. Co-

C.

Colere hortum Dei, qualis fuerit hominis integri occupatio. p. 216
Cuſtodire hortum Dei, quem laborem exegerit ab homine integro. p. 216

D.

Deliciæ Paradiſi, quem uſum homini recto præſtare potuerint. p. 187. 188

G.

Gladius flammeus, Adami regreſſum arcens, non fuit zona torrida. p. 135

H.

Hortus, cujus latitudinis & uſus ſit vox. p. 105. 106 181. 182 Cur dicatur Paradiſus? ibid. eorum deliciæ. p. 105 &ſ. *Dei* in medio rationem ſacrarii habuit, ubi Deum conveniret Adam. p. 197

I.

Iriguus ager, Paradiſum commendat. p. 110

L.

Lex primigenia, eam fuiſſe legem Dominii. p. 199 quam arborem prohibitam illuſtraſſe oſtenditur. p. 200

M.

Medius horti Deus locum ſuam habebat latitudinem. p. 197

P.

Paradiſi ſuavitas, quem uſum homini recto præſtare potuerit? p. 187
Plantaſſe arbores, quo ſenſu Deo tribuatur? p. 118. & 183
Plantarum nutritio, quo modo fiat. p. 205. 206
Progerminatio agri & horti divinæ benedictionis eſt opus. p. 189

R.

Rigare hortos, quibus fiat modis. p. 205

T.

Telluris Syſtema, quale Burnetus introducit, refutatur. p. 132 &ſ.
Terra antediluviana temerè fingitur Mari & montibus deſtituta. p. 133

V.

Vita, undè arbor vitæ nomen accepit, qualis fuerit? p. 192
Vivere, notat aliquandò lætiſſimam mentis cum corpore conſuetudinem experiri. p. 195.

ERRA-

E R R A T A.

A pag. 181 in fronte reſcribendum *Libr.* IV. Lege porrò p. 8: l. 7. Davanam l. 29. Euphratis. p. 12: l. 21. maximam. p. 17: l. 23 borealis. p. 21: l. 3. deſcribitur. p. 22: l. 1. Euphrate. p. 32: l. 32. palmiferam. p. 35: l. 2. aliquandò. p. 39: l. 1. exiſtimem l. 15. pertinuiſſe. p. 44: l. 11. prudenter. p. 48: l. 15. eſſe. p. 52: l. 15. ab. p. 58: l. 31. שי p. 71: l. 21. vergeret. l. 22. pergeret. p. 73: l. 27. Authori. p. 78: l. 25. fluentum. p. 79: l. 30. planitie. p. 80: l. 25. Doctus. p. 83: l. 31. errorem. p. 96: l. 17. aquas. p. 99: l. ult. appellantur. p. 110: l. 10. poterat. p. 147: l. 21. Non eſſe Havilath Cuſchæorum ſed Hebræorum. l. 22. deſertâ. p. 152: l. 5. aquis rigata. p. 157: l. 20. acceſſerint. p. 164: l. 29. faciat. p. 165: l. 17. incomparabilis. p. 171: l. 17. Strictiori. p. 172: l. 24. mappam. p. 174: l. ult. quatuor. p. 175: l. 8. neceſſariò. p. 200: l. 30. acquieſcere. p. 216: l. 7. ulterioris. Dele p. 33: l. 2. quod. Inſere. p. 43: l. 9. putes. Corrige loca allegata & lege p. 8: l. 11. *Jer.* 46: 2. & p. 59: l. 22. *Jeſ.* 37: 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HDI
HW 5NOZ Q

Digitized by Google

Digitized by Google